BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13

Z. 10.

MAG 313

CLAUDII FLEURY

PRESBYTERI, PRIORIS ARGENTELIÆ
ET REG. CHRISTIANISS. A CONFESSIONIBUS,

INSTITUTIONES

JURIS ECCLESIASTICI,

Quas Latinas reddidit, & cum animadverſionibus

JUSTI HENNINGII BOEHMERI


EDIDIT

JOANNES DANIEL GRUBER

J.U.D. & in Ludoviciana Cattorum Jur. Prof. Pub. ord. deſignatus.

Accedit Præfatio altera, ac criticæ in notas animadverſiones, quibus heterodoxorum præjudicia indicantur, ac dirimuntur.

EDITIO QUARTA.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIPSIÆ MDCCLXII.

APUD ERNEST. GOTTL. CRUGIUM,
ET PROSTANT VENETIIS
APUD ANTONIUM ZATTA.

BIBLIOTHECA SS. VINC. ET ANASTASII

f4

LECTORI

S. P. D.

JO. DANIEL GRUBER. D.

VEtus eſt iterum iterumque repetita querela de immenſa multitudine librorum , quibus indies magis magiſque oneratur atque obruitur orbis literatus. Verentur enim multi , in iſto ſcribendi pruritu , quo hodie docti indoctique paſſim laboramus, rem poſtremo eo deductam iri , ut jam exitum amplius literarum ſtudia habere non poſſint . Cui namque noſcendis tot inſtrumentis diligentiam, comparandis numos , locandis forulos, utendis otium ſuffecturum ? Ego vero ſemper campum literarium comparatum judicavi veluti viridarium , omnis generis florum gemmis diſtinctum, non ut ſingulos rapias, ſed ut eligas ſubinde, cui dicas , tu mihi places inprimis. Ut enim non omnes plantæ , ita nec libri omnes perennant, ætatemque ferunt. Pleroſque, qui cito naſcuntur , cito diſperire videas : bonorum autem laus ætaſque perennis eſt , licet nonnumquam latius diffundi eorum uſus poſſet , ſi ſermonis genere doctis omnibus familiari uti vellent ſcriptores.

Habent hoc Franci præ ceteris , ut noviſſime omnis generis diſciplinas lingua vulgari proponere, patriamque citra peregrinorum ſubſidiorum anfractus erudire ſatagant. Qua in re ut multum eos luminis in ceteris accendere non diffiteor; ita in *diſciplinis*, quas exteris , Græcis & Romanis potiſſimum, maximam partem debemus, non perdunt quidem operam penitus , ſed facere tamen nequeunt, quin vel obſcuri fiant , vel in multas circumlocutiones incidant . Habet enim quælibet diſciplina e ſolo natali propria vocabula , propriique ſenſus formulas & conceptiones verborum , quas difficillime in alium ſermonem convertas , niſi obſcurus fieri velis : quod etiam contingit, qui v. c. juriſprudentiam civilem germanice tradere adgrediuntur, ac mire ſe torquent in exprimenda diſtinctione *juris in re* & *juris ad rem*: quorum illud *ein dingliches Recht* , hoc *kein dingliches Recht*, adpellare coguntur, licet nemo ineruditus ſenſum horum vocabulorum capiat.

Ne igitur præſtantiſſimum opuſculum, quod hic exhibetur , eadem incommoda premerent, nova ac eruditis omnibus amiciore veſte induendum videbatur , antequam recuderetur in Germania . Pretium ei omne ab auctore, cujus nomen inter Franciæ præſules diu illuſtre , atque doctis tanto notius, quanto ſidus illud FLEURIANUM in polo literario fulſit reſplenduitque diutius. Ne tamen ancipiti adpellationis fato circumveniamur, ſciendum eſt, duos hujus nominis præſules noſtra ætate floruiſſe in aula

Pariſienſi, doctrina, moribus, meritis officiiſque pares. Alter CHOISY de FLEURY, Forojulienſis in Provincia Ex-epiſcopus, regiæ pueritiæ magiſter, &, quod jam fama fert, purpuræ Romanæ candidatus. Alter CLAUDIUS, de quo nobis differendum. Natus is eſt Pariſiis gente nobili togata, patre cauſſarum patrono ſagaciſſimo. Adpulit animum a teneris ad ſtudia humanitatis, ad hiſtoriam, prudentiamque juris, ac denique ad diviniorum literarum ſanctiſſimam diſciplinam. Quibus artibus omnibus quum ſatis excultus ſubactuſque videretur, admotus eſt adoleſcentiæ fratrum, regii ſanguinis principum de CONTI, erudiendæ. In qua palæſtra noſter tanta eruditæ pietatis ac moderationis ſpecimina edidit, ut ipſe potiſſimum eligeretur, cui cum ceteris educatio & inſtitutio filiorum Delphini, principum juventutis crederetur. Tantorum in hoc inſtitutionis officio defunctorum laborum præmium tulit *Loci Dei* (a) *Abbatiam*, quam tamen dimiſit, ſimulatque regio beneficio Prior *Argentelienſis* factus eſt, pluralitatem beneficiorum, quam damnavit in aliis, evitaturus. Membrum fuit Academiæ Pariſienſis, cui uberior linguæ Francicæ cultura propoſita eſt. Denique ab obitu LUDOVICI XIV. electus eſt, qui Regi Chriſtianiſſimo LUDOVICO XV. eſſet a confeſſionibus: quod munus non niſi perfectiſſimis presbyteris credi conſtat. Sic igitur ferme ſemper in aula vixit, ſed in aula veluti in ſolitudine inter libros & pulpita delituit, donec, abdicato paullo ante regiarum confeſſionum munere, d. 14. Jul. 1723. fato fungeretur octogenario major. Scripſit *lingua vernacula* plura volumina, videlicet *de ſelectu & methodo ſtudiorum*; deinde *catechiſmum hiſtoricum*; tum *de moribus Iſraelitarum*; porro *de moribus Chriſtianorum*; denique *hiſtoriam eccleſiaſticam* modis omnibus abſolutam; poſtremo has *juris eccleſiaſtici inſtitutiones*, quæ primum 1677. deinde 1688. lucem adſpexerunt; poſtremo 1722. recuſæ (b).

Commendat autem hunc fœtum omnium maxime parens, longa juris eccleſiaſtici tritura & experientia ſubactiſſimus, qui ſingulorum argumentorum origines, naturam, progreſſum, fata & faciem præſentem mira perſpicuitate & concinnitate proponit, nervumque rerum, quas in pluribus voluminibus disjectas deprehendes, ſic congeſſit ſub obtutum, ut ſingulorum titulorum uſum ad ſanctionem Francorum pragmaticam, ad Concordatum & ad conſtitutiones noviſſimas attemperaret. Quæ quidem res facit, ut Francis, quam exteris, libellus videatur utilior. Interim nec ſpernendus nobis, qui ex Concordatis nationis Germanicæ recentiorum temporum hiatum facile obſtruimus.

Quo fine exorari ſe paſſus eſt Illuſtris Dn. BOEHMERUS, affinis meus colendiſsimus, ut e penu ſua promeret animadverſiones, quibus partim obſcuriora auctoris loca explanantur, timidius dicta luce perfunduntur,

(a) Loc Dieu *Abbatia Ord. Ciſtercienſis, Diœceſis Ruthenenſis*.

(b) *Ludovicus Ellies DU PIN in Biblioth. Scriptor. Eccleſ. Sæcul. XVII. pag. 110. edit. Belg.*

duntur, dubia removentur, falſa corriguntur diluunturque, ac omnia ſimul ad uſum Germaniæ adplicantur. Similitudo ſtudiorum inter utrumque tanta eſt, ut dignum FLEURIUM hoc commentatore, dignum hoc auctore BOEHMERUM Commentatorem facile æſtimet, cui utriuſque viri in jus eccleſiaſticum merita non ſunt incognita.

Tædioſiorem laboris partem ſors mihi objecit, ut grammaticum agerem, eaque, quæ auctor ſermone vulgari conciſe & rotunde ediſſeruit, eodem numero latina redderem. Non tamen ſemper licuit eſſe grammaticum. Quum enim in hoc interpretationis genere phraſeologia juris canonici proram puppimque faciat, ſermonis puritas & elegantia ſæpe numero fuit canonum ſtribligini poſtponenda. Quare tantum abeſt, ut doctorum aures me offenſurum credam, ut potius hac preſſa diligentia magnam apud eos gratiam iniiſſe exiſtimem. Ubique autem preſſe ſecutus auctorem, quantum per utriuſque linguæ genium licuit, maxime velificatus ſum perſpicuitati, quam boni interpretis præcipuam virtutem poſtulant talium rerum periti.

De cetero nihil eſt, quod verear, ne diverſa ſacra, quibus auctor addictus fuit, pretium libelli minuant; quia Romanis ritibus initiati canonum ſtudio præ ceteris incumbere ſolent, & noſter potiſsimum plenus eſt bonæ frugis. Nam & de primatu Papæ tam ambigue loquitur (*a*), ut eum magis deſtruere, quam adſtruere videatur, & de falſis decretalibus ſincerum fert judicium. Nec diſsimulat propriæ vulnera eccleſiæ, corruptionesque & morum ac diſciplinæ depravationes ingenue fatetur & agnoſcit, haud dubie a noſtratibus inter teſtes veritatis, qui noſtra ætate vixere, maximos referendus.

(a) *Tantum abeſt quod Fleuryus de primatu Pontificis dubitaret, quin potius argumenta ſuppeditet, quibus aſtruitur. Verum ſi quid liberius ab eo dictum, id viro Gallo ignoſcendum; neque inde quidquam ab heterodoxis errores ſuos defendendi gratia in malam partem vertendum eſt.*

TYPO-

TYPOGRAPHI AD LECTOREM

De hacce nova Editione.

DE prima hujuſce Opuſculi Editione paucula poſt Latinum Interpretem præfari neceſſe viſum eſt. Illud nempe Auctor ipſe primum evulgavit Pariſiis anno 1687. in 12. 2. vol. Sed in præfixa Admonitione obſervat, jam ante decennium ſub nomine Bonelli prodiiſſe. „ Neſcio , inquit , „ an revera „ extiterit Bonellus iſte; verum id probe novi , ſcilicet Opuſculum ſub ejus „ nomine editum , a me & in meos uſus conſcriptum fuiſſe anno 1668. abſ„ que ullo conſilio ut in lucem proferretur ; atque etiam me inſcio lucem vi„ dit. „ Prima hæc Editio altera quæ Fleurianum nomen præ ſe fert , multo brevior, ſic inſcribitur: Inſtitution du Droit Eccleſiaſtique de France , compoſee par feu Mr. Charles Bonel Docteur en Droit Canon a Langres, & revu avec ſoin par Mr. de Maſſac ancien Avocat au Parlement. Pariſ. 1677. in 12. In Præfatione legitur , librum hunc ante obitum Bonelli non editum, diu in ejus muſæo varias inter chartas neglectum fuiſſe; at exemplar autographum poſtea tranſiiſſe in manus D. Maſſaci, ab ipſo per biennium fuiſſe detentum, poſtea vero Editori , cujus curis evulgatum eſt , traditum ; cum approbatione data Pariſiis 15. Julii 1675. Bonellus autem fictitius homo creditur; Angelus vero Maſſacus, Pariſienſis Cauſidicus fuit , natus circa annum 1600. & anno 1676. denatus; de quo Abbas Marollius loquitur , tanquam de amico ſingulari, quocum Humaniores Literas abſolverat in Collegio Marchiano Pariſienſi. Liber ipſe Fleurianus Compendium eſt Practicæ Juris Canonici, ad uſum hodiernum accommodatæ.

De ejus Vita ſcriptiſque conſulendus, præter Dupinium a Cl. Grubero citatum, Niceronius in Commentariis ad Hiſt. Virorum Illuſtrium Tom. VIII. & X. cui addimus , rurſus excuſum fuiſſe Gallicum exemplar Lugduni 1712. in 12. & Bruxellis 1722. in 8. vol. Verſio autem Latina , quam omiſit , primum lucem adſpexit Lipſiæ anno 1724. ac ſecundo 1733. in 8. quam ſecuti ſumus , & accurate recudendam curavimus , cum nitidiori & meliori charta , additis animadverſionibus Juſti Henningii Boehmeri , quæ quum Venetiis ex Typographia Baleoniana maximam partem mutilatæ lucem aſpexerint , a nobis integræ , prout ratio poſtulat , exhibentur.

AD

AD NOVISSIMAM HANC EDITIONEM

PRÆFATIO ALTERA.

NEmo ſane ignorat, quantum de re litteraria meruerit Claudius Fleuryus. Tanti viri laudibus quidquam adjicere, profecto ſupervacaneum foret, quum ſatis ſuperque conſtet, quanto polluerit ingenio, quanta in rebus eccleſiaſticis eruditione, quantum denique in omnibus ad artis criticæ regulas expendendis excelluerit.

Liber Inſtitutionum Eccleſiaſtici Juris, quem exhibemus, inter præcipua ejus opera quidem connumerandus eſt. Mira in brevitate ejus perſpicuitas, & uberrima eruditionum meſſis. Huic illuſtrando ſedulam navavit operam Juſtus Henningius Boehmerus J. C. ſuaſque adjecit animadverſiones. Quid in his effectum a docto viro, legenti ſatis compertum ſit; at quidem redarguendus, quod eos, quibus ducuntur heterodoxi, errores & præjudicia deponere non ſit niſus. Eccleſiam ſiquidem Romanam, ejuſque diſciplinam, viros Deo dicatos, ipſumque Pontificem, prout occurrit occaſio, dilacerare non erubuit. Iſtiuſmodi exemplar, ut omittam cætera, habemus pag. 45. ubi de mendicantibus religioſis, quos populum ſuperſtitione inficientes declamat; pag. 106., ubi de matrimonio, quod negat novæ legis ſacramentum; pag. 171., ubi ſummus Pontifex deridetur, atque alia hujuſmodi tanto viro cæteroquin ſapiente indigna. In his omnibus refellendis tempus terere haud nobis animus, quum hanc provinciam obierint alii, ſummamque in ea laudem adepti ſint. Illud monendi tantum lectores ſunt, ut roſas eligant, ſpinaſque ſegregent, mellaque e floribus ſugant a venenis quammaxime abhorrentes.

IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM JURIS ECCLESIASTICI

INDEX I. CAPITUM.

PARS I.

CAP. I. DE origine juris eccleſiaſtici. pag. 3
II. De diviſionibus juris eccleſiaſtici. 13
III. De clero in univerſum. 17
IV. De irregularitatibus ſeu de vitiis, ob quæ clericum fieri prohibetur. 20
V. De prima tonſura. 23
VI. De quatuor minoribus ordinibus. 25
VII. De ordinibus ſacris univerſim. 28
VIII. De ſubdiaconis & diaconis. 31
IX. De presbyteris. 34
X. De promotione epiſcoporum. 36
XI. De epiſcoporum conſecratione. 42
XII. De functionibus epiſcopi interioribus. 44
XIII. De functionibus epiſcopi exterioribus. 47
XIV. De archiepiſcopis, patriarchis, primatibus. 48
XV. De epiſcopatibus vel erigendis, vel ſupprimendis, itemque de epiſcopis nomine talibus, & de coadjutoribus. 52
XVI. De translatione & reſignatione epiſcoporum, itemque de ſede vacante. 54
XVII. De canonicis. 57
XVIII. De curatis, chorepiſcopis, archipresbyteris. 60
XIX. De archidiacono, vicario generali, pœnitentiario & theologo. 62
XX. De academiis, collegiis & feminariis. 64
XXI. De origine & progreſſu vitæ monaſticæ. 67
XXII. De ceteris religioſorum ordinibus. 71
XXIII. De votis & de profeſſione religioſa. 75
XXIV. De paupertate, ceteriſque regularium votis. 77
XXV. De clericatu regularium, eorumdemque exemtionibus. 81
XXVI. De regularium reformationibus. pag. 84
XXVII. De rectoribus regularium. 87
XXVIII. De religioſis virginibus & eremitis. 90
XXIX. De privilegiis clericorum. 93

PARS II.

CAP. I. De anno, diebus feſtis & abſtinentiis. pag. 95
II. De divino officio. 97
III. De baptiſmo, confirmatione, euchariſtia. 100
IV. De pœnitentia, extrema unctione, ordine. 103
V. De matrimonio & cauſis matrimonium impedientibus. 106
VI. De nuptiarum ſolemnibus earumdemque diſſolutione. 108
VII. De eccleſiis ædificandis, & conſecrandis. 112
VIII. De reliquiis, vaſis & libris ſacris. 115
IX. De ſepulturis. 117
X. De bonis eccleſiaſticis in univerſum. 119
XI. De bonis eccleſiaſticis continuatio. pag. 121
XII. De bonorum eccleſiaſticorum alienatione & acquiſitione. 124
XIII. De decimis. 127
XIV. De beneficiis in univerſum. 130
XV. De beneficiorum collatoribus. ibid.
XVI. De jure patronatus 133
XVII. De his, qui laurea academica ſunt inſigniti. 136
XVIII. De indultu, regalia, ceteriſque regis Franciæ nominationibus. 138
XIX. De qualitatibus ad obtinenda beneficia neceſſariis. 141
XX. De reſignationibus & devolutionibus. 142
XXI. De forma proviſionum. 145
XXII. De adipiſcenda poſſeſſione beneficiorum eccleſiaſticorum. 147
XXIII. De utendis bonis eccleſiaſticis & de reparationibus. 149
XXIV. De aliis beneficiorum oneribus. 151
XXV. De penſionibus. 154
XXVI. De commendis. 156
XXVII. De beneficiorum pluralitate. 158
XXVIII. De reſidentia. 160
XXIX. De unione beneficiorum. 162
XXX. De religioſis domibus. 164

PARS

PARS III.

CAP. I. De juriſdictione eccleſiaſtica. 166
II. De conciliis. pag. 171
III. De judice ordinario & delegato. pag. 174
IV. De juriſdictionis eccleſiaſticæ adminiſtris. 177
V. De competentia judicis eccleſiaſtici. 179
VI. De proceſſu civili. 182
VII. De proceſſu civili continuatio. 186
VIII. De hæreſi, aliiſque læſarum religionum criminibus. 189
IX. De inquiſitione ejuſque origine. 192
X. De proceſſu inquiſitionis. 195
XI. De ſimonia. 199
XII. De homicidio & de concubinatu. pag. 202
XIII. De uſuris. 204
XIV. De delicto communi & caſu privilegiato. 208
XV. De proceſſu criminali antiquo. 211
XVI. De proceſſu criminali hodierno. pag. 213
XVII. De foro epiſcoporum. 216
XVIII. De pœnis canonicis. 219
XIX. De depoſitione & degradatione & ſuſpenſione. 220
XX. De excommunicatione. 222
XXI. De interdicto. 226
XXII. De abſolutionibus. 228
XXIII. De appellationibus. 229
XXIV. De appellatione tamquam ab abuſu. 232
XXV. De libertatibus eccleſiæ Gallicanæ. 233

APPENDIX.

De rebus cleri gallicani commentarius. pag. 237

INDEX II. AUCTORUM,

qui in notis allegantur.

Acta ſanctorum.
Agobardus.
Albertus magnus.
Alexander (Natalis.)
Alteſerra.
Ambroſius.
Anſillon.
Arnoldus Lubecenſis.
Athanaſius.
Aufrerius.
Baluzius.
Barboſa.
Barclaius.
Baſnagius.
Belluga.
Bernardus.
Blondellus.
Bona Cardin.
Brandt.
Brovverus.
Budæus.
Burnetus.
Cæleſtinus.
Calderinus.
Callio.
Choppinus.
Chriſtianæus.
Chryſoſtomus.
Clemens.
Coccejus.
Cobellius.
Ciontius.
Concinus.
Coringius.
a Coſta.
Cyprianus.
Damianus.
Dartis.
Deſpeiſſius.
de Dominis.
Donatus.
Duarenus.
Dugloſſus.
Durandus.
Eraſmus.
Eſpencæus.
Eſpenius.
Eveillon.
Euſebius.
Farinacius.
Ferretius.
Fileſacctus.
de Flaſio.
Fleury.

Fle-

Florens.
Freberus.
Friderici.
Gibalinus.
Gregorius M.
Gregorius Turonenſis.
Harduinus.
Hericurtius.
Hertius.
Hieronymus.
Hilarius.
Hincmarus.
Jagerus.
Januarius.
Ignatius.
Imbertus.
Irenæus.
Juſtellus & Voellius.
Juſtinus martyr.
Kiene.
Labbeus.
Lactantius.
Lambertus Schaffnab.
Launojus.
Lazarius.
Limborch.
de Ludevvg.
Mabillon.
Maimburgius.
de Marca.
Martene.
Maſſonus.
Matthæi.
Matthæus Pariſ.
Mavitius.
Mendo.
Merillus.
Molinæus.
Moreau.
Morinus.
Mornacius.
Myler ab Ehrenbach.
de Oliva.
Optatus.
Origenes.
Pallavicinus.
Papenius.
a Paramo.
Pariſius.
Paſſerinus.
Peck.
Pellizarius.
Pertſch.
Petrus Bleſenſis.
Pez.
Pfaffius.
Photius.
du Pin.
Platina.
Plinius.
Poſtius.
Quemada.
Raynaldus.
Raynaudus.
Renaudot.
Robertus.
la Roche.
a Royas.
Roye.
Sarpius.
Sauſſau.
Sauſſay.
Saxe Grammaticus.
Schilter.
Schrader.
Sibbern.
Sirmondus.
Socrates.
Sozomenus.
Spanheim.
Spondanus.
Squillante.
Stryk.
Sulpitius Severus.
Symmachus.
Tamburinus.
Tertullianus.
Thomas Aquinas.
Thomaſius.
Thomaſſinus.
Tenduti.
Tournetus.
Ughellus.
Vitringa.
Werlhof.
Zieglerus.
Zoſimus.
Zypæus.

PRÆ-

PRÆFATIO
AUCTORIS.

I. Subſidio tironum, qui animum ad imbibendam juris Eccleſiaſtici ſcientiam adjungunt, deſtinatum eſt hoc opuſculum, quo iſtius artis termini explicantur, potioreſque regulæ cum rationibus traduntur, ut perſpecta principiorum firmitate, cum facilius retineantur, tum eo lubentius obſerventur. Sunt enim *ſacri canones* non ab hominibus excogitati; ſed ab Apoſtolis, divinitus afflatis, eorumque ſucceſſoribus epiſcopis, eodem ſpiritu actis, inde a primis Eccleſiæ incunabulis ſanciti, ad conſervandam fidem ac diſciplinam JESU-CHRISTI; quod ipſum hujus ſtudii objectum eſt.

II. Quod qui rite ſuſcepturus eſt, eum ad ipſos fontes recurrere, atque ante omnia devota attentione ſacram ſcripturam, ac in primis *novum teſtamentum;* deinceps *veteres canones*, qui principio hujus operis indicantur; denique *recentiores conſtitutiones*, quibus hodiernus uſus addiſcitur, perlegere oportet: in quibus poſtremis pariter cana illa priſtinæ diſciplinæ ſanctitas pellucet, quamvis ſuperiorum temporum ignorantia, affectibus, diverſiſque humanorum compendiorum conſiliis haud parum deformata. Atque ut veteres recentioreſque canones recte intelligantur, addiſcenda eſt ſignificatio terminorum uſitatorum, diſtinguendaque principia a concluſionibus; regulæ ab exceptionibus: quod inſtitutionum proprium eſt. Quarum neceſſitatem quum ſemper perſpectam habuerim, exoptaverimque in omni ſtudiorum genere; ipſe ad *Catechiſmum hiſtoricum* atque ad *rationem ſtudiorum* recte ineundam manum admovi. Nam talibus adminiculis qui deſtituuntur, ii in tenebris repunt, diſciplinam per particulas arripiunt, auctoritates obvias ſequuntur, dubiiſque & incertis opinionibus replentur.

III. Atque hæc ipſa conditio eſt *practicorum*, qui juris eccleſiaſtici prudentiam ea ratione addiſcunt, qua viliſſimæ artes addiſcuntur, in quibus diſcipuli intuentur opus magiſtri, obſervantque ſedulo, quæ ipſis circa ſingula opera facienda præcipiuntur. Unde contingit, ut, ſi practicos JCtos interroges, quare hoc vel illud faciant, nihil aliud reſponſi exſpectaveris, quam uſum hoc ferre, magiſtroſque artis idem illud feciſſe. Interim id quoque cavendum, ne in contraria curramus, nimiamque methodi ſubtilitatem ſectemur, quæ fere degenerat in ſcholaſticas umbraticorum hominum tricas, qui terminorum vel maxime perſpicuorum definitiones excogitant, diviſionumque ac ſubdiviſionum diviſiones producunt in infinitum; qua minuta diligentia cuncta obſcurantur, memoriaque magis oneratur, quam intellectus illuſtratur.

Digitized by Google

IV. Ante omnia tironum eſt ſcire, quibus auctoritatibus ſit ſtandum. Quod qui ignorant, ii in alterutrum horum periculorum incidunt, ut vel lubrica fide nitantur, vel de omnibus dubitent. Sunt autem auctoritates iſtæ, quibus in hoc inſtituto ſtandum eſt, primum *ſacra ſcriptura*, ſenſu proprio & literali accepta; deinceps conciliorum cum generalium, tum particularium, in eccleſia recepti, *canones*; porro *conſtitutiones pontificum*, quatenus receptæ ſunt, uniuſquæcumque diœceſeos ac provinciæ propriæ; denique ipſæ *principum conſtitutiones*, ad tuendam diſciplinam eccleſiaſticam canonumque obſervantiam promulgatæ, longoque uſu receptæ. *Decreta* ſunt tantum exempla ſingularia, quæ neutiquam ad idem judicium ferendum in caſu ſimili obligant; ſi caſus ſimiles per omnia occurrunt; quod rariſſime fieri ſolet. *Deciſiones* doctorum ſunt conſilia, pro modo famæ eorum, a quibus proficiſcuntur, æſtimanda. Atque hæc judicum decreta; hæ doctorum deciſiones regulis annumerandæ non ſunt. In his qui tuto verſari cupiunt, iis indagandæ ſunt rationes, quibus judices & doctores ducuntur, nec indagandi finis prius faciendus, quam diſerta vel ſcripturæ vel canonum auctoritas, vel prona ex his principiis ſecundum regulas Logices exactiſſimas deducta conſequentia ſeſe prodiderit.

V. Cave itaque a nobis exſpectaveris, quod vulgo *practicam beneficialem* vocant, hoc eſt, præcepta noviſſimorum *canoniſtarum*, quibus artibus beneficia eccleſiaſtica vel acquirenda vel conſervanda ſint, ad quæ plerique vel ambitione vel avaritia trahuntur, eluſa veterum canonum ſanctitate & ſalutari diſciplina. Quin mihi propoſitum eſt, renovare atque mendare veterem diſciplinam, ejuſdemque convenientiam cum recta ratione ac cum ipſo Evangelio demonſtrare. Quam qui recte cognoverit, ille non poterit non eandem amare, eorumque temporum, quibus illa viguit, prædicare felicitatem. Viguit autem illa diutius, quam vulgo creditur, depravationeſque longe ſunt recentiores, ac vulgo traditur: quod in *Hiſtoria* mea *Eccleſiaſtica* demonſtratum eſt. Longe magis autem conſentaneum eſt, pro regula ſectari quod Eccleſiæ placuit, & per duodecim ſæcula obſervatum eſt, quam quod quinque poſterioribus ſæculis Eccleſia toleravit atque emendare ſatagit.

VI. Denique juriſprudentia pars ethices eſt, nihilque aliud, quam ſtudium regularum juſtitiæ, quæ nobiſmet ipſis primum ſunt obſervandæ, ac deinde aliis per conſilia vel decreta præcipiendæ. Univerſa juris Eccleſiaſtici prudentia morum diſciplina Chriſtiana nititur, nec rigorem juris, qui ſæpe in ſummam degenerat injuriam, ſectari debet; ſed inſpirare æquitatem, compendiorum contemtum, animi demiſſionem, caritatem ac pacis ſtudium.

VII. Commentarium de rebus Cleri Francici, ad calcem operis adjectum, ex ſchedis partim impreſſis, partim manuſcriptis, præſertim iis, quæ celebrem in Pariſienſi ſenatu Advocatum, *Patruvium*, auctorem agnoſcunt, in uſum regiorum ſecretorum arbitri, Marchionis de Segnelay, anno CIↃ IↃC LXXX. compilavi.

INSTI-

INSTITUTIONUM
JURIS ECCLESIASTICI
PARS I.

CAPUT PRIMUM.

De Origine Juris Eccleſiaſtici.

I. TRIBUS prioribus ſæculis Eccleſia vix alias leges habuit, quam ſcripturam veteris & novi Teſtamenti. Caritas, qua ducebantur Chriſtiani, litibus vix locum fecit, &, ſi quæ naſcebantur, illæ per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, pios paſtores, componebantur (1). Quorum auctoritas mere *ſpiritualis* fuit, innixa quippe poteſtati, quam Chriſtum paſtoribus in gregem ſuum dediſſe cuncti perſuaſi erant, miraculiſque & virtutibus, quæ in pleriſque paſtoribus elucebant, comprobata, nec ultra *curam animorum* extenſa. In ceteris rebus Chriſtiani principibus & magiſtratibus obtemperarunt, legum civilium obſervantiſſimi.

Apoſtolorum ſucceſſores epiſcopi ſpiritualem poteſtatem regendi eccleſiam nacti ſunt,

II. Apoſtoli epiſcopis ac presbyteris nonnulla præcepta, ad curam animarum Eccleſiarumque gubernationem generatim pertinentia, tradiderant, quæ longo tempore hominum memoria conſervata, ad ultimum ſcriptis conſignata

Ac de ea receptas regulas a Apoſtolis

(1) Nonnullas controverſias ope Apoſtolorum ſedatas fuiſſe, docet Scriptura ſacra. Nec turbis & factionibus caruerunt Eccleſiæ, teſte epiſtola CLEMENTIS *ad Corinth.* quæ tamen non *imperio Romanæ Eccleſiæ* ſedatæ, ſed precibus, adhortationibus, & remediis charitativis. Poſt exceſſum Apoſtolorum magnopere creverunt *turbæ internæ*, teſte EUSEBIO *lib. III. H. E. c.* 32. quæ eo minus præcaveri poterant, quod Eccleſiæ eſſent ſibi relictæ, a republica fugatæ, & imperio quodam proprio deſtitutæ. Inde plura pedetentim jura nata & inſtituta Eccleſiaſtica, quæ neceſſitas communis produxit, *c.* 5. *D.* 95. non *apoſtolica* quædam *regula*, ut vulgo creditur.

ta ſunt, licet auctore ac tempore incertis. Unde nati ſunt *canones Apoſtolici* (a græco vocabulo κάνων, quod latinis *regulam* ſignificat), & *conſtitutiones Apoſtolicæ*, quæ S. Clementi Papæ tribuntur: licet earum auctoritas non ſit omni exceptione major, quandoquidem diverſæ diverſis temporibus laciniæ iis fuerunt aſſutæ.

Quæ Conciliorum decretis aucta ſunt,

III. Plurium civitatum epiſcopi (1) nonnumquam ad decidendas cauſſas majoris momenti convenerunt, quorum congregationes latinis *concilia*, græcis *σύνοδες* audiunt. Tribus prioribus ſæculis ob perſecutiones rarius hujuſmodi conventus agebantur; nonnulli tamen etiam ex his temporibus ad notitiam noſtram pervenerunt, veluti concilia ſub Victore Papa an. 196. de controverſia paſchali habita: (a) Concilium Carthaginienſe ſub Agrippina epiſcopo, cujus mentionem facit Cyprianus *ep.* 71. ipſa Cypriani concilia, aliaque plura. Toties enim habebantur, quoties id fieri commode poterat. Sed ex quo Conſtantinus M. Eccleſiæ pacem reſtituit, frequentiores atque ordinatiores fuere epiſcoporum conventus (2). Ipſo enim imperante, celebrata ſunt an. 314. Ancyranum in Galatia & Neo-Cæſarienſe in Ponto, quæ ſunt eorum, quorum canones ſuperſunt, antiquiſſima concilia. Ejuſdem auſpiciis coactum fuit an. 325. Nicææ in Bithynia Concilium Œcumenicum I. a cunctis orbis Romani epiſcopis frequentatum. Secuta ſunt tria particularia, videlicet an. 341. Antiochienſe; an. 370. Laodiceum in Phrygia; an. 375. Gangrenſe in Paphlagonia, quorum canones maximi habebantur. Denique an. 381. celebratum fuit Conſtantinopoli œcumenicum Concilium II.

Unde natus eſt codex canonum,

IV. Horum ſeptem conciliorum, videlicet duorum univerſalium & quinque particularium, canones, in unum corpus collecti ſunt, quod appellatum fuit *codex canonum eccleſiæ univerſalis*: quo concilium Calchedonenſe uſum fuiſſe conſtat, cujus *can.* 1. generatim comprobatur. Huic codici acceſſerunt canones concilii Epheſini, Œcumenici III. quod an. 430. habitum, & Calchedonenſis Œcumenici IV. an. 450. celebrati. Denique L. canones apoſtolorum, nec non canones concilii Sardicenſis, quod an. 347. celebratum & a pluribus Eccleſiis pro continuatione concilii Nicæni habitum eſt, eidem codici adjecti fuerunt (3).

V. Om-

---

(1) Non epiſcopi tantum convenere, ſed alii quoque Eccleſiarum delegati, & quidem ex quadam *confœderatione privata*, non *imperio* aut *præcepto* ſuperioris cujuſdam vocati. Atque hi conventus per hæc tempora neceſſarii erant, quod rebus ſuis conſulere, & a ſemet ipſis præſidium petere coactæ fuerint Eccleſiæ, utpote a republica derelictæ, fugatæ, & omni publico auxilio orbatæ. Turbæ in Eccleſiis Africana & Romana contra *Cyprianum* & *Cornelium* ortæ non niſi privata providentia Eccleſiarum ſedandæ erant, & quia adhuc Eccleſiæ in *unione intima* perſiſtebant, communi auxilio laboranti navi ſuccurrebant. Idem judicium eſto de aliis conciliis eo tempore habitis. Non eadem conciliorum ratio fuiſſe videtur ſub temporibus ſequentibus pace Eccleſiæ reddita.

(2) Sed ſimul a priorum conciliorum ratione magis abhorrentes. Hierarchia epiſcopalis jam fundamenta jecerat. Cogitatum de regno Eccleſiaſtico Ariſtocratice gubernando. Quid ergo aliud ab eo tempore erant concilia, quam *comitia regni Eccleſiaſtici*? Cæſares quidem ea indicebant, ſed epiſcopi controverſias de *fide* & *diſciplina Eccleſiaſtica* decidebant, imperatoribus gloria exequendi relicta. Cur? quia, quod in conciliis deciſum, *veritatis divinæ* efficaciam habere credebatur. SOCRAT. *lib. I. c.* 9.

(3) Canones *apoſtolici* codici huic orientalis Eccleſiæ minime adjecti ſunt. Imo ne quidem *priſca editio latina canonum*, quam JUSTELLUS & VOELLIUS in *bibliotb. jur. can.* ſiſtunt, eos habet, cui tantum noviter Sardicenſes adjecti, quod jam antea Eccleſia Romana *Nicænis* cano-

(a) *Fleury Hiſt. Eccl. l.* 4. *n.* 43.

Græce ſcripti,

V. Omnes iſti canones græca lingua concepti fuerant; ſed in Eccleſiis occidentalibus recepta fuit antiqua verſio latina, cujus auctor incertus eſt. Hac veteri compilatione uſum fuit concilium Chalcedonenſe, ipſaque Eccleſia Romana uſque ad ſæculum ſubſequens: nec ceteræ per Galliam Germaniamque Eccleſiæ uſque ad ſæculum IX. aliam noverant. Denique DIONYSIUS Exiguus, qui circa an. 520. Romæ vixit, novam verſionem, eamque multo fideliorem, adornavit, cui adjecit omnia, quæ tum temporis græco codice continebantur, videlicet, L. canones apoſtolorum (1) canones conciliorum Chalcedonenſis, Sardicenſis, Carthaginienſis, ac nonnullorum aliorum in Africa habitorum. Idem Dionyſius collegit *decretales epiſtolas* pontificum inde a Siricio, qui an. 398. obiit, uſque ad Anaſtaſium II. defunctum an. 498. Appellabantur autem *decretales epiſtolæ*, quibus pontifices, ab epiſcopis conſulti, decidebant (2) momenta diſciplinæ, quæve canonum loco habebantur, quemadmodum græci his æquiparabant decretales Dionyſii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi & Baſilii M. ad Amphilochum epiſtolas.

Et latine redditus, atque auctus decretalibus pontificum epiſtolis a Dionyſio Exiguo: quæ compilatio.

audit corpus canonum.

VI. Tanta autem fuit compilationis Dionyſianæ auctoritas, ut Eccleſia Romana ea ſemper deinceps uteretur ſub appellatione *corporis canonum*. Exſtitit præterea codex canonum Eccleſiæ Africanæ, maximam partem ex conciliis tempore S. Auguſtini habitis collectus, & ab ipſis græcis ob excellentiam regularum in linguam vernaculam translatus. Martinus, Bracarenſis Epiſcopus, qui circa an. 570. floruit, in Hiſpania idem fecit, quod Dionyſius Parvus Romæ, edita compilatione canonum ſecundum Orientales, quibus tamen nonnullos conciliorum Hiſpanicorum canones adjecit. In Francia tamen ſola vetus illa compilatio in uſu fuit, donec Carolus M. Dionyſianam, Romæ ab Adriano I. Pontifice an. 787. traditam, domum referret. (3)

Additamenta codicis græci.

VII. Orientales etiam veteri codici nonnulla adjecerunt, videlicet XXXV. canones apoſtolorum, qui L. reliquis additi; codicem Eccleſiæ Africanæ græcæ redditum; canones concilii Trullani an. 692., ut vicem ſuſtinerent canonum conciliorum Œcumenicorum V. & VI. quibus nulli canones fuerant proditi; denique canones concilii Nicæni II. Œcumenici VII. an. 787. Atque his partibus conſtitit *codex canonum Eccleſiæ Orientalis*. Hæc pauca præcepta univerſæ Eccleſiæ catholicæ per VIII. ſæcula ſuffecere. Occidentales pauciora habebant, eaque ab orientalibus maximam partem mutuata. Interim in *uſum Eccleſiæ Romanæ particularem* nulla tradita deprehendimus. Tanta enim conſtantia ac fidelitate inhæſit diſciplinæ ab

---

nonibus eos adjunxerit. Alia adhuc verſio latina in occidente fuit a priori quodammodo diverſa, quam PETRUS de MARCA *de vet. collect. c.* 2. refert. Forſan Auctor in verbis adductis intelligit codicem illum, qui in *Eccleſiis Francorum* circa annum 580. repertus fuit, cui demum ſpurii canones apoſtolici adjecti fuere, teſte GREGORIO Turonenſi *lib. V. c.* 18.

(1) Huic verſioni Dionyſianæ demum hi canones inſerti ſunt, in priſca verſione ut apocryphi rejecti vid. *præf. ad dict. verſ.* apud PETR. de MARCA. *cit. l. c.* 3.

(2) Hæ non *novæ leges Eccleſiaſticæ* erant, ſed deciſiones controverſiarum ortarum ex jure jam *conſtituto* vel per *mores* confirmato. Ea enim modeſtia adhuc utebantur pontifices, ut tantum de jure *conſtituto* pronunciarent, vel quærentibus reſponderent, quod etiam alii Epiſcopi inſigniores fecerunt.

(3) Adeo enim ſtudioſus erat Carolus M. Sedi Romanæ, ut omnia ad ejus normam componere, &, quæ reformatione indigere videbantur, ad ejus inſtituta conformare ſtuderet, ut etiam cantandi modum ab ea petierit MABILLON *in Act. Benedict. ad ſec. I. p.* 416.

ab apoſtolis traditæ, ut his remediis vix indigeret, ipſæque pontificum decretales epiſtolæ inde hauſtæ aliis Eccleſiis ſcriberentur (1). Jus hoc, quod primis VIII. ſæculis in uſu fuit, appellare poſſes *jus Eccleſiaſticum antiquum*.

Juris canonici novioris origines de bentur Pſeudo-Iſidoro.

VIII. Cui mox ſucceſſit *novum*. (2) Extremis enim Caroli M. temporibus ex Hiſpania per univerſum occidentem diſſeminata fuit collectio canonum, cui nomen neſcio cujus Iſidori præſcriptum erat, quem nonnulli *mercatorem* vocant. Illa continentur canones orientales ex interpretatione latina, Dionyſiana antiquiore; Canones plurium conciliorum Francicorum & Hiſpanicorum, &, quod omnium maximum, ingens numerus epiſtolarum decretalium, a pontificibus quatuor primorum ſæculorum ſcriptarum inde a Clemente uſque ad Siricium, a quo auſpicatus erat Dionyſius: licet hic, qui ducentos annos ante vixerat Romæ, conteſtetur, ab ipſo conquiſitas ſumma diligentia fuiſſe, quotquot reperiri potuerint, ſuperiorum pontificum conſtitutiones. Compendia harum decretalium inſerta fuere collectioni, quam Ingelramnus, Mediomatricum epiſcopus, edidit an. 781., (*a*) pluraque earum capita irrepſerunt in capitularia regum Francicorum, ſæpeque allegabantur. Sed Hincmarus (3) Rhemenſis, quum videret Nicolaum I. his abuti ad ſtabiliendam ſuam jurisdictionem in epiſcopos, contendit, decretales iſtas, quod corpore canonum non continerentur, plus auctoritatis, quam ipſos canones, habere non debere. Pontifex contra bene monuit, auctoritatem earum non e corpore canonum, ſed a ſcriptoribus, quos Pontifices fuiſſe exiſtimaverat, eſſe derivandam.

Cujus pia fraus detegitur,

IX. Noſtro ævo compertum eſt, decretales illas inde a Clemente uſque ad Siricium non ab eis, quorum nomina præferunt, profectas eſſe. Idem enim ſtili habitus in omnibus, ipſumque orationis genus a primorum ſæculorum ſimpli-

(1) Jam INNOCENTIUS I. hujus ſententiæ fundamenta jecit, contenditque, omnes Eccleſias occidentales ſeſe conformare debere ad mores Eccleſiæ Romanæ, quippe a qua, tanquam a *matre*, originem traherent. Verum nequidem in Italia Eccleſiæ uſum Eccleſiæ Romanæ agnovere, ut vel diverſitas in jejuniis, aliiſque oſtendit. Traditionum apoſtolicarum fulcrum ficulneum eſt, quod dudum alii oſtenderunt.

(2) Recte Auctor aſſerit *jus novum* his adulterinis epiſtolis orbi fuiſſe obtruſum, ſedi papali maxime gratum, ſed Epiſcoporum poteſtati ex diametro adverſum. Vicem Eccleſiarum admodum dolet Auctor *tom, XIII. in diſc. prælim. p.* 15. inquiens: *Inter ſcripta adulterina pernicioſiſſimæ fuere decretales, Papis quatuor primorum ſeculorum attributæ, quæ vulnus inſanabile Eccleſiaſticæ diſciplinæ attulerunt per regulas prorſus novas, quas potiſſimum circa epiſcoporum judicia & auctoritatem papæ introduxere.* Hinc illæ lacrimæ! Epiſcoporum imperio quid detractum, & pontifici adjectum. Enimvero ſi cogitarent Epiſcopi, nec ſuum *imperium ſacrum* fundatum eſſe, magis rebus Eccleſiæ conſulerent. Parum referre videtur, utrum imperium ſacrum penes *unum* ſit, ac penes *plures*, Ariſtocratice gubernantes, cum æque hoc ac illo caſu *Papatus* adſit, qui non Romæ, ſed in *imperio clericorum ſacro* quærendus.

(3) Plenius hoc Auctor docet *cit. l. p.* 15. *Hincmarus, ſummus alioquin canonum interpres, nunquam potuit falſitatem eorum detegere. Noverat quidem optime, decretales has præcedentibus ſeculis plane fuiſſe incognitas, imo is ipſe fuit, qui oſtendit, quo tempore in ſcenam prodierint. Sed deſtitutus erat arte critica, ut indicia falſitatis animadvertere non potuerit, utut alias in oculos incurrant, quin quod ad eas provocet, quoties in rem ejus faciunt.* Craſſiſſimæ ignorantiæ & defectui bonarum artium, ubique eo tempore regnanti hoc malum attribuit, docetque infinitas fabulas ea tempeſtate ortas fuiſſe.

(*a*) Vid. *hiſt. eccl. noſtr. l.* 44. *n.* 22.

plicitate abhorrens. Leguntur in iis ampliſſima capita e ſcriptis patrum, qui ſequiori tempore demum vixere, veluti S. Leonis, S. Gregorii, aliorumque: apparent porro leges a Chriſtianis imperatoribus latæ, quales tum non fuerant: res ipſæ, quæ referuntur, nec locis nec temporibus conveniunt (*a*). Sed quoniam per plura ſæcula pro genuinis habitæ fuere; dici non poteſt, quantam diſciplinæ eccleſiaſticæ mutationem induxerint, præſertim in argumento appellationum ad Pontificem, (1) quæ in iis pro ordinariis venditantur, & epiſcopalis juriſdictionis, quæ in his mire impeditur: cui fini has epiſtolas a ſe editas nec ipſe diffitetur Iſidorus.

Papæ velificantis.

Compilatio Gratiani.

X. Interea auctus eſt compilationum numerus, in quibus notanda eſt collectio Reginonis, Abbatis Prumienſis, (2) qui vixit an. 900. collectio Burcardi epiſcopi Wormatienſis an. 1020. collectio Ivonis Carnutenſis an. 1100. denique collectio GRATIANI, monachi Benedictini, quæ Bononiæ circa an. 1150. prodiit, quave continentur ſuppoſititiæ illæ decretales (3) pluraque e ſcriptis patrum, præſertim Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, Iſidori Hiſpalenſis loca, ſub certa capita redacta, multiſque *quæſtionibus* referta, quæ in utramque partem diſputantur oppoſitis auctoritatibus quas Gratianus conciliare nititur. (4) Propterea hæc compilatio ab ipſo inſcripta eſt *concordia canonum diſcordantium*, uſu tamen invaluit, ut *corpus decretorum*, vel ſimplicius *decretum* appelletur. Hoc opus, licet ſumme imperfectum, quod temporum injuria ſtudium Criticum tum exularet, nihilominus magno applauſu exceptum, &, licet ab *homine privato* profectum, cujus nulla erat auctoritas, in ſcholis prælectum, in foro allegatum, univerſalique conſenſu unicum juris canonici corpus habitum fuit. Id tamen agnoverunt omnes; loca, quæ in eo continentur, nullam a libro, ſed omnem a ſcriptoribus a quibus profecta ſunt, auctoritatem mutuari (5).

Papæ regnum ſpuriis decretalibus ſtabilitum.

XI. Ex illo tempore ob *eccleſiæ & reipublicæ* mala frequentioribus ex aula Romana conſtitutionibus opus fuit. Nam per bella illa, quibus minores illi principes, e ruinis regni Carolingici nati, perpetuo conflictabantur, nec Epi- ſcopi

(1) Præterea vero plura *reſervata Papalia* inde orta ſunt, quod impoſtor *cauſas majores* & *arduas* ſedi papali reſervaverit, quo ſub prætextu ſucceſſores, ſedis Romanæ heredes, plura ſibi *privative* adſcribere potuere.

(2) Collectio hæc, quæ diu latuit, anno 1659. ab HILDEBRANDO Primum Helmſtadii, poſtea vero a BALUZIO anno 1671. correctior edita & notis illuſtrata, quæ ex quisquiliis ISIDORI plura adoptavit, patrumque ſententias & leges Codicis Theodoſiani cum capitularibus Caroli M. recepit.

(3) Nec hoc adeo mirandum, cum Regino, Burchardus & Ivo, quorum collectiones GRATIANUS præ oculis habuit, has quiſquilias collectionibus ſuis, ſuffragantibus illorum temporum tenebris inſeruerint.

(4) Per ſubtiles quaſdam, ſed nec in ratione nec in *ſolida doctrina eccleſiaſtica* fundatas diſtinctiones. Ut plurimum patres, in *quæſtionibus controverſis* ſibi formaliter contradixere: concilia diverſis temporibus & locis congregata in diverſas tracta ſunt ſententias, quæ conciliari non potuere, & tamen in conſenſum a GRATIANO deducta per *diſtinctionem cerebrinam*, juxta methodum in ſcholis tunc uſitatam. Ita vero potuere quadrata rotundis æquari. Plures hæc methodus nova peperit doctrinas, in *decretalibus* paulo poſt approbatas, quorſum pertinet diſtinctio inter pœnitentiam *ſolemnem* & *minus ſolemnem*, v. MORINUS *de pœnit*. p. 322. inter *votum ſolemne & minus ſolemne*: inter ſponſalia *de præſenti* & *de futuro* &c.

(5) Id vix aſſeri *univerſaliter* poteſt. Plura ex ipſis Iſidori quiſquiliis recepta eſſe, vel *e. redintegranda*, imo ipſa aulæ Ro-

(*a*) Vid. *Concilia Phil. Labbei tom*. 1. *paſſim*.

ſcopi conventus agere, nec Metropolitani auctoritatem interponere valuerunt. Qui aliquo numero haberetur, nemo fuit præter pontificem, cujus reverentia major eſſe cœpit poſt oppreſſam Regolorum, Romæ vicinorum, tyrannidem (1). Sic poſt Leonem IX. & an. 1050. plura de morum & diſciplinæ emendatione habita ſunt concilia, quandoquidem quum Chriſtiani in univerſum, tum clerici luxu, libidine & avaritia corrupti fuere. Quibus vitiis bellum indictum fuit pluribus conciliis particularibus, quibus vel ipſi Pontifices vel eorum legati præfuere. Convocata ſunt quoque nonnunquam *generalia*, cum alibi, tum Romæ potiſſimum, quæ a loco congregationis vocantur *Lateranenſia*, in quibus eminet Lateranenſe III. an. 1215. ſub Innocentio III. cui potiora momenta diſciplinæ, quibus etiamnum Eccleſia regitur, debentur.

per academias, & religioſorum mendicantium ordines confirmatum.

XII. Innocentius ille, nec non Alexander III. aliique plures ſæculi XII. & XIII. Pontifices jurium erant peritiſſimi, nec canonum ſolum, ſed & legum Romanarum, quæ tum e ſitu reſuſcitabantur, callentiſſimi (2). Undiquaque propterea conſulebantur etiam in cauſis ſecularibus. Appellationes continuæ Romam deferebantur, ubi graviſſimæ cauſæ non ſolum Epiſcoporum, ſed Regum quoque ac Principum diſceptabantur. (3) Iiſdem temporibus ordines monachorum mendicantium & academiæ fuerunt inſtitutæ Pontificique immediate ſubjectæ, ex quibus prope omnes Prælati & Eccleſiæ miniſtri fuere delecti. Atque ſic factum eſt, ut nullæ leges generatim reciperentur, niſi quæ ab ipſo Pontifice, ſive in concilio præſidente, ſive in collegio Cardinalium decernente, proficiſcerentur.

legibus obruit orbem, quas

XIII.

Romanæ de cauſis *majoribus & arduis* doctrina docet.

(1) Non omittenda quoque erat Pontificum Romanorum ſeculo XI. & XII. indomita imperandi libido, quæ imprimis, ſub GREGORIO VII. erupit, qua Regum & Epiſcoporum poteſtatem conculcavit. CLEMENTIS III. & URBANI II. mutuæ concertationes notiſſimæ ſunt. Imo quis ignorat, hujus aſtutia expeditiones in *terram ſanctam* ſuſceptas fuiſſe, qua eſca etiam infiniti Epiſcopi & Prælati capti ſunt, ut *crucis ſignum* avide expeterent, ſed ſimul Pontifici Romano anſam præberent hiſce abſentibus, ſuam poteſtatem augendi. Succincte hoc demonſtrat AUCTOR *tom. XVI. hiſt. Eccl. in diſc. prælim.* §. 6. Paucis primario indomita Paparum ambitio tot infinitas peperit decretales. (Neſcio quid S. Gregorio VII. imputare Auctor adnotationum poſſit; niſi forſan accuſare velit, quod ipſe ut ſimoniacam labem, & Nicolaitarum hæreſim extingueret, in odium pervenit Henrici ſibi uſurpantis ſimoniacas inveſtituras & Clericorum etiam, qui huic crimini obnoxii erant, & qui contendebant licere ſibi uxorem ducere. Reſtitit utriſque pari conſtantia Sanctus Vir. Urbanus II. latum a deceſſoribus ſuis in Henricum IV. anathema integravit; hæreſim Berengarii, Inveſtituras, Pſeudopontificem Clementem, Simoniacos, Nicolaitas, ætatis illius peſtes teterrimas opprimere atque delere ſtuduit. De providentia vero Papæ propter expeditiones in Terram Sanctam, multa apud Ordericum Vitalem Hiſt. Eccl. l. 9. apud Ducheſnium; conſulatur inſuper Joannes Morinus lib. 10. de Adminiſtr. Sacram. Pœnit. cap. 19. §. 10. & Mabillonius ſæcul. VI. Bened. pag. 903. n. 6.)

(2) *Si prudentiam juris arguit, ex gloſſis ſapere. Sine ullo poteſt oſtendi negotio, Papas in decidendis litibus, quæ ex jure Romano naſcebantur, ſemper fere lapſos fuiſſe, quod non adeo mirandum, dum ſolidis juris Romani fundamentis deſtituti fuere. Magis ergo corruperunt juris hujus diſciplinam quam illuſtrarunt, & tamen eorum auctoritas effecit, ut his erroribus etiam tritura forenſis fuerit infecta.*

(3) *Sub prætextu peccati evitandi.* v. *c. 12. X. d. for. comp.* Ita tandem Pontifex arbitrium omnium quæſtionum *juris publici & Gentium* ſuſcepit, ſed u-

tram-

decretalium nomine evulgat Gregorius IX.

XIII. Poſt decretum Gratiani plures decretalium collectiones (1) factæ ſunt, in quibus ſola *Gregoriana* an. 1234. per Raymundum de Pennaforte, natione Catalanum, ordine Dominicanum, Gregorii IX. Capellanum, compilata, publicam auctoritatem indepta fuit. Ea continentur decreta magni concilii Lateranenſis an. 1215. pluriumque cauſarum deciſiones pro natura argumentorum in V. libros diſtributæ. Atque hoc ipſum eſt, quod ſimpliciter *decretales* appellamus, licet *canoniſtæ* eas, quæ prioribus collectionibus continentur, appellent *decretales veteres*.

amplificat Bonifacius VIII.

XIV. Bonifacius VIII. an. 1298. prodidit decretalium *ſextum*, itidem in V. libros pro natura collectionis Gregorianæ diviſum: quem *ſextum* appellant. Eo continentur decreta duorum conciliorum Lugdunenſium, vel potius Pontificum INNOCENTII IV. & GREGORII X. ann. 1245. & ann. 1274. iis præſidentium; nec non aliorum Pontificum inde a Gregorio IX. uſque ad Bonifacium VIII. conſtitutiones. Sed diſſidia inter hunc Pontificem & Philippum pulchrum hanc collectionem Francis ſuſpectam reddiderunt (2). Acceſſit poſtea nova collectio *Clementinarum*, qua continentur Conſtitutiones Clementis V. in concilio Viennenſi an. 1311. promulgatæ, & a Joanne XXII. an. 1317. publicatæ.

abſolvit Jo. XXII.

XV. Ceteræ omnes, quæ corpori juris poſt adjectæ ſunt, *extravagantes* appellantur, quod veluti errarent atque a ceteris compilationibus exularent. Jam olim canoniſtæ allegarunt decretales Gregorii IX. per vocabulum *extra*, ut indicarent, eſſe eas extra decretum Gratiani, quod uſque ad ea tempora ſolum veluti corpus juris habebatur: idque etiamnum facere ſolemus. *Extravagantes* ſunt partim *Joannis XXII.* partim *communes*, non ſolum ſubſequentium Pontificum, ſed etiam nonnullorum præcedentium etiam ipſum Innocentium III. Atque hi ſunt illi libri, videlicet, *decretum*, *decretales*, *ſextus*, *Cle-*

---

tramque doctrinam peſſime depravavit, canoniſtis atque legiſtis manum præbentibus, quippe quorum conſilio Principes utebantur. v. ARNOLD. LUBECENSIS *lib.* *III. c.* 10.

(1) Priores collectiones ſub tit. *antiquarum collectionum decretalium* ann. 1609 edidit ANTONIUS AUGUSTINUS Epiſcopus Ilerdenſis, inter quas eminet *Honoriana* HONORII III. juſſu per Tancredum compilata, quam erudito commentario illuſtravit CIRONIUS.

(2) Leniori verbo utitur Auctor, cum non potuerit non BONIFACII. VIII. nomen Gallis prorſus exoſum eſſe, ob *c. unam ſanctam I. extrav. com. de major. & obed.* Hic enim Pontifex in tantam erupit temeritatem, ut etiam in *temporalibus* pede ſuo regna ſubjiceret; contra quem præ aliis claſſicum cecinere BARCLAIUS & MOLINÆUS. Imprimis vero in PHILIPPUM IV. virus omne evomere ſtuduit in orat. quam in conſiſtorio anno 1303. habuit pro confirmando Alberto Rege Romanorum, in qua contendit, terrenam poteſtatem accipere omnem ſuam auctoritatem ab Eccleſiaſtica poteſtate, ſicut luna lumen ſuum accipit a ſole, deinde omnes reges ſubjectos eſſe debere imperatori, nominatim vero regem Galliæ, Galloſque mentiri, *quia de jure ſunt*, ait, *& eſſe debent ſub rege Romano & Imperatore*. Hinc illæ lacrymæ! Ceterum quia imperatorem ſibi ſubjectum eſſe voluit, ceteros reges vero imperatori, non aliter rationes quam hoc modo ſubducere potuit: *Si vinco vincentem te, te quoque vinco* conf. STEPHANUS BALUZ. ad P. de MARCA *de C. S. & imp. lib. II. c. I. in f.* (Notæ ſunt controverſiæ inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Gallorum Regem, orto initio ab ea conſtitutione qua cavit Bonifacius, ne Clerici aliquid Laicis ſolverent abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Epiſtolæ utrinque miſſæ, convicia mutua, ignominioſaque extant, ſi modo vera, ab ipſiſque compoſita, & non ab aliis confiſta, quod veriſimile eſt.)

Clementinæ & extravagantes, quibus univerſum corpus juris canonici, quod in ſcholis explicari ſolet, abſolvitur.

conculcata veterum canonum diſciplina, XVI. A Gratiani temporibus ad JOANNEM XXII. vix integra duo ſæcula circumacta erant, quo brevi temporis ſpatio tot novæ leges prodierunt. Sed in eadem tempora incidit magna illa diſciplinæ remiſſio. Antiqui canones, niſi qui decreto Gratiani inſerti eſſent, fere ignorabantur, & in ſcholis regnabat neſcio quæ ſophiſtica, quæ mille modos eludendi canonum rigorem argutis mentibus ſuppeditabat. (1) Atque hoc modo in moribus remiſſio; in medelis parcitas. Propterea Pontifices in Italia ad dominatum ſupremum evecti, majorque Epiſcoporum pars domini ſæculares facti ſunt. Laicorum ignorantia clericorum præſentiam ſolertiamque in omnibus negotiis publicis æque ac privatis neceſſariam reddidit. (2) Inter tot negotia, inter ſtrepitum judiciorum, in Principum aulis, in caſtris, in publicis conſultationibus, quibus Prælati ſæpe ac ſanctiſſimi monachi fuere adhibiti, vix fieri potuit, ut caritas paſtoralis & Eccleſiaſticus candor purus illibatuſque conſervaretur.

quæ degeneravit in abuſus peſſimos, XVII. Remiſſionis diſciplinæ indicia ſunt Clerici illiterati, raroque vel ob graviſſima crimina deſtituti, aut facile reſtituti: pœnitentiæ canonicæ, ad peregrinationes pias vel eleemoſynas obeundas imperatæ, frivole remiſſæ; (3) indulgentiæ generales (4) publicatæ. Privilegia ipſo jure communi facta ſunt magis communia. Pontificum potentia nulla re magis cenſeri poſſe videbatur, quam ſi diſpenſationes (5) a canonum obſervantia in infinitum extenderentur, quarum præteritis decem ſæculis admodum circumſpectus uſus fuit. Viciſſim inde a ſeculo XI. cenſura Eccleſiaſtica ultra modum rigoroſa invaluit,

(1) De barbarie in arte logica Auctor optime ediſſerit *tom. XVII. hiſt. Eccl. in diſc. præl.* §. 8. oſtenditque ſeculo XII. & ſeqq. id unice egiſſe hujus doctrinæ interpretes, non ut ratiocinandi principia traderent, ſed ut captioſis quæſtionibus adverſarios caperent exemplo Antiquorum Sophiſtarum, id quod teſtimonio JOANNIS SARISBURIENSIS illuſtrat. Floruit & in magna admiratione ſeculo XIII. fuit ALBERTUS M. magnus ſui temporis dialecticus, ſed qui ipſemet diffuſiori ſuo opere inſcientiam in hac arte prodidit. Ariſtoteles Papa erat inter philoſophos, infallibilis auctoritatis, magiſque inveſtigarunt inepti ejus interpretes, quid dixerit, quam quid dicere debuerit. Diſcipulus ejus THOMAS Aquinas ſubtilitate omnes ſuperare ſtuduit, inanibuſque obſervationibus omnia fœdavit. Hinc corruptelæ novæ eo tempore Eccleſiam infecerunt, v. c. quod calix laicis ſubtractus, auricularis confeſſio ſtabilita &c. unde tanquam ex equo Trojano nova propullularunt jura. (Quæ de D. Thoma hic aſſeruntur, Hæretico viro digna ſunt, & penitus explodenda. Nulli quippe hæreticis, præcipue Novatoribus philoſophantibus infenſiores, quam Sancti Eccleſiæ Patres, quippe qui & licentiam vivendi, & libertatem docendi penitus convellant.)

(2) Audiamus Auctorem. *tom. XIX. hiſtor. Eccl. in diſc. prælim.* §. 10. *Poſtquam clerici dominatum in laicos ambierunt, & acquirendis bonis intenti fuerunt, nihil conducibilius eſſe crediderunt, quam directionem omnium negotiorum, ad clericos pertinentium, ſibi vindicare, ignorantia eorum ad hoc manus præbente. Adeo enim hæc proceſſerat, ut nequidem legere poſſent, ſed potentioribus clerici eſſent a manu, a rationibus &c.*

(3) Hæ remiſſiones potiſſimum factæ, ut expeditiones cruce ſignatorum in terram ſanctam promoverentur. Ab hoc tempore pœnitentiarum ſcena in totum mutata eſt, ut Autor docet *tom. XVIII. hiſt. Eccleſ. in diſc. prælim.* §. *II.*

(4) Eorum initia itidem repetenda ab illa expeditione, de qua in not. præced. dixi. Vid. AUCT. *cit. l.* §. 2.

(5) Non ſine *redemtione*. Qui expe-

di-

luit, ſæpeque in cauſſis temporalibus (1) ex levi cauſſa adhibebatur. Inſtitutum fuit inquiſitionis officium, ordinario proceſſu extraordinario per capturas & denunciationes ſegretas in criminibus læſarum religionum (2). Poteſtas ſæcularis ſpirituali jungebatur tanto exceſſu, ut Pontifici tribueretur jus deſtituendi Principes, & regna pro lubitu diſpertiendi.

præſertim tempore ſchiſmatis Avenionenſis,

XVIII. Sed majus exitium diſciplina ſacra vix experta eſt, quam tempore Schiſmatis Avenionenſis, exeunte ſæculo XIV. Nam in iſta Pontificum æmulatione uterque diſpenſationibus & indulgentiis ſectatorum ſuorum numerum augere ſategit, vitiaque in iis, qui parti ſuæ ſavebant, diſſimulavit, & quum mutuis diris & execrationibus ſe devoverent, cenſuræ Eccleſiaſticæ ad ludibrium reciderunt. Concilium Conſtantienſe, quod an. 1414. convocatum fuit, tantis malis ex parte medelam adhibuit. Deliberatum ibi fuit de emendatione morum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ; deliberatum itidem poſtea. Omnium efficaciſſimum remedium exiſtimatum fuit reſtrictio privilegiorum & diſpenſationum, ne ſumma auctoritas, quam Chriſtus capiti Eccleſiæ conceſſerat ad ædificandum, adhibeatur ad Eccleſiam deſtruendam.

quibus Concilium Conſtantienſe mederi voluit, quibusve Germania & regna ſeptentrionalia ſunt ad defectionem concitata.

XIX. Reclamatum eſt iis, qui Papam veluti unicum in Eccleſia legislatorem ac totius diſciplinæ arbitrum abſolutum extollebant. Recurſum eſt ad auctoritatem conciliorum & ad poteſtatem epiſcoporum, per canones ordinatam. Interim illi fluctus, quos ſchiſma excitaverat, lenioribus iſtis remediis per omnes orbis Chriſtiani partes compeſci non potuerunt. Germania, regnaque Septentrionalia abuſibus iſtis, quibus oppreſſa fuerant, in tantum horrorem conjecta ſunt, ut maximam partem animum abjicerent, atque hoc obtentu jugum Eccleſiæ inſauſto omine excuterent. (3) Per Italiam dominatus aulæ Romanæ & ſpes Principum, qui ei adulantur ob certam lucri exſpectationem, pontificis uſurpationes corroboravit, quas per Hiſpaniam Franciamque regum temperavit auctoritas pro genio nationum diverſo. Nam in Francia apertius Pontifici reſiſti, manifeſtum eſt.

Franci in viam redeunt,

XX. Inde a ſchiſmatis illius temporibus Francia palam declaravit animum tuendi veterem libertatem, atque exterminandi, quidquid contra canones per ignorantiam vel malitiam ſequioribus temporibus innovatum eſt. (4) Neque ta-

ditionem in terram ſanctam ſuſceperant voto temerario, mutata voluntate illud redimere cogebantur, ſoluta eleemoſyna; *c. 1. 2. 8. & 9. X. de Vot. Pretii* appellatio diſplicuit, ne ſimonia commiſſa videretur. AUCTOR. *tom. XIII. hiſt. Eccl. diſc. præl. §. 16.*

(1) Poſtquam Epiſcopi poteſtate temporali, ut Principes, ut domini mundi, eminere cœperunt. Auct. *tom. XVIII. hiſt. Eccl. in diſc. prælim. §. 9.*

(2) De *tribunali inquiſitionum* ex inſtituto agit Auctor *tom. XIX. hiſt. Eccl. in diſc. præl. §. 13.* & infra circa finem ſingulares obſervationes tradit.

(3) Jam olim GUILIELMUS DURANDUS *lib. II. de modo concil. general. hab. c. 7.* præſagium hoc Romanæ Eccleſiæ prædixit: *Proverbium vulgare eſt: qui totum vult, totum perdit, Eccleſia Romana ſibi vendicat univerſa. Unde timendum eſt, quod univerſa perdat. Nam (ſicuti Salomon ait prov. XXX.) qui multum emungit, ſanguinem elicit. Sicuti habetur exemplum de Eccleſia Græcorum, quæ ex hoc ab Eccleſia Romana obedientia dicitur receſſiſſe.*

(4) Gallia ſemper ſollicita fuit in tuenda *regni libertate* contra auſus papales, quibus regni majeſtati non raro bellum indixit. Epiſcopi Galliæ, quorum e re imprimis fuit, libertatem hanc ſalvam incolumemque eſſe regni cauſam non deſerere, & Pontifex tanta pertinacia victus cedere tandem debuit, ne ſchiſma, quod non raro ſedi papali minati ſunt Galli, huic regnum, potentia inclytum, ſubduceret. Vid. *obſ. I.* ad PETRUM de MARCA *de concord. ſac. & imp. lib. I. c. 1.*

tamen propterea habemus, quod nobis gratulemur de veteri diſciplina conſervata, licet intacti pluribus innovationibus, quibus alia regna vexantur. Neque noſtro ævo opus invectivis iſtis, quibus tempore *ſchiſmatis* utebamur: nam periculorum remedia morborum intuta fiunt, ſi male applicantur.

qui concilii Baſileenſis decreta

XXI. Concilio Conſtantienſi optimum corrigendi abuſus remedium viſum fuit frequentior conciliorum generalium convocatio, licet primitiva Eccleſia tribus ſæculis iis caruerit, ad eaque iamquam ad *remedia extraordinaria* (1) confugerit. Ex hac cauſſa Eugenius IV. convocavit an. 1431. *concilium Baſileenſe*, quod a prima ſeſſione ex cauſſis frivolis diſturbatum ivit; ſed tamen eidem adhærere, ejuſque decreta approbare coactus eſt. Biennio poſt novum inter pontificem conciliumque ortum eſt diſſidium, quod componi non potuit.

adoptant in pragmatica 1438.

XXII. Medio tempore habitus eſt conventus *Bituricenſis* an. 1438. (2) ex omni Clero Franciæ collectus a rege Carolo VII. ubi conſtitutio facta, quam *pragmaticam* appellamus: quod nominis jam antea nonnullis conſtitutionibus imperatoris, & ſtatuto Ludovici ſancti, quo Romanæ aulæ poſtulata repreſſit, inditum erat. Pragmatica autem illa concilii Baſileenſis agnoſcitur auctoritas, pluraque ejus decreta recipiuntur in Franciam, certis limitationibus circumſcripta. Germania in iſto diſſidio neutras partes ſecuta, donec an. 1437. *Concordata nationis Germanicæ*, inter Nicolaum V. Eugenii IV. ſucceſſorem, & Imp. Fridericum III. ordineſque imperii inirentur, quibus etiamnum utitur in cauſſis beneficiariis.

quam commutavit Franciſcus I. in concordatis 1516.

XXIII. *Pragmatica* Francorum pontificibus æque exoſa fuit ac ipſum concilium, cujus decretis nitebatur. Ludovicus XI. eam abrogaturus (3) impeditus eſt a Clero, ſed maxime ab academiis & ſenatibus provincialibus. Ex eadem cauſſa Julius II. impetiit Ludovicum XII. ad concilium Lateranenſe vocatum, damnaſſetque pragmaticam, ſi diutius in vivis verſatus eſſet. Leo X. denique litem hanc compoſuit, convenitque cum Franciſco I. an. 1516. Bononiæ in noſtra *concordata*, quibus *pragmaticæ* nomen abolitum, infenſioraque pontificibus capita expuncta, cetera renovata. Potiſſima mutatio hæc fuit, quod abrogatis epiſcoporum & Abbatum electionibus, Pontifici tributa eſt poteſtas præficiendi epiſcopatibus & monaſteriis, quos rex nominaturus eſſet. Hæc *concordata* fuere a concilio Lateranenſi, quod tum nondum ſolutum erat, comprobata: ſed ſuprema curia Pariſienſis omnimodo reſtitit, quo minus publicam auctoritatem ex relatione in ſcrinia nanciſceretur, & clerus per integrum ſæculum electionum priſtinam libertatem flagitavit, nullo effectu.

Lutherus catholicis anſam dedit emendandi diſciplinam

XXIV. Sub idem tempus Martinus Lutherus in ſcenam prodiit, quem ſecuti ſunt alii plures qui obtentu *repurgandæ Eccleſiæ* miſeris modis eam dilacera-

(1) Erat ea Eccleſiarum illa tempeſtate conditio, ut communibus malis communi conſilio & ope, quantum fieri poterat, ſuccurrere coactæ fuerint, quod eſſent derelictæ a republica, adeoque aliunde præſidium petere haud potuerint. Hoc ſenſu hæc remedia dici poſſunt *extraordinaria*, pro ſtatu illorum temporum quodammodo neceſſaria, quæ tamen poſtea, ubi minus neceſſaria videbantur, facta ſunt *ordinaria* ad augendam epiſcoporum auctoritatem.

(2) Cauſam huic concilio dedit *legatio concilii Baſileenſis* ad regem clerumque gallicanum, in qua id agebant patres hujus concilii, ut *decreta Baſileenſia* ſuſciperentur in Gallia. Hac de cauſa Rex convocavit hanc Synodum, cui ipſe præſedit & poſtulata legatorum concilii Baſileenſis examinavit.

(3) Imprimis curia Romana ſub PIO II tam frequentibus precibus apud LUDOVICUM XI. egit, ut animum ejus flecteret, & diploma, quo *pragmatica* aboleretur, daret, quo facto vulnus graviſſimum inflictum fuiſſet, niſi curia parlamenti Pariſienſis interceſſiſſet.

Digitized by Google

cerarunt. Sed ex his novis ſeceſſionibus id utilitatis redundavit in Eccleſiam (1) ut omnium animi, licet ſero; ſerio tamen converterentur, non ad fidei quidem, quæ variari nequit, ſed morum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ emendationem. Reſumptum eſt ſtudium antiquitatum Eccleſiaſticarum, veterumque canonum longa oblivione ſepultorum. Inde manavit ſancta illa ſaluberrimaque reformatio concilii Tridentini, quo damnantur corriguntur que ſequiorum ſæculorum abuſus plerique; diſpenſationes autem & privilegia conſtringuntur, ac inſulæ epiſcopales exaltantur. Renovatio antiquorum canonum ſanctiſſimorum hujus concilii ſcopus & labor fuit. Ejus decreta circa doctrinas in Francia ultro recepta fuere, veluti ex concilio Oecumenico profecta; ſed quæ ad *diſciplinam* ſpectant, uſque ad hoc tempus, Cleri Francici intenſa flagitatione poſthabita, non attenduntur (2). Non quod ea non ſatis pura cenſeretur quippe maximam partem ſtatuto ordinum Bleſenſi inſerta; ſed quod reformatæ religioni addictis civibus, multiſque catholicis præſertim magiſtratibus, aliquid dandum eſſet, qui in iis plurima noſtris libertatibus inimica deprehendebant. Atque hæ ſunt origines, progreſſus & reliqua fata juris Eccleſiaſtici inde ab Eccleſiæ incunabulis uſque ad hæc tempora. *in concilio Tridentino.*

C A P U T II.

De Diviſionibus Juris Eccleſiaſtici.

I. UNiverſum jus Eccleſiaſticum dividitur in jus *divinum* & *humanum*; in jus *naturale* (3) & *poſitivum* (*a*). Jus *naturale* eſt lumen rationis de eo, quod Deo debemus & hominibus. Hoc etiam eſt jus divinum, quia Deus eſt auctor naturæ, & rectæ rationis regula ejus eſt æterna ſapientia. Jus *divinum poſitivum* eſt, quod Deo placuit hominibus præſcribere, ſive rationem ejus revelaverit, ſive minus. Continetur autem ſcriptura veteris & novi teſtamenti, & per traditionem Eccleſiæ explicatur (*b*). Hujus juris major *Diviſiones juris canonici, quod eſt*

(1) Sine dubio ergo regna, quæ adhuc pontifici parent, multum Luthero ſeſe debere profiteri coguntur, quod adeo infracta ſit illa immenſa pontificis poteſtas, ut hodie inanes ſine viribus iræ ejus habeantur. Præterea quid utilitatis ex hac reformatione in rem literariam, juriſprudentiam, & Philoſophiam redundaverit, nemini obſcurum eſſe poteſt, ut vel Lutheri hoſtes beneficii hujus immemores eſſe non deberent. (Haſce nugas refellere non eſt inſtitutum; quis fuerit Lutherus compertum eſt, quæque dogmata diſſeminaverit, innoteſcit. Proh dolor! Erroribus ſuis utinam haud unquam creditum eſſet.)

(2) Hanc adhuc hodie prærogativam, acriter defendunt reges Galliæ, quod conciliorum decreta vim *legum eccleſiaſticarum* in Gallia demum ſortiantur ex *regia publicatione* atque promulgatione. Hac deſtituta nihil roboris habent. Ceterum non potuiſſe recipi concilium Tridentinum, ſalva regni Galliæ libertate, res ipſa loquitur, quippe quo admodum imminuta eſt. Legati ab HENRICO II. & CAROLO IX. ad hoc concilium miſſi graviter conqueſti ſunt de juribus regni violatis, adeo ut tandem ſeceſſerint. vid. Paulum Sarpium *in hiſtor. concil Trid. p. m.* 1313. *ſeqq.*

(3) Rectiſſime auctor *juris naturæ* doctrinam quoque ad *juris eccleſiaſtici* ambitum trahit, quippe quod ſaniora tradit dogmata, demonſtrantia *habitum religionis ad ſtatum civilem*, de quo peculiari libello edifferuit PUFFENDORFIUS. Cultior omnino *juris Eccleſiaſtici* facies apparuit, poſtquam *juris naturæ* capita ad illud transferri cœperunt.

(*a*) *Diſt.* 1. *c.* 1. §. 7. (*b*) *Diſt.* 11. *c.* 5. *ex Baſilio de Sp. S. c.* 27.

Digitized by Google

jor pars revera eſt jus naturale, quod Deus tempore Moſis populo ſuo in ſcriptis commendavit, quoniam in hominum mentibus exoleverat. (*a*)

partim divinum, II. Decalogus eſt juris hujus naturalis compendium, omniaque veteris Teſtamenti *præcepta moralia* ſunt ejus explicationes. Equidem plures iis miſtæ ſunt *leges ceremoniales*, quarum nonnullis Judæi procul ſuperſtitione vicinarum gentium habebantur; nonnullarum autem rationem ignoramus. Illud tamen in univerſum conſtat, neceſſarias eas fuiſſe ad continendum populum illum indocilem & rebus externis addictiſſimum in officio, (1) in iiſque latuiſſe figuras rerum novi Teſtamenti (*b*). Quare poſtquam Jeſus Chriſtus veniſſet, ut veritatem nos aperte doceret, figuræ evanuerunt, cærimoniæque ceſſarunt. Ille enim legem Dei reddidit abſolutam, cunctaque reduxit ad *jus naturale* & ad *primævam inſtitutionem*. (2) (*c*)

partim naturale, III. Unde patet, jus *divinum naturale* eſſe immutabile, quoniam idea rationis æque omnis variationis expers eſt, ac ipſe Deus, in quo ſolo ea æternum ſubſiſtit. Sed jus *divinum poſitivum* mutabile eſt, conformatum quippe utilitati hominum in certo ſtatu viventium. Ejus itaque durationem non niſi Deo revelante novimus ejus auctore. Ille vero declaravit, fore, ut vetus fœdus novo tollatur (*d*); ſed Chriſtus nullibi dixit, ante ſuum ultimum adventum quidquam mutatum iri.

partim humanum IV. Jus *humanum* eſt multo mutabilius, non ſolum pro neceſſitatum, quibus mederi cupimus, diverſitate; ſed etiam quod procedente tempore comperimus optimis remediis nos uſos non fuiſſe. Hoc jus humanum poſitivum, ſi ſcriptis conceptum, vocatur *conſtitutio*; ſi non ſcriptum, *conſuetudo* (3)(*e*). Sic *conſtitutionum* nomine veniunt omnes *canones conciliorum*, decreta pontificum & Epiſcoporum, regulæ monachorum, ceteræque leges Eccleſiaſticæ omnes, ſive generales ſint, ſive particulares. Quod autem præterea conſenſu tacito ſoloque uſu receptum invaluit, *conſuetudo* appellatur. Obſervanda autem non niſi *conſuetudo laudabilis* h. e quæ non in *ſanctiones juris divini* & in *conſtitutiones univerſales* impingit. (4)

V. Jus

(1) Id auctor egregie demonſtravit peculiari libello gallice de *moribus Iſraelitarum* conſcripto, in quo agreſtis & duriſſimi hujus populi peculiares rationes evolvit.

(2) Ita ſine dubio recte ſubducit rationes Auctor doctiſſimus; non æque vero Eccleſia Romana. Noto notius eſt 1. univerſum fere ſacerdotium cum cultu Levitico tractum eſſe ad ſtatum novi teſtamenti, cum ſtabiliendæ hierarchiæ admodum inſerviret: 2. decimas, oblationes & primitias ſimiliter, ex veteri fœdere repetitas fuiſſe, & ſecundum leges ejus adhuc hodie æſtimari: 3. imo *ſacrificiorum* doctrina cum *votis* aliiſque inde dependet: 4. denique totus *cultus cæremonialis* hodie ita adornatus eſt, ut apparatu ſuo & pompa veteris legis ſolennia longe ſuperet, contra Chriſti doctrinam. *Joh. IV.* 21. 23.

(3) Hoc *jus eccleſiaſticum*, ſive *in ſcriptis* ſive ſine *ſcriptis* conceptum, eſt *publicum* & *privatum*. Illud *hierarchiam* ſtatumque *eccleſiæ*, quatenus *rempubl.* conſtituit, atque *cleri imperantis* jura reſpicit. Hoc vero cauſas privatorum eccleſiaſticas, v. c. jus patronatus, beneficia &c. Illud principatum tenet in *jure canonico*.

(4) Nec *eccleſiam* gravat, ſeu rationibus *Eccleſiaſtici ſtatus* non adverſatur. Quidquid cum his pugnat, illaudabile minuſque tolerandum judicatur. Conſuetudo inveſtiendi prælatos per *annulum* & *baculum*, *regaliorum*, *ſpoliorum*, *primariarum precum*, &c. illaudabilis imo damnabilis judicata, quod cum rationibus regni eccleſiaſtici pugnaret: *Boni* enim mores ſunt, quos Papa cum clero approbat; *mali* vero, quos improbat.

Quic-

(a) *Chryſ. homil.* 1. *in Matth.* (b) *Matth. V.* 17. (c) *Diſt.* 5. *pr.* §. 6. *f. diſt.* 7. *pr.* (d) *Jer.* XXXI. 31. *Auguſt. de Spir. & lit. c.* 19. (e) *Diſt.* 1. *c.* 3. 4. 5. *diſt.* 3.

V. Jus divinum omnes æque fideles obligat (*a*). Jus humanum latius vel anguſtius patet pro auctoritate conditoris, ac conſenſu eorum, qui id admiſerunt. *Conciliorum œcumenicorum* canones ubique ſunt obſervandi, exceptis locis, qui, quod a labe diſciplinæ intacti manſere, iis non indigent, vel contraria utuntur conſuetudine, quæ ſine majori malo abrogari nequit, ac juri divino non repugnat. Conciliorum *particularium* canones & Epiſcoporum decreta regulariter extra provinçiam vel diœceſin non protendunt obligationem; ſed ſæpe fit, ut aliæ Eccleſiæ ſua ſponte iis ſe ſubjiciant, quo pacto fieri poſſunt *regulæ univerſales* (1). Eſt enim totum illud regimen Eccleſiaſticum lene & caritate temperatum, alteraque Eccleſia alterius leges, ſibi utiles, volens lubenſque amplectitur. Viciſſim ægre non fertur, ſi qua Eccleſia privatis ſuis inſtitutis utitur, ſi forte non ſine diſcrimine ad legem communem reduci poſſe videatur. Sola fidei doctrina & juris divini leges per omnia ſunt uniformes.

quod varium, et pertinens canones conciliorum.

VI. Jam utut Eccleſia ſemper novas leges condere poſſit; ea tamen poteſtas non eſt *arbitraria*, neque homines ea pro ſuo affectu ac lubitu abuti queunt. Concilia enim *particularia* tum demum canones conceperunt, quando certis depravationibus medendum erat (2). Generalia autem extra ordinem convenere, ac plerumque paucos canones prodidere. Propterea Eccleſia Romana per decem priora ſecula *nullos canones* ſanxit, & decretales, illo ſpatio a Pontificibus ſcriptæ fuere ad Epiſcopos alios, ut eos canonum docerent argumenta & inculcarent obſervantiam (3). Ipſi patres, qui ſive in conciliis, ſive per peculiares conſtitutiones canones fecerunt, eo ipſo Chriſtianis non voluere novas leges imponere, ſed tantum *legem Dei* & *traditiones apoſtolicas* explicare, (4) repreſſis aberrationibus, quas gliſcere animadvertebant (*b*). Hinc pontificum conſtitutiones & conciliorum decreta citationibus ſcatent, & concilii Tridentini prope verba ſingula ex ſcriptura, canonibus & patrum ſcriptis hauſta ſunt.

qui proprie leges non ſunt.

VII. Sacra igitur ſcriptura maxime omnibus Chriſtianis habenda eſt lex palmaria, quam paſtores veluti normam actionum ſuarum ſequi debent. Qui ei multum operæ dederit, inveniet regulas, ex quibus facile dijudicabit caſus particulares. Atque hoc modo ſacra ſcriptura uſi ſunt Cyprianus, Auguſtinus, Gregorius M. ac reliqui Patres. Maximuſque horum ſcriptorum uſus eſt, ex iis percipere, quantum in ſcriptura lateat, quodque noſtram effugeret diligentiam, qui tanto ſtudio eam non meditati ſumus (5).

Verum principium canonum ſacra ſcriptura,

VIII.

Quicquid autem hos alit, turpe & irrationabile cenſetur.

(1) Maxime ſi in codicem legum univerſaliter obligantium transferuntur. Sic poſtquam canones Laodiceni, Gangrenſes, Neo-Cæſarienſes &c. in *codicem canonum univerſæ eccleſiæ*, & Africani in *Dionyſii Exigui collectionem* conjecti ſunt, *univerſalium* legum vigorem acceperunt.

(2) Vel etiam pro reducendo antiquorum canonum uſu, deſuetudine fere extincto, laborari deberet, id quod plura concilia particularia, maxime *epiſcopalia*, docent.

(3) Breviter nihil noviter conſtituerunt in epiſtolis ſuis Pontifices, ſed conſulti de rebus ambiguis ſecundum *jus conſtitutum* pronunciarunt, & ſe quoque canonibus antiquis & *jure eccleſiaſtico conſtituto* teneri agnoverunt. Jo: Launoius *P. III. epiſt.* 3.

(4) Vel potius quæſtiones controverſas decidere ex traditionibus apoſtolicis cerebrinis. Cum certamen eſſet inter Aſiæ minoris ceteraſque Eccleſias de tempore celebrandi Paſcha, tam illæ, quam ceteræ Eccleſiæ ad *traditiones apoſtolicas* provocarunt, neutra pars tamen eas probare potuit. Socrates *lib. V. hiſt. eccl. cap.* 22.

(5) Quid vero deſideretur in hoc præjudicio, alii jam notarunt. Corruptam

per

(a) *Diſt.* 9. *ſ.* & 10. *pr.* (b) *Athanaſ. ep. ad orthod.*

jor pars revera eſt jus naturale, quod Deus tempore Moſis populo ſuo in ſcriptis commendavit, quoniam in hominum mentibus exoleverat. (*a*)

partim divinum, II. Decalogus eſt juris hujus naturalis compendium, omniaque veteris Teſtamenti *præcepta moralia* ſunt ejus explicationes. Equidem plures iis miſtæ ſunt *leges ceremoniales*, quarum nonnullis Judæi procul ſuperſtitione vicinarum gentium habebantur; nonnullarum autem rationem ignoramus. Illud tamen in univerſum conſtat, neceſſarias eas fuiſſe ad continendum populum illum indocilem & rebus externis addictiſſimum in officio, (1) in iiſque latuiſſe figuras rerum novi Teſtamenti (*b*). Quare poſtquam Jeſus Chriſtus veniſſet, ut veritatem nos aperte doceret, figuræ evanuerunt, cærimoniæque ceſſarunt. Ille enim legem Dei reddidit abſolutam, cunctaque reduxit ad *jus naturale* & ad *primævam inſtitutionem*. (2) (*c*)

partim naturale, III. Unde patet, jus *divinum naturale* eſſe immutabile, quoniam idea rationis æque omnis variationis expers eſt, ac ipſe Deus, in quo ſolo ea æternum ſubſiſtit. Sed jus *divinum poſitivum* mutabile eſt, conformatum quippe utilitati hominum in certo ſtatu viventium. Ejus itaque durationem non niſi Deo revelante novimus ejus auctore. Ille vero declaravit, fore, ut vetus fœdus novo tollatur (*d*); ſed Chriſtus nullibi dixit, ante ſuum ultimum adventum quidquam mutatum iri.

partim humanum IV. Jus *humanum* eſt multo mutabilius, non ſolum pro neceſſitatum, quibus mederi cupimus, diverſitate; ſed etiam quod procedente tempore comperimus optimis remediis nos uſos non fuiſſe. Hoc jus humanum poſitivum, ſi ſcriptis conceptum, vocatur *conſtitutio*; ſi non ſcriptum, *conſuetudo* (3)(*e*). Sic *conſtitutionum* nomine veniunt ómnes *canones conciliorum*, decreta pontificum & Epiſcoporum, regulæ monachorum, ceteræque leges Eccleſiaſticæ omnes, ſive generales ſint, ſive particulares. Quod autem præterea conſenſu tacito ſoloque uſu receptum invaluit, *conſuetudo* appellatur. Obſervanda autem non niſi *conſuetudo laudabilis* h. e. quæ non in *ſanctiones juris divini* & in *conſtitutiones univerſales* impingit. (4)

V. Jus

---

(1) Id auctor egregie demonſtravit peculiari libello gallice de *moribus Iſraelitarum* conſcripto, in quo agreſtis & duriſſimi hujus populi peculiares rationes evolvit.

(2) Ita ſine dubio recte ſubducit rationes Auctor doctiſſimus; non æque vero Eccleſia Romana. Noto notius eſt 1. univerſum fere ſacerdotium cum cultu Levitico tractum eſſe ad ſtatum novi teſtamenti, cum ſtabiliendæ hierarchiæ admodum inſerviret: 2. decimas, oblationes & primitias ſimiliter, ex veteri fœdere repetitas fuiſſe, & ſecundum leges ejus adhuc hodie æſtimari: 3. imo *ſacrificiorum* doctrina cum *votis* aliiſque inde dependet: 4. denique totus *cultus cæremonialis* hodie ita adornatus eſt, ut apparatu ſuo & pompa veteris legis ſolennia longe ſuperet, contra Chriſti doctrinam. *Joh. IV.* 21. 23.

(3) Hoc *jus eccleſiaſticum*, ſive *in ſcriptis* ſive ſine *ſcriptis* conceptum, eſt *publicum* & *privatum*. Illud *hierarchiam* ſtatumque *eccleſiæ*, quatenus *rempubl.* conſtituit, atque *cleri imperantis* jura reſpicit. Hoc vero cauſas privatorum eccleſiaſticas, v. c. jus patronatus, beneficia &c. Illud principatum tenet in *jure canonico*.

(4) Nec *eccleſiam* gravat, ſeu rationibus *Eccleſiaſtici ſtatus* non adverſatur. Quidquid cum his pugnat, illaudabile minuſque tolerandum judicatur. Conſuetudo inveſtiendi prælatos per *annulum* & *baculum*, *regaliorum*, *ſpoliorum*, *primariarum precum*, &c. illaudabilis imo damnabilis judicata, quod cum rationibus regni eccleſiaſtici pugnaret: *Boni* enim mores ſunt, quos Papa cum clero approbat; *mali* vero, quos improbat.

Quic-

(a) *Chryſ. homil.* 1. *in Matth.* (b) *Matth. V.* 17. (c) *Diſt.* 5. *pr.* §. 6. *f. diſt.* 7. *pr.* (d) *Jer.* XXXI. 31. *Auguſt. de Spir. & lit. c.* 19. (e) *Diſt.* 1. *c.* 3. 4. 5. *diſt.* 3.

V. Jus divinum omnes æque fideles obligat (*a*). Jus humanum latius vel anguſtius patet pro auctoritate conditoris, ac conſenſu eorum, qui id admiſerunt. *Conciliorum œcumenicorum* canones ubique ſunt obſervandi, exceptis locis, qui, quod a labe diſciplinæ intacti manſere, iis non indigent, vel contraria utuntur conſuetudine, quæ ſine majori malo abrogari nequit, ac juri divino non repugnat. Conciliorum *particularium* canones & Epiſcoporum decreta regulariter extra provinciam vel diœceſin non protendunt obligationem; ſed ſæpe fit, ut aliæ Eccleſiæ ſua ſponte iis ſe ſubjiciant, quo pacto fieri poſſunt *regulæ univerſales* (1). Eſt enim totum illud regimen Eccleſiaſticum lene & caritate temperatum, alteraque Eccleſia alterius leges, ſibi utiles, volens lubenſque amplectitur. Viciſſim ægre non fertur, ſi qua Eccleſia privatis ſuis inſtitutis utitur, ſi forte non ſine diſcrimine ad legem communem reduci poſſe videatur. Sola fidei doctrina & juris divini leges per omnia ſunt uniformes.

quod varium, eo pertinens canones conciliorum.

VI. Jam utut Eccleſia ſemper novas leges condere poſſit; ea tamen poteſtas non eſt *arbitraria*, neque homines ea pro ſuo affectu ac lubitu abuti queunt. Concilia enim *particularia* tum demum canones conceperunt, quando certis depravationibus medendum erat (2). Generalia autem extra ordinem convenere, ac plerumque paucos canones prodidere. Propterea Eccleſia Romana per decem priora ſecula *nullos canones* ſanxit, & decretales, illo ſpatio a Pontificibus ſcriptæ fuere ad Epiſcopos alios, ut eos canonum docerent argumenta & inculcarent obſervantiam (3). Ipſi patres, qui ſive in conciliis, ſive per peculiares conſtitutiones canones fecerunt, eo ipſo Chriſtianis non voluere novas leges imponere, ſed tantum *legem Dei & traditiones apoſtolicas* explicare, (4) repreſſis aberrationibus, quas gliſcere animadvertebant (*b*). Hinc pontificum conſtitutiones & conciliorum decreta citationibus ſcatent, & concilii Tridentini prope verba ſingula ex ſcriptura, canonibus & patrum ſcriptis hauſta ſunt.

qui proprie leges non ſunt.

VII. Sacra igitur ſcriptura maxime omnibus Chriſtianis habenda eſt lex palmaria, quam paſtores veluti normam actionum ſuarum ſequi debent. Qui ei multum operæ dederit, inveniet regulas, ex quibus facile dijudicabit caſus particulares. Atque hoc modo ſacra ſcriptura uſi ſunt Cyprianus, Auguſtinus, Gregorius M. ac reliqui Patres. Maximuſque horum ſcriptorum uſus eſt, ex iis percipere, quantum in ſcriptura lateat, quodque noſtram effugeret diligentiam, qui tanto ſtudio eam non meditati ſumus (5).

Verum principium canonum ſacra ſcriptura,

VIII.

Quicquid autem hos alit, turpe & irrationabile cenſetur.

(1) Maxime ſi in codicem legum univerſaliter obligantium transferuntur. Sic poſtquam canones Laodiceni, Gangrenſes, Neo-Cæſarienſes &c. in *codicem canonum univerſæ eccleſiæ*, & Africani in *Dionyſii Exigui collectionem* conjecti ſunt, *univerſalium* legum vigorem acceperunt.

(2) Vel etiam pro reducendo antiquorum canonum uſu, deſuetudine fere extincto, laborari deberet, id quod plura concilia particularia, maxime *epiſcopalia*, docent.

(3) Breviter nihil noviter conſtituerunt in epiſtolis ſuis Pontifices, ſed conſulti de rebus ambiguis ſecundum *jus conſtitutum* pronunciarunt, & ſe quoque canonibus antiquis & *jure eccleſiaſtico conſtituto* teneri agnoverunt. Jo: Launoius *P. III. epiſt.* 3.

(4) Vel potius quæſtiones controverſas decidere ex traditionibus apoſtolicis cerebrinis. Cum certamen eſſet inter Aſiæ minoris ceteraſque Eccleſias de tempore celebrandi Paſcha, tam illæ, quam ceteræ Eccleſiæ ad *traditiones apoſtolicas* provocarunt, neutra pars tamen eas probare potuit. Socrates *lib. V. hiſt. eccl. cap.* 22.

(5) Quid vero deſideretur in hoc præjudicio, alii jam notarunt. Corruptam

per

(a) *Diſt.* 9. *ſ.* & 10. *pr.* (b) *Athanaſ. ep. ad orthod.*

cum placitis concil. univerſalium, & conſtitutionibus pontificum,

VIII. Poſt ſcripturam maximæ auctoritatis ſunt placita *conciliorum univerſalium & particularium*, ab univerſa Eccleſia recepta (*a*). Jeſus enim Chriſtus pollicitus eſt, quoties diſcipuli in ſuo nomine congregati fuerint, etiamſi non plures duobus vel tribus, ſe fore in medio eorum (*b*). Jam ſi cujuſque patris magna in ſe ſit auctoritas, quid? ſi plures eorum in nomine Dei, implorato Spiritus Sancti auxilio, ad ſalutem Eccleſiæ, quæ ipſis regenda tradita eſt, congregati (*c*) fuerint? Hujuſmodi conventus major certe auctoritas erit (*d*), quam patrum ſingulorum, vel ad populum verba facientium, vel cauſas dubias reſpondentium (1). Pontificum conſtitutiones legum quoque numero ſunt habendæ univerſalium, quatenus vel ab Epiſcopis in ſuis diœceſibus publicatæ, vel longo uſu receptæ. Generatim autem obſervare non tenemur leges ſcriptas, quas in uſum deductas non fuiſſe conſtat. (2)

Et conſuetudine laudabili.

IX. Viciſſim magna vis eſt conſuetudinis, & magna in utramque partem, ſi laudabilis, ſi longo uſu, ſi paſtorum Eccleſiæ conſenſu (3), vel ſaltem iis ſcientibus, invaluit: ut ipſam canonum obſervantiam excuſet. Sunt enim canones, qui a piiſſimis hominibus impune negliguntur, licet nullibi legantur revocati, v. g. de baptiſmo extra caſum neceſſitatis non niſi tempore paſchali & pentecoſtali adminiſtrando; de precibus die ſolis ad Deum non e geniculo fundendis, &c. (*e*) Quin conſuetudinis tanta vis fuit, ut lex in novo Teſtamento diſertis verbis concepta, (*f*) pluribuſque conſtitutionibus Eccleſiaſticis confirmata, *de non edendo ſanguine* & *ſuffocato*, per eam tolleretur. Neque tamen propterea exiſtimandum, juſtum eſſe, quidquid vulgo fieri videmus. Eccleſia enim fere ſemper magno abuſuum numero onerata fuit, quos ſpe meliorum temporum toleravit, ingemuitque. Horum loco habendum quidquid legibus ultimo ſcriptis repugnant, niſi forte conforme ſit antiquioribus inſtitutis, quæ nonnullibi ſervata ſunt. Maxima autem vis conſuetudinis cernitur in ritibus, hoc eſt, in ratione precum publicarum, in adminiſtratione ſacramentorum, obſervatione feriarum, jejuniorum &c. Quum enim chriſtiana religio de interioribus mentis humanæ ſollicita ſit; in exterioribus magna ſemper Chriſtianorum libertas fuit (*g*). Tutiſſimum eſt, ut ſuum quæque mo-

---

per patres *juris eccleſiaſtici* & *doctrinarum* ſimplicitatem eſſe plura evincunt, poſtquam præſertim ubique ſenſus reconditos myſticoſque in locum ſimplicioris veritatis ſubſtituerunt. Genuinos inde ſignificatus infinita vocabula, in jure eccleſiaſtico paſſim obvia, amiſerunt, inſolitoſque aſſumſerunt, ut vel notiones *eccleſiarum*, *pœnitentiæ*, *clericorum*, *laicorum*, *miſſæ*, *oblationum* &c. docent.

(1) Sed non major quam *doctorum*. Sunt patres *doctiores eccleſiæ*, & ita quicquid congregati tradunt, docent, aſſerunt, *doctrinæ*, non *legis* auctoritatem habet. Enim vero hi, qui concilia deſiderant, *legislatoriam* poteſtatem & *interpretationem authenticam* eidem tribuunt, prout ſupra c. 1. jam obſervavi.

(2) Minus gratam, curiæ Romanæ hanc ſententiam fore, palam eſt, quæ tamen ſanæ rationi congruit. Eandem ſententiam tuetur P. de MARCA *de C. S. & I. lib. II. c.* 16. Sed ex fundamentis admodum lubricis eandem illuſtrat.

(3) Paſtorum eccleſiæ conſenſum deſiderat Auctor, æque ut Dd. imperantis conſenſum tacitum ad vigorem conſuetudinis deſiderare ſolent. Verius tamen eſt, eam vim ſuam habere ex *conſenſu* ipſis factis declarato eorum, qui collegium quoddam conſtituunt, quippe qui de rebus ad collegium ſpectantibus *pactis expreſſis* quædam conſtituere poſſunt. Par ratio eſt ſingularum eccleſiarum, quæ jure *collegiorum* merito cenſentur.

(a) *Can. Calch.* 1. *diſt.* 15. *c.* 3. §. 2. (b) *Matth. XVIII.* 20.
(c) *Conc. Calch. ep. ad Leon. act.* 3. (d) *Cæleſt. ep.* 4. *ad Conc. Epheſ.*
(e) *Can. Nic.* 20. (f) *Act. XV.* 29. (g) *Auguſt. ep.* 36. *ad Caſul. ep.* 55. *ad Jan. n.* 34.

morem ſequatur Eccleſia, niſi quid habeat, quod doctrinæ univerſalis Eccleſiæ repugnet. Ut autem adpareat, quæ leges, quæve conſuetudines in uſu ſint; videndum, quæ perpetuæ decretorum normæ fuerint.

non opiniones doctorum.

X. Inter ceteras corruptorum morum & depravatæ diſciplinæ cauſſas ſequioribus temporibus hæc fuit, quod *opiniones doctorum* pro legibus arreptæ fuerint. Quod tum demum factum, quum Epiſcopi deſinerent docere populum & conventus agitare. Ex hoc neglectu regnum *opinionum;* ex opinionum diverſitate, *juſti* ignorantia; ex ignorantia juſti *lubricum morum* natum eſt, quum ſceleſtiſſimus quiſque haberet doctorem in promtu, affectui ſuo obſecundantem, nec fere quemquam noſſet, cui ſatis eſſet animi pro veritate (1). Ipſæ academiæ & religioſorum hominum ordines vitia hæc promoverunt, quum Epiſcopi ex horum gremio ſeligerent, quos conſiliis ſuis adhiberent. Facile unius monachi doctrina univerſo ordini, & unius doctoris academici ſententia univerſo collegio imputatur. Interim ipſa collegiorum decreta non ſunt niſi conſultationes prudentum, quæ utut multum momenti habeant, legum tamen vi deſtituuntur, quippe protectæ ab hominibus, qui juriſdictione carent. Idem dicendum de congregationibus, noviſſimis temporibus inſtitutis, quarum conſiliis in variis rebus utitur Pontifex.

nec collegiorum decreta,

nec congregationum Romanarum placita,

nec privilegia,

XI. Privilegia quoque nutriverunt vitia. Sunt autem privilegia certæ leges, ad certam perſonam vel ad certam univerſitatem ab obſervantia juris communis eximendam latæ: cujus generis etiam ſunt *diſpenſationes*. (2) (*a*). Quæ licet ſacet ſalutares eſſe poſſint, in univerſum tamen indoli Evangelii adverſantur. Animus demiſſus non affectat ſingularia, niſi forte plura pati altiuſque deſcendere opus; & caritas æqualitatis cuſtos eſt, propriique commodi inimiciſſima. Ipſe Jeſus Chriſtus omnibus religionum cerimoniis legibuſque patriis ſemet ſubjecit. Puris illis temporibus rariſſima fuere *privilegia*, poſtero ævo profuſiſſima. Quotidie obverſantur, quorum nulla eſt ratio; & ſi qua juſta cauſſa nituntur; ea invidiam, diſcordiam, legum contemtum alunt. Vileſcunt enim leges, ſimulatque negligi poſſunt, & qui *diſpenſationibus* ſunt omnium indigniſſimi, ii ad eas flagitandas ſunt omnium promtiſſimi audaciſſimique (3).

CAPUT

(1) In theſi philoſophatur Autor. Progrediamur ad hypotheſin. Seculo XII. nata eſt opinio, a quibuſdam apprehenſa, ad evitandam effuſionem vini conſecrati ſufficere, ſi ſolus *panis conſecratus* daretur laicis. Quidam repugnarunt & ſæculo XIII. adhuc ALBERTUS M. hanc opinionem reprobavit. Ex hac opinionum diverſitate ignorantia *juſti* nata, & inde tandem *lubricum morum*, hinc inde jam introductum ſeculo XIII. Firmata tandem admodum hæc opinio monachorum acceſſu. THOMAS Aquinas enim hanc morem approbavit, cujus auctoritate facile omnes eccleſiæ in eum iverunt.

(2) In hoc tamen a *privilegiis* differunt, quod hæc ad omnes caſus quandocunque obvenientes applicari debeant, & ſint inſtar *legis* in certam perſonam latæ: *diſpenſatio* autem aliquem eximat ab obligatione legis in certo caſu, ultra quem non extenditur, nec in aliis ſimilibus legem conſtituit.

(3) Maxime ubi *venales* exſtant, ut Romæ. vid. M. ANTON. de DOMINIS *de republ. eccl. lib. V. c. II. n. 78.* PYRRHUS CORRADUS *de praxi diſpenſ. Apoſt.*

(a) *Diſt. 3. c. 3.*

CAPUT III.

De Clero in Univerſum.

Alia diviſio. I. UNiverſum jus Eccleſiaſticum, methodo jureconſultis uſitata, ad *perſonas*, *res* & *actiones* accommodari poteſt. Agendum ergo primo loco de *perſonis*.

Qui & quotuplices clerici? II. Chriſtiani (1) ſunt vel clerici vel laici. *Clerici* ſunt, qui ſervitio Eccleſiæ dicati veluti ejus miniſtri publici; reliquus fidelium cœtus *Laicorum* nomen habet. Clerici pro duplici functionum genere, *ſacerdotio* videlicet & *miniſterio*, duplicis ſunt generis. *Sacerdotium* quippe *epiſcoporum* & *presbyterorum*; *miniſterium diaconorum* ac reliquorum *minorum clericorum* proprium eſt. Sic in veteri Teſtamento levitæ miniſtri fuere ſacerdotum ex familia Aaronis, quorum princeps fuit pontifex maximus. Diverſi illi clericorum gradus vocantur *ordines*, quos omnes *eminenter* continet Epiſcopatus, qui reliquorum ordinum fons eſt & origo. & apex ſacerdotii hoc eſt poteſtatis illius ſpiritualis, qua Chriſtus apoſtolos ſuos ad regendam Eccleſiam inſtruxit. Presbyteri, diaconi, ceterique miniſtri particulam tantum poteſtatis illius & gratiæ habent, quam Epiſcopus totam poſſidet. Hinc *Epiſcopatus* notio ante omnia evolvenda.

Quid epiſcopus? III. Epiſcopus eſt perſona, quam Deus elegit, ut alios ſanctos reddat deducatque ad vitam æternam (2). Ejus igitur eſt, prædicando, docendo, baptizando facere Chriſtianos; factos verbo Dei & ſacramentis paſcere; ad preces fundendas inducere; pro iis publice & privatim orare; pro iis & cum iis offerre ſacrificium; judicium exercere in peccatores, eoſque vel Deo reconciliare vel e gremio Eccleſiæ ejicere; tueri unionem Eccleſiæ; diviſiones cohibere; morum ſanctitatem inſtillare; peccata eſtirpare; pauperibus de neceſſariis vitæ ſubſidiis proſpicere; afflictis ſolatia adhibere. Id curæ fuit Apoſtolis & primis Epiſcopis, ab iis ordinatis: hoc egerunt patres Eccleſiæ, innumerique illi Epiſcopi, quorum nomina noſtris Martyrologiis ſunt conſecrata. Hæc idea non eſt in cerebro nata, veluti ſunt idea *perfecti oratoris* aut *ſapientis*, quem Stoici finxerunt, ſed viva expreſſio imaginum, quas magno numero puriora Eccleſiæ ſæcula exhibent, quarumve exemplis nec noſtra tempora deſtituuntur.

Diſcretum a ſacerdotio miniſterium, inſtitutis diaconis, Epiſcopis. IV. Quum igitur tam late pateat Chriſtianum ſacerdotium, officia ejus neceſſario cum pluribus perſonis fuerunt communicanda. Naſcente Eccleſia, quum fidelium numerus Hieroſolymis quotidie creſceret, apoſtoli ſeptem *diaconos* eligendos eſſe cenſuerunt, in quos curam rerum temporalium devolverent, oneroſam ſane in cœtu eorum, quibus omnia erant communia; ſibi reſervata precum & prædicationum induſtria (a). Poſthæc *Epiſcopos* inſtituerunt, ſinguliſque civitati-

---

(1) Ut olim apud Romanos ex *triplici ſtatu civili* omnis juris civilis fruitio dependebat, ita obſervavi, a triplici ſtatu in *republ. eccleſiaſtica* omnem jurium eccleſiaſticorum diverſitatem petendam eſſe. Nam I. homines ſunt vel *Chriſtiani* vel *infideles*. Illi in eccleſia ſunt, liberique; hi vero extra eccleſiam, *ſervorum* inſtar. II. Chriſtiani ſunt vel *orthodoxi*, cives eccleſiæ; vel *heretici* qui extorres & extranei cenſentur. Denique III. ſunt vel *clerici*, qui imperant, & ita ſui juris ſunt; vel *laici*, qui parent & alieni juris cenſentur. Inde illi *patres*, hi *filii* dicuntur.

(2) Ita vero 1. cum *presbyteris* conveniunt, quod etiam paſſim novum fœdus docet: 2. nudi *doctores* ſunt, nullo inſtructi imperio: 3. juriſdictio epiſcopalis iis a Salvatore non eſt tributa. Ceterum epiſcopos ex inſtituto eccleſiaſtico ortum traxiſſe, recte docuit HIERONYMUS *in c. 5. D. 93.* quod pluribus illuſtrat BLONDELLUS *in apol. pro ſentent. Hieron. de epiſc. & presbyt.*

(a) *Act. VI. 4.*

tatibus, quæ modico fidelium numero floruerunt, ſingulos præfecerunt (*a*). His præter diaconos ex mandato domini, alios auxiliatores adjunxerunt, quos *presbyteros* vocamus; quo nomine principio ipſi Epiſcopi utebantur (1) (*b*). Hi fere omnibus Epiſcopalibus officiis fungebantur, præter duo, quæ ſunt Epiſcoporum propria, ſcilicet *confirmatio Chriſtianorum* ſeu communicatio Spiritus Sancti per manuum impoſitionem, & *ordinatio clericorum* hoc eſt diaconorum, presbyterorum & Epiſcoporum (2).

V. Aucto ſubinde fidelium Eccleſiarumque numero, diaconorum functiones dividendæ videbantur. Inſtituti enim ſunt *lectores*, qui libros ſacros adſervarent, publiceque prælegerent; *oſtiarii*, qui Eccleſiam cuſtodirent, purgarentque, & profanos arcerent; *exorciſtæ*, qui dæmones e catechumenis ceteriſque a cacodæmone obſeſſis ejicerent; *Acoluthos*, qui Epiſcopo a pedibus, mandatiſque ejus ac literis ad alios perferendis præſto eſſent; *ſubdiaconi*, qui diaconos ſublevarent, proximoque gradu eſſent. Atque hæ ſunt origines *ordinum*, quibus hodienum clerici diſtinguuntur. Non tamen eadem omnium Eccleſiarum facies, nec ſemper ſinguli in unaquaque ordines fuere. Aliæ enim vel ſolos *lectores* & *acoluthos*, aliæ ſolos *lectores* & *oſtiarios*; aliæ, præter hos, *cantores* habuere. Multæ orientales Eccleſiæ etiamnum *ſubdiaconis* deſtituuntur. Sed inde ab Apoſtolorum temporibus ſemper & ubique fuere *Epiſcopi*, *presbyteri* & *diaconi*.

Lectoribus, Oſtiariis, Exorciſtis, Acoluthis, Subdiaconis, Cantoribus ſeu pſalmiſtis,

VI. Sed non *ordinibus* ſolum (3), verum *officiis* quoque, poſtquam hæc aucta ſunt, cenſeri cœperunt clerici. Nam inter diaconos ceteroſqee clericos inferiores interjecti ſunt *notarii* ſeu *ſecretarii*, *manſionarii*, (4) *ſacellani*, *theſaurarii*, quibus præfectus eſt archidiaconus. Inter presbyteros fuere presbyteri *cardinales*, quos ſequior ætas *rectores* ſeu *curates* adpellavit; *directores* noſocomiorum vel monaſteriorum; *pœnitentiarii* (5); *archipresbyteri*. Ipſi Epiſcopi pro locorum amplitudine aliis alii facti ſunt eminentiores. Nam qui in primaria cujuslibet provinciæ civitate habitarunt, *metropolitani* ſeu *Archiepiſcopi*; qui domicilium habuere in civitate, ex qua plures provinciæ regebantur, *exarchi*, *patriarchæ* ſeu *primates* vocabantur. *Papæ* nomen, quod olim Epiſcopis occidentalibus commune fuit (6), Ro-

aliiſque officialibus, veluti notariis &c. Rectoribus, Archiepiſcopis, Patriarchis

(*a*) Non tantum ævo apoſtolico *presbyterorum* & *epiſcoporum* nomen unum idemque erat, ſed poſtquam *primi* inter presbyteros toti presbyterio præfecti ſunt ſub nomine *epiſcoporum*, adhuc *presbyterorum* nomen retinuerunt. EUSEB. *lib. V. hiſt. eccl. c.* 24. HILARIUS *in* 1. *Tim. III.* adhuc ſuo tempore belliſſime ita cenſuit: *Epiſcopi & presbyteri una ordinatio fuit. Uterque enim ſacerdos eſt, ſed epiſcopus primus, ut omnis epiſcopus presbyter eſt, non omnis presbyter epiſcopus; hic enim epiſcopus eſt, qui inter presbyteros primus eſt.*

(2) Non aliter quam ex *inſtituto* & *more eccleſiæ*, quia in his duobus actibus *prærogativam apoſtolicam* quæſivere, quorum ſucceſſores ſeſe epiſcopi conſtituerunt. Unde ergo reliqua *jura epiſcopalia*, inprimis juriſdictio, imperiumque ſacrum? Enimvero recte Autor hæc omittit, quia de modeſtia primorum epiſcoporum edifferit.

(3) In *ordinibus* eſſe dicuntur, qui *ordinatione ſolenni* ad munera eccleſiaſtica adſumuntur: qui ad alia *officia* citra *ordinationem* admoventur, in *ordine* non ſunt. Enimvero olim nullus *ordo* erat ſine *actuali officio* ſacro, prohibitumque in genere ordinare clericos: ubi hoc vero invaluit, *ordines* non ſemper *actuale officium* involvunt.

(4) *Manſionarii* ſunt *æditui* & *cuſtodes eccleſiæ*, inde dicti, quod habitationem vel manſionem juxta Eccleſiam haberent. CANGIUS *in gloſſ. voce hac*. *Notariorum eccleſiæ* officia varia fuere. Generatim *epiſcoporum amanuenſes* erant; conciones excipiebant, in codices referebant, interdum publice recitabant, coram epiſcopo baculum gerebant, literas conſignabant &c. Prolixe triplici diſſert. *de notariis eccleſ.* agit Dn. JO. ANDR. SCHMIDIUS.

(5) Hi olim dicebantur, qui pœnitentibus præerant, eorumque confeſſionibus audiendis vacabant, ubi occulta delicta erant manifeſtanda & per pœnitentiam expianda.

(6) Ut demonſtrat LAUNOIUS *P. VI. epiſt.* 13. *n.* 303. *ſeqq.* ſimulque docet, ex hoc nomine nullam prærogativam Pontifici competere.

(a) *Tit. I.* 5. 7. (b) *Act. XX.* 27. 28.

Digitized by Google

Romani Pontificis proprium manſit, quia hic de jure divino omnibus Epiſcopis major eſt habitus, Apoſtolorum principis ſucceſſor & *viſibile* caput Eccleſiæ. Horum graduum, quibus clerici ejuſdem ordinis diſtinguuntur, alii *dignitatum* potius ſunt, quam *officiorum;* alii mandatis dumtaxat temporariiſque adminiſtrationibus nituntur; alii ſunt vitalitii tantum. Vocantur autem *beneficia*, ex quo certa bonorum Eccleſiæ portio iis adnexa fuit, cujus adminiſtratio eſt penes *titulatum*.

Officia non ſunt præciſe clericalia,

VII. Non autem *officium*, ſed *ordo* facit clericum (1). Sunt enim officia Eccleſiaſtica, quibus etiam laici ornari fungique ſolent, ut olim œconomi, defenſores, oſtiarii; hodie noſocomiorum præfecti, cuſtodes, theſaurarii fabricæ: horum enim omnium officia ſunt Eccleſiaſtica. E contrario poſtremis temporibus magnus ſemper fuit numerus clericorum abſque officio. Interim clericorum loco habentur ii quoque, qui tonſuram paſſi ſunt, habitumque ſumſerunt Eccleſiaſticum, parati ad recipiendos ordines vel officia, quibus fungendis idonei viderentur. Hi itaque ſunt, ex uſu Eccleſiæ Romanæ præſenti, cleri *gradus*: *clerici ſimplices*, qui *tonſuram* acceperunt; clerici, qui ſunt *intra quatuor minores ordines*, veluti oſtiarii, exorciſtæ, lectores, acoluthi; qui ſunt *in ſacris*, ſeu ex ordine conſecratorum, veluti ſubdiaconi, diaconi, presbyteri; denique *epiſcopus*, penes quem eſt ſacerdotii ac miniſterii, cujus reliqui partem habent, univerſum pondus & momentum.

quemadmodum multi clerici ſunt ſine officio.

CAPUT IV.

De Irregularitatibus, ſeu de vitiis, ob quæ clericum fieri probibetur.

Ordo electionis clericorum

I. NEmo auſu proprio Eccleſiæ miniſterio ſe ingerat, ſed unuſquiſque a Deo appellandus eſt (*a*). Divina vocatio dignoſcitur *judicio Epiſcopi & totius Eccleſiæ ſuffragio* (2). In primitiva ſane Eccleſia non niſi homines ſpectatiſſimæ probitatis, populo ſæpe flagitante, & numquam non conſentiente, ordinabantur, inviti nonnumquam ad ſacrum miniſterium pertracti (3). (*b*).

ad regulas adſtrictus,

II. Atque in dijudicanda probitate exactiſſime obſervabantur regulæ Paullinæ de non imponendis cuiquam intempeſtive manibus; de non admittendis neophytis, ne faſtu inflentur; de explorandis diaconis, antequam ad miniſterium admitterentur (*c*).

e minoribus majorum.

III. Presbyteri non eligebantur niſi e diaconis, nec diaconi niſi ex lectoribus, acoluthis vel aliis minoribus ordinibus, ut longo uſu mores cujuſque dexteritaſque explorari poſſent (*d*). Denique ſtatutum fuit, ut ſinguli per ſingulos gradus adſcenderent, nec presbyter admitteretur, niſi qui fuiſſet diaconus; nec diaconus, qui non ſubdiaconus, & ſic porro uſque ad primam tonſuram: atque in unoquoque gradu per certum temporis ſpatium ſubſiſtendum fuit, quod *interſtitium* vocant (4).

IV.

(1) Olim *officium* faciebat *clericum*, non *ordo*, qui ſine *officio* concipi non poterat. Corruptior eccleſiæ ſtatus novam plane diſciplinam doctrinamque Eccleſiaſticam produxit.

(2) Non facile hoc judicio ſingulorum, an vocatio *divina* eſſet, commiſſum eſt, quod fallax in *cauſa propria* eſt. Neque ex reſponſis theologorum hoc æſtimandum, quorum ſuffragium eſt tantum *informativum*, non *deciſivum*.

(3) Pluribus hoc exemplis & rariori doctrina illuſtrat ZIEGLERUS *de cleric. renit.* conf. ESPENCÆUS *lib. III. digreſſ. c. 4. p.* 224.

(4) Illuſtrat hunc morem antiquum ESPENCÆUS *digreſſ. lib.* 1. *c.* 16. de quo etiam adhuc veſtigia quædam occurrunt in *tit. X. de cleric. per ſaltum promoto*.

(a) *Hebr. V.* 4. (b) *Cypr. ep.* 33. 34. 35.
(c) 1. *Tim. III. 6. Can. Nic.* 2. *diſt.* 48. 1. *Tim. III.* 20.
(d) *Diſt.* 77. *c.* 3. *ex ep.* 1. *Siric. ad Himer. Tarrac. c.* 9.

IV. Clerici e laicorum ſanctiſſimis ſunt legendi (1). Quapropter canones a clericatu repellunt, qui quacumque macula laborant. Ipſe Apoſtolus Epiſcopos & diaconos vult eſſe innoxios integræque exiſtimationis etiam inter fideles. (*a*) Hinc rejiciuntur, qui poſt baptiſmum in crimen quodlibet, veluti hæreſeos, apoſtaſiæ, homicidii, adulterii, inciderunt, etiamſi pœnituerint, Eccleſiæque fuerint reconciliati: eo quod horum ſcelerum memoria permanet, &, qui ea commiſerunt, infirmiores iis videntur, qui ſunt integri vita ſceleriſque puri. Is fuit veteris diſciplinæ rigor, ut, qui pœnitentiam Eccleſiaſticam ſubiiſſent, ordinari numquam poſſent. (2) (*b*) *& minimorum e laicis ſanctiſſimis. Vita animi.*

V. Irregulares porro cenſentur, qui hominem vel caſu, vel involuntarii occidiſſent (3); qui militaſſent etiam in bello juſto; qui hominem, licet capitis damnatum, judicio, conſilio, accuſatione vel manu, morti tradidiſſent (*c*). Utut enim hoc crimine careat, Eccleſiæ tamen, quæ abhorret a ſanguine, manſuetudini repugnat. Porro bigami, (*d*) qui ſecundas nuptias contraxere, vel viduam duxere, vel generatim qui non virginem ſibi conjunxere (4). His enim connubiis quædam incontinentiæ ac infirmitatis macula hærere videbatur. *& mentis,*

VI. Ab ordinibus præterea repelluntur Clinici, hoc eſt qui, dum ægroti lecto decumbunt, baptizati ſunt; (5) (*e*) quod primis ſæculis ſæpe contigit, ubi multi, ut impune peccare poſſent, non niſi paullo ante vitæ finem baptizari voluerunt, quorum fides probitaſque merito ſuſpecta. Qui ære alieno obruti, (6) qui ſive publicam rem ſive privatam geſſiſſent, repudiantur (*f*). Nam Deo ſervire volentes, monente Paulo, rerum humanarum cura intacti ſunto (*g*). Scientiarum ignari pro ordinum diverſitate vel admittuntur, vel repudiantur. Intrantibus clericatum ſufficit legere poſſe & ſcribere. Lectorem decet, quæ legit, intelligere. Presbyter ad docendum idoneus eſto. Atque hæc ſunt animi morumque vitia, quæ irregulares reddunt. *civilia,*

VII. Sunt etiam vitia corporis & originis (*h*). In his non ea indicamus, quæ veteri Teſtamento notantur (*i*), quæve conſtat fuiſſe typos rerum futurarum; ſed hæc ſolum, per quæ functiones eccleſiaſticæ obiri nequeunt, quæve hominem *corporis,*

tam

(1) Canones in conciliis certas conſtituerunt *regulas*, in quibus qualitates clericorum erant determinatæ. Inde *irregulares* dicti, qui extra illas regulas deprehenduntur, ob defectum, regulis canonicis repugnantem. Conf. JOSEPH. GIBALINUS *de irregularit. & impedim. canonicis*.

(2) Hanc antiquam eccleſiæ praxin erudite illuſtrat THOMASSIN. *de vet. & nov. eccl. diſcipl. P. II. lib.* 1. *c.* 56.

(3) Capitales pœnas exhorruerunt Chriſtiani primitivæ eccleſiæ, ut ſcripta patrum docent. Quo circa, quia purior clericorum vita eſſe debet, creditum fuit, eos, qui ſanguinem fuderunt, a clericatu repellendos eſſe. Conf. THOMASSIN. *cit. l. c.* 68. *ſeqq.* ESPENCÆUS *lib. II. digreſſ. cap.* 6.

(4) Hæc videtur Pauli 1. *Tim. III.* 2. 5. 9. 12. intentio fuiſſe. Myſtica interpretatio latius extendit hanc prohibitionem, quod non negat THOMASSIN. *cit. l. c.* 78. §. 8. aiens: *myſtica illa contemplatio & imitatio Chriſti, unam virginem ſibi caſtam eccleſiam deſponſantis, nec dum vel Pauli, vel aliorum tunc doctorum eccleſiæ oculis obverſabatur.*

(5) Qui cum immergi non poterant, ſed aſpergebantur dumtaxat, dubium aliis movebant, utrum habendi eſſent legitimi Chriſtiani? CYPRIAN. *epiſt.* 69. *edit. Brem.*

(6) Solebant non raro ære alieno obruti & adminiſtratores clericatum ambire, ut fori eccleſiaſtici ceterarumque immanitatum clericalium fierent participes, adeoque hi a rationibus reddendis, illi a ſolutione debitorum vel aliis incommodis liberarentur, qui abuſus omnino abolendus erat.

(a) 1. *Tim. III.* 2. 7. 10. *Tit. I.* 6. 7. *Can. Nic.* 9, *diſt.* 25. *c.* 6.
(b) *Diſt.* 50. *cap.* 55. *ex Conc. Carthag.* 4. *c.* 68.
(c) *Diſt.* 50. *c.* 8. *ex Martin. Bracar. c.* 26. (d) *Diſt.* 26.
(e) *Concil. Neocæſar. c.* 12. *diſt.* 57. (f) *Diſt.* 54. *c.* 3. *ex concil. Carthag. I. c.* 8.
(g) 2. *Tim. II.* 3. *diſt.* 38. *cap.* 4. *ex conc. Lat. IV.*, *cap.* 27.
(h) *Diſt.* 55. *cap.* 13. (i) *Levit. XXI.*; 17.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

tam difformem reddunt, ut ſuffiaminetur reverentia, veluti, ſi qui muti, ſurdi, cæci (*a*). Eunuchi, qui virilia ſibimet amputarunt, prohibentur; qui nolentes ac ſine culpa, admittuntur (*b*). Tanto enim primi Chriſtiani fervore ferebantur in morum puritatem, ut nonnunquam extra nimium & parum peccarent. Huc porro pertinent epileptici, dementes, energumeni. Qui enim his morbis ſemel laboravit, per omnem vitam redditur inhabilis ad miniſterium. (*c*)

originis, VIII. Irregulares ſunt extra matrimonium geniti, quorum, utut innoxiorum, vel ſolus adſpectus refricat memoriam criminis, quo nati (1) (*d*). Item ſervi (*e*), ne domini re ſua priventur. Unde etiamnum *ſervi manus mortuæ* (2), qui vocantur in Francia, & ſuperſunt in nonnullis provinciis, niſi conſentiente domino, ordinari nequeunt: nec monachi, ſine conſenſu ſuperioris (*f*). Item, qui infra ætatem ſunt, quam canones ad conſequendum quemvis ordinem requirunt.

Electi olim digniſſimi, IX. In quibus hujuſmodi vitium adparet, ii prohibentur ab ordinibus ipſaque prima tonſura. Et tamen eorum, qui nullo defectu laborant, delectus habetur. Apoſtoli, quum ex ſanctiſſimo cœtu Hieroſolymitano primi diaconi legendi eſſent, elegerunt ſeptem viros, populi ſuffragio adjutos, plenos Spiritu Sancto & ſapientia: in quibus Stephanus præſertim plenus fuit fidei, gratiæ, virtutis, mirabiliumque operum patrator. (*g*) Cyprianus ducentos annos poſt, qui e ſuppliciis eluctati eſſent, eis præmii loco lectorum locum dedit, eoſque qui minoribus ordinibus deſtinati erant, una cum presbyteris inſtituit. (*h*) Baſilius M. neminem fere ad hos ordines admiſit, quem non ſatis exploraſſet, num contentioſus, maledicus, vino deditus, num juveniles annos bene tranſegiſſet. (*i*) Presbyteri & diaconi, cum quibus conſueſcerent, hæc cuncta retulerunt ad chorepiſcopum, qui nutu epiſcopi eos miniſterio admovit. Ex quo vita monaſtica invaluit, monachi ſæpiſſime ob excellentem vitæ ſanctitatem e clauſtris protracti ſunt ad miniſterium Eccleſiæ, ſemperque pueri ad vitam clericalem a teneris educati, adſuefacti, traducti, qui ad unguem formarentur. (*k*) Adeo verum eſt, non obvio cuique demandandum eſſe divinum miniſterium; ſed Chriſtianorum perfectiſſimum quemque deligendum.

poſt etiam indigni, X. Sed pridem ab hac conſuetudine receſſum eſt. Fuere enim tempora, quibus epiſcopi, proborum hominum copia deſtituti, ne vacua relinquerentur officia, indignos eis præfecere, quorum maxima multitudo perſuadere cœpit Chriſtianis, virtutem divinam & ſacramentorum valorem neutiquam infringi miniſtrantis indignitate. (*l*) Quod licet verum ſit, eo tamen non valet, ut non miniſtros, quantum ejus fieri poteſt, exoptemus pientiſſimos. (3) Nam etiamſi per impro-

(1) Præterea obviam eundum erat clericis impuris & potentioribus concubinariis, qui liberos ſuos illegitimos eccleſiis obtrudebant, quod inſigne ſcandalum præbebat. ESPEN. *P. II. jur. eccl. lib.* 10. *cap.* 2. §. 5.

(2) *Hemines manus mortuæ* ſunt ſervi glebæ adſcripti, quorum bona vel in totum vel pro certa parte domino, iis decedentibus, obveniebant, quod jus Germanis vocatur *mortuarium*. Bona hæc dominus acquirit non *jure* quodam *hæreditario*, ſed *proprietatis*, quod in ſervum habet, quodque efficit, ut jure quaſi *peculii* in vita ſua ſervus iis tantum fruatur. Mortuo ſervo, ejus bona olim occupabat dominus *jure proprietatis*: quandoque liberis quædam relinquebat, ut fundo debito modo præeſſe poſſent, unde tandem natus mos, certam duntaxat portionem bonorum, mortuo ſervo, occupandi.

(3) Impii paſtores plus nocent rei chriſtia-

(a) *Can. Apoſt.* 78. (b) *Can. Nicæn. I.*
(c) *Cap.* 3. 4. *Diſt.* 33. *conc. Aurel.* 3. *cap.* 6.
(d) *Diſt.* 56. *Urban. II. in concil. Clarom. cap.* 11. (e) *Diſt.* 54.
(f) *Diſt.* 58. *concil. Agath. c.* 27. (g) *Act. VI.* 3.
(h) *Cyprian. ep.* 33. *ep.* 29. (i) *Baſil. ep.* 181.
(k) *Conc. Vaſenſe I. c.* 1. *Tolet. II. c.* 1. *IV. c.* 23. *Aquiſgran. c.* 135.
(l) *Auguſt. II. contra Donat. c.* 8. *IV. de baptiſm. c.* 2. 3.

improbitatem non minuatur ſacerdotum poteſtas; minuitur tamen auctoritas, neque, ſi precandi formulas & cærimonias exceperis, quidquam agere poſſunt ſine probitate & quadam amoris exuberantia.

XI. Interim non diffitendum eſt, recentioribus temporibus id ſolum fuiſſe ſpectatum, ut ordinationes vacarent vitiis exſtantioribus. Sed & horum ſuperandorum modus excogitatus eſt, *diſpenſationibus* introductis, quarum uſus primus fuit in *ordinatis*, ne nullæ habendæ eſſent ordinationes dubiæ & jam factæ; donec traheretur ad *ordinandos*, velut medium ad miniſterium perveniendi, vulgatiſſimuſque fieret. Omnium pernicioſiſſima fuit diſpenſatio circa crimina. Hac præmiſſa, in Eccleſiam manifeſti peccatores obtentu pœnitentiæ recepti, vel reſtituti ſunt. Ratio harum diſpenſationum in decreto Gratiani ſubleſtis auctoritatibus nititur. Nam prima ſumta eſt ex decretali Calixti I. epiſtola, quæ eſt falſiſſima (*a*). Altera ex Gregorii M. Epiſtola ad Secundinum, quæ doctis pridem ſuſpecta, quinque aliis hujus viri literis contraria, ac ejus ævi diſciplinæ adverſatur (*b*). Poſtrema ex epiſtola Iſidori Hiſpalenſis, dubiæ itidem fidei (*c*). Per hanc portam denique ad clericatum pervenerunt ſceleſtiſſimi homines, qui ne quidem pœnitentiam egerant, beneficiorum adipiſcendorum gratia (1).

per diſpenſationes, quæ impetrabantur. quippe ex ſpuriis canonibus hauſta.

CAPUT V.

De prima Tonſura.

I. NUnc ad ſingulos ordines deveniendum eſt, monſtrandumque, quomodo conferantur, quibuſve functionibus inſtructi ſint. Atque ut de *tonſura* primum agamus, ſciendum eſt, primis ſæculis clericos a laicis nec capillis, nec veſtibus, nec certo habitu fuiſſe diſtinctos. Nam quum clerici a paganis ſemper crudelius vexarentur, quam laici, ſine neceſſitate noluerunt hoc modo ſibi mala arceſſere; & Chriſtianorum omnium externus habitus clericali modeſtia dignus fuit

Origo habitus clericalis.

ſtianæ, quam proſunt, adeo ut ſub horum præfectura Eccleſiæ *vacare* dicantur. Ita recte cenſuit Pontifex in *c.* 2. X. *de tranſlat. epiſc. juxta communem modum loquendi illa dicitur Eccleſia viduata, quæ licet epiſcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere.* Si ergo in effectu *viduatæ* ſunt Eccleſiæ, palam eſt, ex peſſimorum paſtorum moribus fere unice depravatam corruptamque eſſe Eccleſiam. *Sicut de templo*, ait PETRUS de ALLIACO *in canon. reform. Eccl. c.* 6. *in f.* HARDTIUM *tom. I. concil. Conſtant. P.* 8. *omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit. Si enim ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret; ſi aut corruptum fuerit, omnis fides & virtus marcida eſt. Sicut cum vides arborem pallentibus foliis, intelliges, quod vitium habeat in radice; ſic cum videris populum indiſciplinatum, ſine dubio agnoſce, quod ſacerdotium non ſit ſanum.*

(1) Acceſſit alius abuſus, quoſcunque ad clericatum aſſumendi, ut ſaltim numerus *ſubditorum Eccleſiaſticorum* in regno clericali augeretur. Taxat hunc nævum AUCTOR *tom. XIX. hiſt. Eccl. in diſc. prælim. n.* 8. oſtenditque, poſtquam neglecta fuit concilii Chalcedonenſis prohibitio, ne quis ſine titulo ordinaretur, Epiſcopos pro lubitu infinitum clericorum numerum creaſſe, *extendendæ juriſdictionis gratia*. Plurimi tantum primam tonſuram accipiebant: plurimi etiam ordines minores, & ſicuti hi cum matrimonio ſubſiſtere poſſunt, ita ubique clericorum conjugatorum copia, qui Eccleſiæ haud inſerviebant, ſed opificiis aliiſque viliſſimis miniſteriis dabant operam, adeo, ut neceſſe fuerit prohibere, *ne clerici carnificum ſeu macellariorum aut tabernariorum officium publice exercerent. clem.* 1. *de vit. & honeſt. cleric.* item *ne eſſent bufones, galiardi aut joculatores. c.* 1. *eod. in* 6.

(a) *Diſt.* 50. *cap.* 14. 16. 18.

(b) *Greg. I.* 7. *indict.* 2. *ep.* 54. *contra* 3. *ep.* 26. *l.* 4. *ep.* 16. 17. *l.* 6. *ep.* 39. 7. *indict.* 1. *ep.* 25.

(c) *Thomaſſ. diſcipl.* 1. *part.* 2. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 9. *part.* 4. *l.* 2. *c.* 24. *n.* 22.

fuit (*a*). Libertas illa integra fuit uſque ad ſæculum V.; Nam Cæleſtinus Papa an. 428. ſcribit, *ep.* 2. illo tempore ne quidem Epiſcopos externo habitu a ceteris Chriſtianis fuiſſe diſtinctos. (1) Latini Chriſtiani omnes habitu utebantur Romano, toga ſcilicet longa, capillis reſectis & barba raſa. Diverſus fuit barbarorum, qui imperium everterunt, cultus; veſtis nimirum brevis & adſtricta, capilli longi, barbaque vel promiſſa vel raſa. Romani peregrinum barbarorumque habitum execrabantur; & quia eo tempore omnes clerici fuere *Romani*, priſtinum cultum retinuerunt, qui *clericorum* proprius factus eſt. Unde contigit, ut, quoties e Francis ceteriſque barbaris, qui Chriſtiani facti, quiſquam recipiendus eſſet clericus, huic capilli amputarentur, eique toga traderetur. (*b*) Iiſdem temporibus plures epiſcopi aliique clerici ſumſerunt *habitum monachorum*, tamquam modeſtiam Chriſtianam admodum decentem (2) (*c*). Atque hæc origo videtur fuiſſe *coronæ clericalis*. Fuerunt enim monachi, qui, ut ſe contemtui aliorum exponerent, ſinciput radebant. Quidquid hujus ſit, corona illa, teſte Gregorio Turonenſi, jam circa an. 500. in uſu fuit (*d*).

qui collatus cum cæremoniis, ſpeciatim tonſura,

II. Hoc diſcrimine recepto, placuit Epiſcopis, habitum illum inter preces & ſolemnes cæremonias clericis conferre, ut ritus iſte eſſet veluti *quædam præparatio* ad reliquos ordines. Et quum plerumque pueri hoc ritu ad vitam clericalem inaugurarentur; explorationi eorum ſat temporis tribui potuit, donec ad ordines proveherentur. Hinc factum eſt, ut, qui ſui commodi cauſſa *clerici* fieri vellent, ſola *tonſura* contenti, ceteros ordines contemnerent. Hi fuere mores eorum, qui olim *privilegia clericorum*, veluti exemtionem a juriſdictione ſæculari, captabant, & noſtro tempore *beneficiis* inhiant (3). Quorum quum nonnulla ſint pinguiſſima, quæ etiam in ſimplicem clericum cadere poſſunt; qui ea appetunt, raro ad altiorem clericatus gradum, quam qui ad beneficia obtinenda neceſſarius videtur, enituntur.

qua datur confirmatis.

III. Qui tonſuram accipiunt, confirmati eſſe debent (*e*). Nam ante Chriſtianum eſſe oportet perfectum, quam clericus fiat (4). Similiter de præcipuis ad æternæ ſalutis viam pertinentibus veritatibus admonendi ſunt, quia, qui has ignorant, *confirmari* nequeunt. Ex quo apparet, tonſuram vix ſeptem vel octo annis minori impertiri poſſe, quæ in nonnullis diœceſibus uſque ad an. XIV. æt. differtur. Quacumque autem ætate ſint, qui tonſuram poſtulant, ita comparati

(1) Optime addit Cœleſtinus: *diſcernendi a plebe vel ceteris, ſumus doctrina, non veſte: mentis puritate, non cultu*. Damnat ſubinde conſuetudinem contrariam, ut *ſupervacuam ſuperſtitionem* & *novitatis* quid redolentem.

(2) Vel potius monachi ad Epiſcopatum & clericatum aſſumti (quod tempore Cœleſtini ex quodam *ſanctitatis* præjudicio fere in morem abierat) habitum monachalem retinuerunt, ceteroſque facile induxerunt, ut ſeſe ad mores componerent monaſticos. Audiamus COELESTINUM *cit. l. Non mirum, ſi contra Eccleſiaſticum morem faciunt, qui in Eccleſia non creverunt: ſed alio venientes itinere ſecum hæc in Eccleſiam, quæ in alia converſatione habuerunt, intulerunt.*

(3) Invitati ad hoc ex Epiſcoporum pruritu juriſdictionem ſuam latius extendendi. Supra enim obſervavi, quoſcunque ſine delectu ad *primam tonſuram* & *minores ordines* admiſſos fuiſſe, ut numerum ſuorum ſubditorum, qui ex clericis potiſſimum conſtant, augerent Epiſcopi.

(4) Id accipiendum de *confirmationis* ſacramento, ut loquuntur, abſque quo in militia ſpirituali poſt *baptiſmum* felices progreſſus facere haud poſſe creduntur. Antequam ergo ad primam tonſuram admittatur, docere debet 1. legitimos natales, 2. confirmationem, 3. quod nullum aliud impedimentum ſubſit. Ceterum de *tonſura clericali* præter THOMASSINUM ab Autore laudatum pluribus ediſſerit MORINUS *de ordinat. P. III. exerc.* 15.

(a) *Thomaſſ. diſcipl. part.* 2. *l.* 1. *cap.* 21.
(b) *Concil. Agath. c.* 20. *Matiſc. c.* 5. *Tolet. IV. c.* 41. *Mart. Braccar. c.* 66.
(c) *Thomaſſ. ibid. c.* 20. 21. (d) *Vitæ patr. cap.* 17.
(e) *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *ref.* 2. 24.

rati eſſe debent, ut non ſine ratione exiſtimari poſſit, eos non *lucri* cauſſa, ſed Dei amore ductos hoc genus vitæ fuiſſe amplexos. Qua indole eam accipiendam eſſe omnes ejus cærimoniæ indicant.

ritus collationis ex pontificali Romano de clerico faciendo.

IV. Principio Epiſcopus circumſtantes invitat ad preces jungendas & Chriſto offerendas pro famulo ſuo, *qui ad deponendum comas capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eo in perpetuum conſervet, & a mundi impedimento ac ſæculari deſiderio cor ejus defendat; ut ſicut immutatur vultu, ita dextera manus virtutis ejus tribuat ei incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali & humana oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gloriæ concedat.* Quo facto canitur *Pſalmus XV.* quo David execratur idola, Deoque ſpondet perfectum cultum. Interim Epiſcopus nonnihil capillorum abſcindit initiando, qui ex eodem pſalmo recitat hæc verba: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Quo ipſo declarat, ſe mundo valedicere in ſolo Deo confiſum. Epiſcopus denuo orat, ut Deus eum in caritate ſua conſervet immaculatum. Canitur poſthæc *Pſalmus XXIII.* quo exprimitur, quanta ſanctitas in iis requiratur, qui ad domum Dei intrant.

reſectio crinium;

veſtis clericalis?

V. His præmiſſis Epiſcopus linea veſte amicit, amictumque verbis Paullinis alloquitur, *Deus te induat novo homine, qui ad imaginem Dei creatus eſt in perfecta juſtitia & ſanctitate. Eph. IV.*, 24. Veſtis linea ab hinc duobus ſæculis, quum homines promiſcue longa veſte uterentur, *clericos* diſtinxit a *laicis*. Poſt iteratas preces, ut Deus novum clericum a ſervitute & ab *ignominia habitus ſæcularis* liberet, Epiſcopus, eum in *juriſdictionem Eccleſiæ* tranſiiſſe monet, acquiſitis privilegiis Eccleſiaſticis, adjicitque: *Cave tua culpa hæc amiſeris, & Deo modeſto habitu, caſtis moribus vitæque ſanctitate, placere ſtude.* Ex quibus precum formulis apparet, cui fini tonſura detur, nec temere habitum Eccleſiaſticum deponendum, ac aliud vitæ genus poſt tonſuram amplectendum eſſe (1).

officii expers eſt tonſus.

VI. Tonſi clerici nullæ ſunt partes in Eccleſia, niſi *linteatus* officiis adſiſtere velit. Poteſt tamen *quatuor minorum* vicibus fungi præ laicis; miſſam dicenti ſacramentaque adminiſtranti ſacerdoti adſiſtere; curam habere cereorum, ornatuſque Eccleſiæ. Præſtat enim hæc talia a tonſo, quam a *laico* fieri.

CAPUT VI.

De quatuor Minoribus Ordinibus.

Oſtiariorum ordinatio & officium ex pontif. Rom. de ordinat. oſtiar.

I. OStiariorum munus in Eccleſia preſſa neceſſarium fuit, ut aditum in Eccleſiam præcluderent infidelibus, qui cultum publicum turbare, myſteriaque profanare poterant. Hi in Eccleſia ſuum cuique locum aſſignarunt; clerum a populo; mares a feminis ſepararunt, cunctiſque ſilentium & modeſtiam commendarunt. Officium eorum, quantum ex Epiſcopi ordinantis oratione, precibuſque inter ordinandum fuſis, colligere licet, in eo conſiſtit, ut pulſent campanas, diſtinguant horas precum, cuſtodiant diu noctuque Eccleſiam, aperiant, claudantque Eccleſiam, & ſacrarium ſtatis horis, aperiant librum ei, qui verba facturus eſt ad populum. Traditis Eccleſiæ clavibus (2) Epiſcopus inquit: *Sic age, ut ſcias, te Deo redditurum eſſe rationes earum rerum, quæ his clavibus reclu-*

(1) Hæc obſervatio olim prorſus incognita erat; neque enim, ritu tondendi introducto, ſeparatim tonſura dabatur, ſed, ut optime docet MORINUS *cit. l. c.* 3. hæc pars quædam *ceremonialis* erat *gradus* clericalis, qui tonſo conferendus erat, *Ordo* ergo, non *tonſura*, olim clericum faciebat. Poſtquam vero etiam pueri ad clericatum adſpirabant & præparabantur, qui ordines recipere non poterant, eos interim tondere ſolebant, quo ipſo factum, ut etiam aliis quandoque tonſura ſine gradibus conferretur, quod pedetentim in morem conſtantem abiit.

(2) Hæc traditio olim ſufficiebat. Acceſſit novus ritus, ut archidiaconus *funem cam-*

duntur. Atque ut in univerſum dicam, quid de his precum formulis ſentiendum ſit, ſunt eæ canitie ſua venerabiles, ſiquidem *concilio Carthaginenſi IV. an.* 398. tempore Auguſtini habito conceptæ. Oſtiariorum igitur eſt, ornamentorum, ac reliqui ſplendoris Eccleſiæ, curam habere; quæ ſane quam latiſſime patet, nec niſi maturæ ætatis hominibus commendabatur. Plurimi omnem vitam in hoc gradu exegerunt; nonnulli ad *acolythorum* ac *diaconorum* munus provecti ſunt. Nonnunquam laici hoc officium impetrarunt, qui hodie ut plurimum eo fungi ſolent (1).

De lectoribus ex eodem.

II. *Lectores* oſtiariis ut plurimum fuerunt ætate inferiores, quum plerumque pueri, qui clericatu initiabantur, lectores fierent. Fuere ſæpe epiſcopis & presbyteris ab epiſtolis, proficientes coram iis legentes vel ſcribentes. Hac ratione erudiebantur, qui ad literarum ſtudia & ad ſacerdotia videbantur idonei (*a*). Multi tamen per omnem vitam lectores manſerunt. Officium eorum ſemper neceſſarium viſum, quia ſemper in eccleſia, ſive inter ſacrificium *miſſæ*, ſive inter alias functiones, præſertim nocturnas, prælegebatur ſcriptura veteris & novi Teſtamenti. Legebantur etiam aliorum epiſcoporum epiſtolæ, acta martyrum, homiliæ patrum, quod hodieque fieri ſolet. Cuſtodia ſacrorum librorum ipſis commendata aleæ plenum opus fuit, perſecutionum temporibus (*b*). Formula ordinationis habet, ut loco ejus, qui verba facit ad populum, prælegant, aut prælegenda decantent, panemque & novos fructus benedicant. Epiſcopus eos ad fidelitatem lectionis lectorumque exercitium exhortatur, adſcribitque numero miniſtrorum verbi divini (*c*). Hodie lectiones iſtæ ab omnis generis clericis, immo & presbyteris, cantari ſolent.

Qui fuerint exorciſtæ?

III. *Exorciſtarum* munere hodie funguntur presbyteri, idque non niſi ſpeciali mandato epiſcopi, quia raro dantur energumeni, & prudentia opus eſt, quum nonnunquam impoſturis ludere ſoleant homines. Olim inter gentiles potiſſimum multi fuere dæmoniaci: &, ut Chriſtiani palam facerent, quam contemnenda videretur dæmonis potentia, dæmonum fugandorum munus infimi ordinis miniſtris commendarunt (*d*). Sed & iidem in catechumenis dæmonem ejurarunt. In pontificali officii eorum partes recenſentur hæ: monere populum, ut, qui euchariſtia non utantur, ceteris locum dent; aquam miniſtranti affundere; dæmoniacis manum imponere. Monentur, ut formulas execrandi memoriæ mandent. Denique iis virtus ſanandi ægrotos attribuitur (*e*).

Qui Acolythi?

VI. *Acolythi* fuere juvenes viginti, raro ſupra triginta annos nati, epiſcopi pediſſequi apparitoreſque & nuntii, qui etiam *eulogias* portarunt, hoc eſt, panem benedictum, qui aliis in *ſignum communionis* mittebatur. Euchariſtiam quoque primis temporibus portarunt; (*f*) ſub diaconis altari miniſtrarunt, vicibuſque

---

campanarum eidem traderet, poſtquam invaluit per ſonitum campanæ convocare fideles.

(1) Videlicet ordines minores hodie otioſi ſunt, ut non diffitetur MORINUS *de ordin. P. III. ex.* 13. *c. un.* §. 10. *Quis enim*, ait, *oſtiarius conſecratus oſtia & campanas Eccleſiæ curat? Hæc præſtant viles perſonæ, mercede conductæ. Quid præſtat lectoratui initiatus? Nihil nunc eſt in toto eccleſiæ officio, quod ſingulariter ipſi conveniat. Imo ſi aliquis epiſcopus vellet lectorem aliquem ratione gradus ſui miniſtrare, difficillimum eſſet ipſi proprium munus aſſignare, quod ex hodierna praxi, vel ad ſubdiaconum, vel ad Acolythum non pertineat. Exorciſtarum officia ad presbyteros devoluta ſunt, nec iis ſe immiſcent amplius exorciſtæ, & eo modo illa exercent presbyteri, ut exorciſtæ ſimplices ea non poſſint amplius exercere. Habent ſua munera acolythi, ſed obvii quique laici, non ſecus ac ipſi acolythi, iis funguntur.* Non ergo alia de-cauſa retinentur hi ordines, quam ut copia ſemper adſit, plures faciendi clericos otioſos, ſine *titulo* & officio vero, a quo more abhorruit priſca eccleſiæ diſciplina.

(a) *Siric. ep.* 1. *ad Himer. Tarrac. cap.* 9.
(b) *Act. Cirthenſ. colon. Baron. an.* 303. *num.* 12.
(c) *Pontifical. ex Conc. Carth. IV.* (d) *Tertull. apolog. c.* 2.
(e) *Orat. ult. pontific. de ordin. exorciſt.* (f) *Martyrol. Rom.* 15. *Aug.*

que ſubdiaconorum, antequam hi inſtituerentur, functi ſunt. In pontificali non alia ipſis commendantur officia, (1) quam *cereoferarium ferre, luminaria eccleſiæ accendere, vinumque & aquam ad eucharistiam miniſtrare*. Suffitus quoque curam habent. Atque hoc ordine juvenes maxime initiari ſolent.

V. Primis temporibus inferiorum clericorum longe major fuit, quam ſuperiorum numerus. Quum an. 254. Cornelius Papa eligeretur, eccleſia Romana numeravit in univerſum 152. clericos, nimirum 44. presbyteros, & 108. miniſtros, videlicet 7. diaconos; 7. ſubdiaconos; 42. acolythos; 52. exorciſtas, lectores, oſtiarios. Ergo minorum quatuor ordinum 94. & quidem in graviſſimæ perſecutionis tempeſtate. (*a*) Inde a Conſtantino auctus eſt hic numerus, & in eccleſiis per ſpatium quingentorum annorum publicus cultus maximo cærimoniarum ſervientiumque apparatu celebratus. Poſt bona eccleſiæ diſſipata, horum miniſtrorum numerus imminuendus fuit. Contra miſſæ minus ſolennes increbreſcentes multiplicarunt presbyteros & altaria, licet alimenta deficiant iis, qui ad altare miniſtrant. Unde hodie parcior apparatus miniſtrorum in eccleſia, nec quiſquam fere minoribus ordinibus inauguratur, niſi qui per hos ad ordines ſacros tendit. *Horum minorum clericorum major olim numerus,*

VI. Interim heroes iſtos, qui in externis hiſce ſchematibus ordinandis tantum operæ poſuere, in re nauci operam luſiſſe cave exiſtimes. Compertum enim habuere, quantum ſenſibus, imaginibuſque, per ſenſus intrantibus, animus commoveri ſoleat. Loci decus, congregationis ordo, ſilentium, cantus, cærimoniarum majeſtas, animum ad Deum elevant, rudique populo reverentiam ſacrorum inſpirant, virtutiſque amorem inſtillant (*b*). Si templum Hieroſolymitanum tot millibus Levitarum, alternis vicibus ſervientium, tanta cultus majeſtate illuſtratum reſpicimus; non ſine rubore intuere poſſumus noſtras eccleſias (2) miniſtris prope deſtitutas; quum tamen hic corpus Chriſti habitet; illic tantum arca fœderis, & ne hæc quidem in templo ſecundo. *qui ad pompam ſacrorum mirifice comparatus fuit.*

VII. Concilium certe Tridentinum, (*c*) noluit quatuor minores ordines pro vanis titulis, functioneſque eorum pro antiquitatibus eccleſiaſticis obſoletis haberi. Sanxit enim, ut inſtaurarentur in omnibus eccleſiis, populo opibuſque affluentibus. Voluitque, ut pars redituum etiam fabricæ, iis impendatur, & uxorati clerici his imbuantur, ſi cælibum non ſit copia: quemadmodum olim quoque conjugati iis fungebantur. Sed quum ex uſu noſtri ævi per hos ordines veluti per gradus adſcenſus detur ad ſuperiores; eodem concilio ſancitum eſt, ut initiandi ſaltem latine docti ſint, teſtimonioque magiſtrorum, ſub quibus crevere, muniti: commendantur quoque interſtitia, ut clerici ſacris cujuſque ordinis functionibus adſueſiant, & epiſcopi profectus eorum in literis & moribus explorare poſſint; permiſſa tamen epiſcopis diſpenſandi poteſtate, qua tam liberaliter utuntur, ut ſæpe eidem homini eodem die omnes ordines conferri videas. Sunt etiam *etiam concilio Tridentino commendatus. quamquam hodie interſtitia negligantur.*

(1) In pontificali Romano hæc formula in traditione cereoferarii præſcipta eſt: *accipite cereoferarium cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini, Amen.* In *urceoli traditione* hæc formula uſitata eſt: *accipite urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in eucharistiam ſanguinis Chriſti in nomine Domini, Amen.*

(2) Etenim novi fœderis cultus magis *ſimplicitatem* & *veritatem* in ſpiritu, ipſo ſalvatore teſte *Joh. IV. 21. ſeqq.* quam talem apparatum deſiderat commendatque. Quo magis creverunt ritus, eo magis decrevit vera devotio, & incrementa cepit ſuperſtitio. In puriori eccleſia talis apparatus deerat, tunc demum receptus, auctus & variis modis circumſcriptus, ubi vera ratio adorandi Deum in *ſpiritu & veritate* conſenuit deferbuitque, quod imprimis ſata ſeculi IV. docent. Plenius ea de re a me actum eſt in diſſert. *de jure liturgico*.

(a) *Euſeb. 6. hiſt. c. 43.* (b) *Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 5.*
(c) *Seſſ. 23. ref. c. 17.*

etiam abbates, (1) qui hos minores ordines monachis ſuis conferendi poteſtatem ſibi arrogant; quorum jura canonum auctoritate non deſtituuntur (*a*).

CAPUT VII.

De Ordinibus Sacris univerſim.

Eorum, qui in ſacris ſunt, tria officia generalia.

I. SUbdiaconi eſt, *caſtitatem* ſervare; *titulum* habere, hoc eſt, alimenta ſive ex eccleſiæ bonis, ſive ex ſuo patrimonio certa; ac *totum officium eccleſiæ* ſaltem privatim recitare. Quæ tria quum ſint omnium ſuperiorum ordinum communia, attentiorem diſcuſſionem merentur.

1. Abſtinentia a matrimonio.

II. Epiſcopi ſemper (2) per univerſam eccleſiam cœlibatum coluere. (*b*) In primitiva quidem eccleſia ſæpe *conjugati* electi ſunt, quia vix alii inter Judæos & paganos ad Chriſtum converſos haberi poterant. Unde PAULUS requirit, ut ſaltem unam uxorem habeant, familiamque propriam bene regant (*c*). Sed ſimul atque ad ſacerdotium evecti eſſent, ab uxoribus abſtinuerunt, quarum de cetero magnam curam habuere. (*d*) *Sacerdotes & diaconi* (3) eamdem obſervantiam ſecuti ſunt per omnem Occidentem. *Per Orientem* diſciplina ſuit varia: & licet per mille amplius annos Græci uxores, quas ante ordinationem duxerant, poſtea retinuerint; (*e*) inauditum tamen eſt, ſacerdoti uxorem ducere licuiſſe. *Subdiaconi* ſerius huic legi ſubjecti fuere, quam tamen ad eos quoque pertinuiſſe auctor eſt Epiphanius (*f*). Sed inde a Gregorii M. temporibus perfectam legi cœlibatus obedientiam præſtiterunt (*g*).

Refractariorum pœna.

III. Olim ſi quis e *clericis majoribus* uxorem duxiſſet, ei tantum ſacris interdicebatur, laicorum numero cenſendo. Juſtinianus liberos hujuſmodi matrimonii illegitimos, ſucceſſioniſque & donationum exſortes eſſe voluit (*h*). Denique hæc connubia irrita habebantur, utraque parte ad pœnitentiam condemnata. Si quis uxo-

(1) *Mitrati* ſcilicet ſeu *infulati*, qui ex privilegio pontificis pontificalibus inſigniis h. e. baculo, mitra, annulo, chirotheca & ſandaliis uti poſſunt, quo ipſo jura quædam epiſcopalia conſequuntur, *c. 6. de priv. in 6.* & propria diœceſi gaudent æque ac epiſcopi.

(2) Summus in primitiva eccleſia *abſtinentiæ* & *vitæ aſceticæ* amor, quæ *philoſophica* vocabatur; atque inter homines, non in antris & ſpeluncis ferarum, agebatur. Abſtinentes uſum omnis conjugii ſugiebant & quidem *ſponte*, ut tradit TERTULLIANUS *lib. II. de cult. femin. c.* 9. cum ORIGENE *contra Celſ. lib. V. p. 264. edit. Cantabr.* Hoc *abſtinentiæ* ſtudium & *laicis* & *clericis* commune erat, ut puriſſima mente Deo ſervirent; non ergo demirandum, ſi epiſcopi imprimis ejus ardore flagrarent, licet nec omnes abſtinerent, & qui abſtinebant, id *ſponte* facerent. Lex *cælibatus* nemini impoſita erat. Sciebant apoſtolos uxoratos. Opinio de *ſacrificio quotidiano miſſatico* deerat, atque denique omnes aliæ rationes ſtatus *regni eccleſiaſtici* ceſſabant, v. IGNATIUS *in epiſt. ad Philadelph.* Ergo merum patrum quorundam figmentum eſt, epiſcopos conjugatos ab uſu conjugii *ſemper* abſtinuiſſe. SOCRATES *lib. I. hiſt. eccl. c.* 2. Conf. *cap.* 12. *D.* 31.

(3) Fuiſſe etiam *continentes* diaconos credo; ſed forſan plures quoque fuere uxorati. IRENÆUS *lib. I. adv. hæreſes c.* 9. mentionem facit *diaconi* ſpecioſam uxorem habentis, & in *c.* 8. *D.* 28. ex *concil. Ancyr.* teſtimonium ſeculi IV. adſertur, diaconos, qua tales, potuiſſe uxores ducere, ſi hanc facultatem in ordinatione ſibi reſervaſſent.

(a) *Concil. Nicæn. II. c.* 14.
(b) *Diſt.* 27. (c) 1. *Tim. III.* 4. *Tit. I.* 6.
(d) *Siric. ep. 1. cap. 7. Innoc. ep. 2. cap. 9. can. apoſt. 6.*
(e) *Concil. in Trullo c. 13. can. apoſt. 27. Conc. Neocæſar. c.* 1.
(f) *Hæreſ. 59. num.* 4. (g) *Diſt.* 28.
(h) *L. 45. C. de epiſc. & cler.*

uxoratus ordinatur ſubdiaconus, uxoris conſenſu opus eſt, quæ ſimul voto caſtitatis obſtringitur, clauſtro monachali recondenda (*a*).

Eccleſia non damnat nuptias, ſed cælibes præfert conjugatis.

IV. Hæ leges continentiæ temporibus ignorantiæ incultis Germanis potiſſimum & Anglis ſæculo XI. & XII. nimis rigidæ viſæ ſunt, noviſſimiſque hæreticis anſam dedere inſurgendi contra eccleſiam. Sed ſciendum eſt, homines non vi pertrahi ad clericatum, & ſi hoc olim factum eſt, id contigiſſe in iis, de quibus certa erat perſuaſio, fore, ut regulam eccleſiæ obſervarent. Clericis *minoribus*, quorum copia major opus fuit, matrimoniorum libertas ſemper conſtitit: nec eccleſia condemnat nuptias. Sed quum ei competat electio, præoptat clericos eos, qui Deo conſecrati *continentiam* ſectantur, in ſcripturis tantopere commendatam (*b*). Presbyteri & epiſcopi ordinandi ſunt provectiores ætate, ut precibus & inſtitutioni populi vacent, & a cura rerum humanarum liberi, vitam non inter Deum & mundum dividant. Sacerdotes veteris Teſtamenti, ad ſacrificandum acceſſuri, uxoribus abſtinere juſſi ſunt. Noſtris quotidie incumbit ſacrificare (1) & adminiſtrare ſacramenta (*c*). Licet clericis minoribus nuptiæ permiſſæ ſint, deſinunt tamen poſt nuptias eſſe clerici intuitu *beneficiorum* (*d*). Et ſi non actu miniſtrant in eccleſia, clericorum nec privilegiis gaudent, nec habitu, nec tonſura utuntur (*e*).

2. Titulus hoc eſt certa ſuſtentatio vel ex eccleſia.

V. Quod ad titulum (2) adtinet; ratione ejus nulla fuit clericorum majorum & minorum differentia. Regulariter clericus non fiebat, niſi eccleſiæ neceſſarius videretur, & ab epiſcopo vel certo officio, vel certo titulo hoc eſt certæ eccleſiæ præficeretur. Sic quoties epiſcopus lectorem vel oſtiarium ordinabat, officium e, quod exerceret, donabat, quod hodienum fieri ſolet in ordinationibus. Simul nomen ejus relatum eſt in catalogum eccleſiaſticorum, ut vel in dies, vel in menſes (3) ratam portionem oblationum acciperet. Presbyteris quidem ceteriſque clericis jam ſæculo V. ordinationes *vagæ* impertiebantur. Unde concilium Chalcedonenſe *c.* 6. prohibuit, ne quis ordinaretur niſi ad certam eccleſiam, *abſolutaſque* ordinationes irritas declaravit.

vel ab epiſcopo,

VI. Hoc jure ſtetimus uſque ad ſæculum XI. quo ſancitum eſt, ut clerici ordinentur ad *titulum*, cui primo fuerant deſtinati (*f*). Sed ſæculo XII. multiplicatis mire clericis ab hac regula diſceſſum eſt. Nam & privatorum quiſque privilegiis clericorum uti, & epiſcopi juriſdictionem ſuam protendere ſategerunt. Inde id damni inter cetera redundavit in rempublicam, ut clerici, aliis ſuſtentationis mediis deſtituti, vel ſordidas artes exercerent, vel panem emendicarent. Unde concilium Lateranenſe, ab ALEXANDRO III. *an.* 1179. celebratum, ſanxit *c.* 5. ut epiſcopus, quem clericum ordinaſſet, *ei tam diu neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ clericalis adſignet* (*g*).

vel ex proprio patrimonio,

VII. Adjecit tamen concilium exceptionem: *niſi talis ordinatus de ſua vel paterna*

(1) Hanc hypotheſin jam ſeculo III. fovit ORIGENES *homil. XXIII. in Numer.* ſed eam duntaxat, ut *ſententiam privatam*, non ut *communem* eccleſiæ *legem* attulit. Ait: *impeditur ſacrificium indeſinens in iis, qui conjugalibus neceſſitatibus inſerviunt; unde* VIDETUR MIHI *quod illius ſolius eſt offerre ſacrificium indeſinens, qui perpetuæ ſe devoverit caſtitati.* Sibi tantum tale quid ita videri ait, non vero conſtituit & poſitive affirmat, ita faciendum eſſe.

(2) Milites, olim lecti, in numerum referebantur, ut eſſent hujus vel illius cohortis. In eo conſiſtebat *militum titulus*, ſine quo eſſe non poterant. Eadem appellatio in ſignificatu ſimili tracta videtur ad clericos, ne ſine *titulo* ordinarentur. MERILL. *lib. III. obſ. c.* 2.

(3) CYPRIANUS *quotidianas diſtributie-*

(a) *Concil. Rom. ſub Calixto II. c.* 20. *concil. Agath. c.* 10.
(b) *Matth. XIX.* 1. *Cor. VII.* (c) INNOC. I. *ep.* 2. & 3.
(d) *c.* 3. 5. 9. *X. de cler. conjug.* (e) *Ibid. c.* 7. 10. *juncto concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 17.
(f) *Urban.* II. *in concil. Clarom. c.* 13. (g) *c.* 4. *X. de præbend.*

terna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere. ibid. id quod ex falſa interpretatione vocabuli *poſſeſſionis*, (1) quod Chalcedonenſe uſurpavit, natum videtur (*a*). Quidquid hujus eſt, ex eo tempore firmata fuit regula, neceſſarium non eſſe, ut clericus vel *reditu*, vel *loco* in eccleſia gaudeat, modo per ſe haberet, unde victitaret (*b*). Sed hæc remedia effectu caruere. Quo enim quiſque clericorum eſt pauperior, eo eſt ad implorandam epiſcopi liberalitatem infirmior; & titulus patrimonialis ſumme tenuis admiſſus eſt. Statutis enim Francicis 50. libræ annuæ ſufficiunt; Pariſiis autem & in pluribus aliis diœceſibus 150. requiruntur.

VIII. Concilium Tridentinum (*c*) revocavit priſtinum morem, prohibuitque, ne quis ſacris ordinibus admoveretur, qui non beneficio eccleſiaſtico frueretur, damnatis titulis *patrimoniorum*, vel *penſionum*, niſi epiſcopo e re videretur eſſe eccleſiæ. Atque hoc modo *beneficium regulam*, *patrimonium exceptionem* eſſe voluit, ſanxitque ad exemplum (*d*) ne quis ordinetur præter neceſſitatem, & ut ordinati certæ eccleſiæ aſſigantur, a qua ſine venia epiſcopi recedere non poſſent (*e*). Sed in Francia *titulus patrimonialis* eſt tritiſſimus. *vel ex monaſterio.* Regulares quidem per plura ſæcula non niſi ad certam eccleſiam ordinati ſunt; Sed noviſſimis temporibus vota monaſtica inſtar *tituli* eſſe cœperunt, quum monachi alendi ſint in monaſteriis: & mendicantibus *tituli* loco fuit ipſa paupertas ſeu poteſtas ubique mendicandi impune (2). *vel ex mendicitate petendo.* In minoribus ordinibus titulus haud deſideratur; quum vinculum eorum revocari poſſit.

3. Recitatio S. officii. IX. Quum autem clerici majores omnes ad miniſterium eccleſiæ ſint deſtinati; precibus ſaltem, ſi aliis officiis deſtituuntur, litare debent. Unde reſultat obligatio ad recitandum officium: qua de re parte altera conſultius videtur agere (*f*).

C. A-

---

tiones vocat *ſportulas* & clericos, eas percipientes, fratres *ſportulantes*; portiones autem in menſes ſingulos diſtributas nominat *diviſionem menſurnas. ep.* 1. 34. 38. *edit. Brem.*

(1) *Verſio latina* inſulſe *poſſeſſionis* vocabulum uſurpavit, ut duplex verſio apud HARDUIN. *tom. II. concil. p.* 603. ſeqq. innuit: in *textu græco* χώρης fit mentio, quod *vicum* denotat, deſignatque *eccleſias vicorum*. Eo abſurdior autem eſt interpretatio gloſſæ, quod *eccleſia poſſeſſionis* non poſſit denotare *proprium patrimonium*, ſed potius *eccleſiam* cum officio ſacro, ad quam quis ordinandus eſt. Enim vero non tam ex falſa interpretatione *gloſſæ* hic mos natus, quippe qui magis corruptiſſimo ſtatui eccleſiæ acceptus ferendus, quam aliunde natus, inde duntaxat defenſus videtur.

(2) Ordinantur enim monachi & imprimis *mendicantes* ſine certa eccleſia, cui præficiuntur, ut miſſas legere ceteraque officia presbyteralia peragere poſſint, præſertim cum etiam privilegium acceperint, ut confeſſiones quorumcunque audire poſſint. Ceterum ordinantur etiam quidam epiſcopi, quos *ſuffraganeos* vocant, ſine *titulo vero: fucatum* accipere videntur, dum aſſignatur eis epiſcopatus, qui vel non amplius eſt in rerum natura, vel non in poteſtate Romanæ eccleſiæ. Atque hi aliorum epiſcoporum *actualium* vices peragunt, qui magis *epiſcopatum*, quam ἐπισκοπὴν curant.

(a) *Gloſſ. in c.* 1. *diſt.* 70. *verb. poſſeſſion.* (b) *c.* 23. *X. de præb.*
(c) *Seſſ.* 21. *cap.* 2. (d) *Concil. Chalced. c.* 6.
(e) *Seſſ.* 23. *ref. cap.* 6. (f) *Cap.* II.

CAPUT VIII.

De Subdiaconis & Diaconis.

Subdiaconorum ordinandorum præparatio.

I. SUbdiaconum oportet eſſe in omnibus ordinibus minoribus exercitatum, viginti & uno annis majorem; ad officium idoneum; teſtimoniis præceptorum ac paſtoris munitum; continentem (*a*). Ordinationem ejus trina præcedit publicatio, ut appareat, num *ſponſam* habeat, num *voto* conſtringatur incompatibili, num *ære alieno* prematur, vel aliunde irregularis ſit? *Ritual. Roman.* Hæc proclamatio fit e cathedra Eccleſiæ parochialis, veluti nubentium, trinis diebus dominicis conſecutivis. Si ad *titulum patrimonii* ordinandus eſt, ejus quoque mentio facienda, ad evitandas fraudes, iſque ab Epiſcopo adprobandus, qui ejus alienationem ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ prohibet, donec beneficio Eccleſiaſtico mactatus ſit. Proclamationes autem ſingularum ordinationum fiebant. Præter explorationem, quam rector ſuſcepit, Epiſcopus quatriduo ante ordinationem vel ipſe vel per presbyteros, legis divinæ & ſacrorum canonum peritos, ordinandum examinet (*b*). Noviſſime in pluribus diœceſibus receptum eſt, ut ordinandi paullo ante commorentur per aliquod temporis ſpatium in ſeminario. Atque hoc quidem omnibus ordinibus commune eſt.

Ritus ordinationis ex pontific. Rom.

II. Die ordinationi præſtituto, minoribus ordinibus jam collatis, advocantur ii, qui *ſubdiaconi* fieri debent, ſuo quiſque nomine ac titulo. Alius titulo hujus vel illius *Eccleſiæ*, e qua ſuſtentandus eſt; alius titulo ſui *patrimonii*; alius, ſi ſit monachus, titulo hujus vel illius ordinis; alius titulo *paupertatis*. Principio Epiſcopus eos animadvertere jubet, quanto ſe ſubmittant oneri. *Hactenus*, inquit, (1) *liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſecularia vota tranſire; quod ſi hunc ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit a propoſito reſilire; ſed Deo, cui ſervire, regnare eſt, perpetuo famulari & caſtitatem, illo adjuvante, ſervare oportebit; atque in Eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde dum tempus eſt, cogitate, & ſi in ſancto propoſito perſeverare placet, in nomine domini accedite.* Poſthæc adpropinquant ſimul presbyteri & diaconi ordinandi, cunctiſque ſimul humi proſtratis, Litania cantatur, omniumque ſanctorum (2) ſuffragia ordinandis conciliantur. Relevatis ac genubus ſubnixis ſubdiaconis, Epiſcopus præcipit officiorum ſeriem, quæ ſunt, ut diacono ſerviant, aquam ad altaris miniſterium neceſſariam præparent, euchariſticas mappas & corporalia lavent, & quidem ſeorſim, ſordeſque in baptiſterium conjiciant. *officium.* Præterea ſubdiaconus diacono *calicem* quoque & *patenam* ſacrificaturo porrigit, tantumque panis altari imponit, quantum populo ſufficit, ne quidquam, quod corrumpi poteſt, in ſanctuario remaneat. Atque hæ ſunt functiones ſubdiaconorum, quas indicat *pontificale Romanum de ordinat. ſubdiac.* Quiſquis vaſa ſacra aut mappas, euchariſtiam contingentes

(1) Formula hæc deſumta eſt ſecundum corticem verborum ex *ipſo pontificali Romano p. 31. ſeqq.* nec quoad ſtylum in verſione aliquid immutare placuit, id quod etiam in formulis, in ſequentibus adductis, accurate obſervatum eſt, ut *ſtyli eccleſiaſtici antiquiſſimi* appareat ratio & memoria retineatur.

(2) Utpote quorum nomina in Litania recitantur, eorumque interceſſio ſpecifice expetitur. Præterea vero Litania ad præſentem actum accommodatur; nam poſt verſum: *ut omnibus fidelibus defunctis* &c. ſurgit pontifex, ſeque vertit ad ordinandos, dicit prima vice: *ut hos electos † benedicere digneris.* Reſp. *te rogamus, audi nos.* Pergit: *ut hos electos † benedicere & † ſanctificare digneris.* Reſp. *te rogamus, audi nos.* Denique ultima vice ait: *ut hos electos † benedicere, † ſanctificare & † conſecrare digneris.* Reſp. *Te rogamus, audi nos.*

(a) *Concil. Trid. ſeſſ. 23. ref. c. 5. 7. 8. 12. 13.*
(b) *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 7.*

tes, attingere vel tractare vult, eum ad minimum ſubdiaconum eſſe oportet (1).

hodie. III. Poſthæc Epiſcopus ſubdiacono porrigit *calicem vacuum* una cum *patena* ceteriſque ad officium ejus pertinentibus ornamentis, librumque Epiſtolarum, cum facultate eas prælegendi in Eccleſia. Hodie officium eorum fere reſtrictum eſt ad altare, ut in ſolemnibus pompis Epiſcopo vel presbytero adſunt. Olim Epiſcopis fuere a ſecretis, conſiliis, miſſionibus, negotiationibuſque; adminiſtrantes bona Eccleſiæ & eleemoſynas erogantes; ut extra Eccleſiam fere facerent, quæ ſunt diaconorum propria.

Diaconus quo ritu ordinetur. IV. Diaconorum origo patet ex *Act. VI.* iiſque ſemper uſa eſt Eccleſia. Ordinantur, ut presbyteri, manuum impoſitione & ſuffragante populo. Principio archidiaconus ad Epiſcopum adducit candidatum, aſſeritque, Eccleſiam hunc velle fieri diaconum. Cui Epiſcopus: *Scis, illum dignum eſſe?* Ille: *Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio & teſtificor, ipſum dignum eſſe ad hujus onus officii.* Tum Epiſcopus, Deo actis gratiis, ad clerum ac populum converſus, *auxiliante*, inquit, *domino Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus hunc præſentem ſubdiaconum in ordinem diaconii. Si quis habet aliquid contra illum, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat*; *verum tamen memor ſit conditionis ſuæ.* (a) Hæc apoſtrophe refert priſtinum morem, quo cleri plebiſque conſenſu ordinationes peractæ. Licet enim Epiſcoporum ſemper ordinationes propriæ fuerint, nec ad eas *Laicorum* conſenſus ſic requiratur, ut ejus defectus ordinationem faciat irritam (b); utilis tamen ille eſt ad certam probitatis ordinandorum ſcientiam. Cujus rei gratia hodieque *proclamationes* fiunt & examina præmittuntur. Præter hæc tamen ſaluberrime conſtitutum eſt, ut in ipſo *ordinationis* actu coram Eccleſia interrogationes (2) fiant, quo tanto certiores fiant Epiſcopi, neminem eſſe, qui ipſis quidquam exprobrare poſſit.

quid ſit ejus officium; V. His præmiſſis ad ordinandum orationem convertit Epiſcopus, eumque his verbis alloquitur: *Cogita magnopere, ad quantum gradum Eccleſiæ aſcendis. Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, prædicare.* Diaconi Levitis ſurrogati ſunt, tribus & hæreditas domini. Cuſtodiunt enim portantque tabernaculum; hoc eſt, defendunt contra hoſtes inviſibiles, ornantque Eccleſiam doctrina & exemplo. Integerrimi ſunto, quippe *comminiſtri & cooperatores corporis & ſanguinis domini*, Evangeliumque annuntiantes. Sequuntur preces, quibus inter alia ait Epiſcopus: *Nos quidem, tamquam homines, divini ſenſus & ſummæ rationis ignari, hujus vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, domine, quæ nobis ſunt ignota, non tranſeunt; Te occulta non fallunt. Tu cognitor es ſecretorum: tu ſcrutator es cordium. Tu hujus vitam cœleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales & admiſſa purgare, & ea, quæ ſunt agenda, concedere.* Denique manum capiti ejus imponit dicendo: *Accipe ſpiritum ſanctum ad robur & ad*

(1) Laicis hic contactus vaſorum ſacrorum interdictus fuit, quibus tamen per plura ſecula integrum fuit, manu ſua tangere & accipere corpus Chriſti, ut non diffitetur MORINUS de *ordinat. ex.* 12. *P. III. c.* 3. *ſ.* 2. *ſeqq.* Addit IDEM *cit. l. ſ.* 17. hanc differentiam, quod nihil illis cum *vaſis* ſacris commune ſit, qui tamen participent de corpore Chriſti. Enimvero cum concedat, laicos Euchariſtiam manibus ſuis recepiſſe, quis dubitaret, eoſdem etiam calicem manu tangere potuiſſe, qui per plura ſecula laicis adhuc communis, & varia ratione communicatus fuit? *

* Laicis permiſſum fuit manu ſua tangere corpus Chriſti, & accipere, urgente ſic temporum neceſſitate, & iis præcipue circumſtantiis, quibus in Chriſtianos, perſequutores ſæviebant; tunc quippe etiam domi ſervare delatam ab Eccleſia Euchariſtiam quiſque poterat, ut ea, quando ſibi libuerat, refectus, conſtantior in fide perſeveraret, nec ullo metu concuteretur.

(2) Magis tamen nudam *ſolemnitatem* refert, cum caſus non ſit dabilis, ut interrogatio hæc publica ad contradicendum quemquam movere queat.

(a) *Pontif. Roman. de ord. diac. p.* 42.
(b) *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 4. *c.* 7.

ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus. Poſtremo cum ceteris ornamentis ei tradit librum Evangeliorum.

Miniſtrare ad menſam eamque vel ſacram vel communem.

VI. Hæ formulæ videntur innuere, diaconi functiones ad ſolum altare reſtringi, quo hodieque reſtringuntur; quamvis olim latius patuerint. Conſtat quidem, primos diaconos (1) menſarum adminiſtros fuiſſe (*a*). Menſæ vero in cœtu Hieroſolymitano duplicis generis fuere. Menſa ſcilicet ſacra ad conſecrationem & diſtributionem Euchariſtiæ, & menſa profana, ad quam corpus curabatur. In iſta enim rerum communione id cujuſque proprium fiebat, quod Apoſtolorum juſſu erogabatur. Quod, quum ſingulis diebus fieri deberet, Apoſtoli diaconis commiſerunt. Exempla tamen Stephani & Philippi (*b*) docent, diaconos principio baptiſmum quoque adminiſtraſſe (2) & verba ad populum feciſſe. Succeſſu temporis his officiis rarius & dumtaxat vice Epiſcoporum & presbyterorum functi ſunt.

Unde duplex officium; alterum in eccleſia:

VII. Duo ergo fuere officiorum genera. In Eccleſia ad *altare* miniſtrarunt, quod etiamnum faciunt, aſſiſtentes Epiſcopo vel presbytero ſacrificaturo, ſimulque cum eo Euchariſtiam diſtribuentes (3); populum inter orandum admonentes, quando in genua procumbendum, quando ſurgendum: quando ad Euchariſtiam vel accedendum, vel recedendum; quem quiſque locum habere debeat; imperantes ſilentium, modeſtiam, diſceſſumque poſt ſacra (*c*). Extantior eſt hæc admonitio populi in liturgiis græcis. Poſthæc pars hujus oneris ad *oſtiarios* & *ſubdiaconos* eſt devoluta. Epiſcopo concionaturo vel alia agenti adſtiterunt, antequam *acoluthi* inſtituerentur. Sæpe catechumenorum inſtitutio iis fuit demandata (*d*). In caſu neceſſitatis baptizarunt, juſſuque Epiſcopi ad populum verba fecerunt. Atque hodienum diaconorum eſt, ad populum diſſerere, evangeliumque publice prælegere.

extra Eccleſiam alterum.

VIII. *Extra Eccleſiam* diaconorum fuit, bona Eccleſiæ adminiſtrare & eleemoſynas facere (*e*) (4). Acceptas a fidelibus oblationes ex nutu Epiſcopi diſtribuerunt pro *neceſſitate* communi. Obſervarunt fideles, & ſi qui contentioſi eſſent, palamque peccarent, eos Epiſcopo indicarunt. Mandata Epiſcopi ad presbyteros vel Epiſcopos alios, locis diſſitos, pertulerunt, Epiſcopi in itinere comites. Ut his laboribus pares eſſent, eligebantur in ea ætate, quæ robur corporis

(1) Quid ſi diceres, menſarum illarum adminiſtros *presbyteros*? quod quibus argumentis evinci queat, oſtendi in *diſſ. jur. eccl. antiq. ad Plin. & Tertull. VI.* §. 20. *ſeqq.* Officium, quod *Act. VI.* denotatur, conſiſtebat in diſtribuendis in pauperes pecuniis, quibus victum ſibi quotidianum comparare poſſent. Antea Apoſtoli *quotidianas erogationes* faciebant; *Act. II.*, 45. *IV.* 35. idem munus committitur ſeptem electis, & quia *presbyteri* atque *epiſcopi* poſt hæc tempora imprimis *curam pauperum* habuere, exemplo *ſynagogæ judaicæ* probabile eſt, presbyteros ad hoc munus fuiſſe electos. Diaconi munia ab initio erant viliora, & dependebant a nutu epiſcopi & eccleſiæ.

(2) Imo ab initio omnes *fideles* quoque baptizaſſe & docuiſſe, docet HILARIUS *in comm. ad Eph. IV.* quod etiam confirmat TERTULLIANUS *de baptiſm. c.* 17. ut eo minus diaconis prohiberi potuerit.

(3) Actus *diſtribuendi eucharistiam* jam a JUSTINO martyre *in apol. II.* adſcriptus eſt *diaconis*, qui etiam eam ad *abſentes* deferebant. Conf. CYPRIAN. de *lapſis ſerm.* 5. Præterea receptum eſt, ut epiſcopo ſacrificaturo vel verba facturo circumſtarent, eumque *cuſtodirent a malevolis hominibus*, ut dicitur in *c.* 56. *de conſ.* D. 1.

(4) Sed non aliter, quam ex *juſſu epiſcopi*, quippe qui cum presbyteris olim hanc ſpartam exercuerunt, *Act. XI.* 29. *ſeqq.* XII. 25. JUSTIN. martyr *in Apol. II. in f.* & ex officio curam pauperum habuerunt, licet in actu *diſtributionis* opera diaconorum vicaria, ut in aliis, uterentur. Nam adhuc per plura ſecula Epiſcopos bona Eccleſiaſtica adminiſtraſſe, antiquitates Eccleſiaſticæ memorant.

(a) *Act. VI.* 2.
(b) *Act. VI.* 10. 2. 5. (c) *Concil. Ancyr. c.* 2. *Carthag. IV. c.* 39.
(d) *Auguſt. de Catechiz. init.* (e) *Baron. ad an.* 34. *n.* 227.

ris cum judicii maturitate conjungit, triginta vel triginta quinque annos nati : quamvis hodie ſufficiat, habere viginti tres, unumque in ſubdiaconatu exegiſſe. Ad exemplum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ olim in ſingulis Eccleſiis non niſi ſeptem fuere diaconi, ut efformarent imaginem ſeptem ſpirituum, qui ſunt coram throno Dei (*a*). Unde minorum clericorum numerum augeri neceſſe fuit. Diaconorum princeps *archidiaconus* audit, cujus inſignis fuit auctoritas ; qua de re *cap.* 19.

Diaconiſſæ. IX. Fuerunt etiam feminæ diaconæ (1). Hæ fuere viduæ ex cœtu Deo devotarum electæ, omnium piiſſimæ, majoreſque annis LX. Succenturiabantur ex diaconis ratione eorum, quæ feminis præſtanda erant, quæque a viris ſalvo pudore præſtari non poterant (*b*). Floruerunt autem inde a temporibus Apoſtolorum ad minimum uſque ad ſæculum VI.

CAPUT IX.

De Presbyteris.

Presbyteri dotes; I. PResbyterum oportet annum unum in diaconatu exegiſſe, majoremque eſſe XXV. olim XXX. annis (*c*). In ætate magis ſpectabatur tempus, quod in minoribus ordinibus exegerant, & ſi qui eligendi eſſent, prudentiſſimus quiſque, fortiſſimus, fideique pleniſſimus & ſpectatiſſimæ probitatis ſumebatur. Et quamvis hodie remiſſiores ſimus : interſtitia tamen in *ſacris* ordinibus ſtrictius, quam in *minoribus*, obſervantur, quæ Epiſcopi, ſine cauſſa, coarctare prohibentur (*d*). Examen huic ordini præmitti ſolet rigoroſius, quia ordinandus idoneus eſſe debet ad monſtrandam populo viam ſalutis & ad ſacramenta diſpenſanda. Sed nulla re magis presbyterorum virtutes functioneſque pateſcunt, quam ritu *ordinationis* (2).

Ordinatio; II. Archidiaconus quemadmodum diaconum, ita *presbyterum* quoque veluti ab Eccleſia poſtulatum Epiſcopo adducit, laudatque. Epiſcopus populum conſulit, quia cum paſtoris, tum gregis intereſt, quos presbyteros habeat; unus ea, quæ plures ignorant, ſcire poteſt, & quilibet lubentius ei obtemperat, in cujus ordinationem conſenſit. Deinceps ad ordinandum converſus, *ſacerdotem*, inquit, *oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare. Quare cum timore ad tantum gradum aſcendendum eſt ac providendum, ut cæleſtis ſapientia, probi mores, & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos commendet*. Presbyteri LXX. ſenioribus, qui Moſen ſublevarunt, & LXXII. diſcipulis Chriſti ſurrogati ſunt. Eorum eſt, macerare corpus aſſidua meditatione mortis Chriſti e myſterio *miſſæ*, quod celebrant; ſalutari doctrina paſcere populum Dei; flagranti probitatis ardore perfundere; ornareque Eccleſiam prædicatione & exemplo.

III. Epi-

(1) Talis fuit Phœbe, in miniſterio Eccleſiæ, quæ fuit Cenchris. *Rom XVI.* 1. Has pariter memorat PLINIUS *II. lib. X. ep.* 97. *quo magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere.* Tale videlicet earum fuit miniſterium, quod etiam per *ancillas* expediri poterat, de quo ſpeciatim agit ZIEGLER *de diacon. c.* 19. *§.* 7. *ſeqq.*

(2) Quod ad *ſacrificium* peragendum ordinentur, atque *ſacerdotio* inveſtiantur, in quo tam inſignis excellentia atque prærogativa collocatur, ut ANDREAS DUSSAUSSAY *in panoplia ſacerdot. P. II. lib. I. c.* 4. *art.* 4. aſſerat, *hanc dignitatem adeo ſublimem eſſe & poteſtatem tam admirabilem, ut ſancti patres, quicquid aliud magnum & excelſum cenſeri poteſt, hac inferius eſſe, unanimi judicio arbitrentur.* Rationem hanc tradit PETRUS BLESENSIS *ſerm.* 47. quod *ſacerdos ſit coadjutor redemtionis, conſiliarius domini Sebaoth, dapifer menſæ Domini.*

(a) *Tob. XII.* 16. *Apoc. I.* 4. (b) 1. *Tim. V.* 9. *Concil. Epaun. an.* 517. *c.* 21.
(c) *Concil. Neocæſ. c.* 2. *Siric. ep.* 1. (d) *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *ref. c.* 14.

III. Epiſcopus ordinando ambas manus imponit. Idem faciunt presbyteri circumſtantes. Epiſcopus ſuper eo preces fundit, quibus diverſos ſacerdotii gradus proſequitur (*a*). Secundi ordinis presbyteri ſunt pontificum comites adjutoreſque, ut filii Aaronis parenti ſuo adſtiterunt, & apoſtoli Chriſtum ſunt ſecuti. Dum ornatum ei tradit, orat, atque inter alia ait: *Deus, ſanctificationum omnium auctor, ſuper hunc famulum tuum munus tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum & cenſura vivendi probet ſe ſeniorem, his inſtitutus diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, ut in lege tua die ac nocte meditans, quod legerit credat; quod crediderit doceat; quod docuerit, imitetur; juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem, ceteraſque virtutes in ſe oſtendat; exemplo præbeat, admonitione confirmet &c.* (*b*). *manuum impoſitio*.

IV. Poſthæc Epiſcopus palmas eorum oleo catechumenorum tingit (1), ut initientur ab benedicendum, conſecrandum & ſacrificandum; medio tempore hymno Spiritus ſancti auxilium advocatur. Dum calicem vino repletum & patenam pane oneratam porrigit, poteſtatem ei facit Deo ſacrificandi: hinc in ipſo ordinationis ritu ſacrum facit cum Epiſcopo. *unctio palmarum*.

V. Poſt Euchariſtiam Epiſcopus eum alloquitur verbis Chriſti: *Non amplius ſervos meos vos appellabo, ſed amicos*, & quæ ſequuntur (*c*). Hinc ordinatus ſurgit, recitatque *ſymbolum apoſtolicum*, tamquam publicam fidei ejus, quam prædicaturus eſt, profeſſionem. Rurſus in genua procumbenti manus imponit Epiſcopus, dicendo: *Accipite Spiritum ſanctum, quibuſcumque peccata remiſeritis, remiſſa erunt: & quibus ea retinueritis, retenta* (*d*). Denique ad obedientiam (2) eum adſtringit, monetque, ut ritum miſſaticum ex aliis presbyteris magis exercitatis curate addiſcere allaboret, ob ſummum hujus rei momentum. *fidei profeſſio*.

VI. Ex his formulis patet, presbyteros Epiſcopis ſuccenturiari non in functionibus *exterioribus & temporalibus*, ut diaconi; ſed *ſpiritualibus & ſacerdotii* propriis: quæ ſunt, ſecundum pontificale, *offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, baptizare*. *Officium poſitivum*.

VII. *Offerre* eſt ſacrum facere h. e. miſſam celebrare: quod primis ſæculis presbyteri non niſi vel deficiente epiſcopo, vel mandante, (3) peregerunt. Ratio hujus ſanctionis explicatur *part. II. c. 3.* *in offerendo*.

VIII. *Benedicere* eſt preces ſolemnes diverſis benedictionibus aptatas concipere, veluti fontium tempore paſchali & pentecoſtali, aquæ luſtricæ, panis miſſatici, primitiarum fructuum, campanarum, tori genialis, feminarum e puerperio prodeuntium, aliarumque rerum, quæ in *Rituali c. de presb. ord.* continentur (4). *benedicendo*.

IX. *Præ-*

(1) Modus *in pontificali p. 66.* hic præſcribitur: *inungit unicuique ambas manus ſimul junctas in modum crucis, producendo cum pollice ſuo dextero in oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dextræ manus uſque ad indicem ſiniſtræ, & a pollice ſiniſtræ uſque ad indicem dextræ, ungendo mox totaliter palmas*, verbis his adhibitis: *Conſecrare & ſanctificare digneris, domine, manus iſtas per iſtam unctionem & noſtram bene ✝ dictionem. Amen.* Poſt ſignum crucis ſuper manus ejus, quem ordinat, producit, pergitque: *ut quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque conſecraverint, conſecrentur & ſanctificentur in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen.*

(2) Per interrogationem hanc: *promittis mihi & ſucceſſoribus meis reverentiam & obedientiam?* reſpondet: *promitto.*

(3) In eo collocabatur *auctoritas epiſcopi*, qui presbyteris præerat, ut, quia in ſingulis locis una erat eccleſia, *ordinis eccleſiaſtici* gratia omnia a presbyteris & diaconis fierent ex diſpoſitione epiſcopi, ut teſtis eſt TERTULL. *de baptiſm. c. 17.* Etenim hujus rei cauſa epiſcopi conſtituti ſunt ab initio, ut ordo, pax & tranquillitas in eccleſiis conſervarentur.

(4) Infinitæ harum benedictionum ſpecies ſunt relatæ ab ANDREA du SAUSSAY in *Panopl. ſacerd. lib. II. c. 1. ſeqq.* EDMUNDO MARTENE *tom. III. de antiq. eccl. rit.* ubi etiam antiquos ordines refert. Primis Chriſtianis *benedictiones* uſitatas

(*a*) 1. *Tim. IV. 14. concil. Carthag. IV. c. 3.*
(*b*) *Pontif. Rom. de ord. presb. p. 65.* (*c*) *Joh. XV. 15.* (*d*) *Joh. XX. 22.*

præſidendo. IX. *Præeſſe* eſt moderari conventibus ſacris, omniumque nomine orare. Huc pertinent ſepulturæ aliæque pompæ ſolemnes, quarum ſemper presbyter eſt anteſignanus. Item jus conſulendi epiſcopo, jus ſuffragii in judiciis eccleſiaſticis, (1) jus decernendi nomine epiſcopi. Antiquis enim temporibus ubique presbyteri veluti *ſenatum Eccleſiaſticum* conſtituerunt.

prædicando. X. *Prædicare* principio presbyteris inſolitum, quod epiſcopi populum docerent. Sed inde ab ultimis IV. ſæculis plurimi presbyteri, præſertim ex ordine monachorum, hoc ſibi veluti præcipuum ſumſere, ut in omnis generis eccleſiis, quoties adpellarentur, prædicarent, quum olim paſtores ordinarii hoc munere fungerentur.

baptizando XI. *Baptizandi* vocabulo omnium ſacramentorum adminiſtratio involvi videtur. Nam hæc presbyteris permiſſa eſt, duobus exceptis ac epiſcopo reſervatis. Diſtinguendum tamen eſt. Baptiſmus, ſi urgeat neceſſitas, a quolibet Chriſtiano, Euchariſtia a quolibet presbytero (2) adminiſtrari poteſt, excepta *paſchali* & *ultimo viatico*. Pœnitentiam injungere non poſſunt, niſi qui ab epiſcopo ſpeciatim veniam habent (3). Extrema unctio & benedictio nuptialis ſunt paſtoris loci, nec non baptiſmus ſolemnis. Atque hæc functionum amplitudo, quæ presbyteris tantam reverentiam olim conciliavit, noviſſimis temporibus pro anſa multiplicandi presbyteros arrepta eſt; quo ipſo tamen viliores ſunt redditi.

CAPUT X.

De promotione Epiſcoporum.

Quid ſit epiſcopus? I. EPiſcoporum dignitas curatius ſervata eſt, quam presbyterorum, quia nullus epiſcopus ordinatus fuit, niſi ad vacantem eccleſiam. Vocabulum epiſcopi notat *inſpectorem*, ut appareat, in ipſum ſolum omnem gregis curam derivari. Sæpe vocatur *paſtor*; veteribus *præpoſitus*; græce προεστώς, latine *præſul*, *antiſtes*. Appellatur etiam *ſacrificator*; græce ἱερεύς; latine *ſacerdos*, quod nominis noviſſime cum nomine presbyteri commutatum eſt, ſimplicibus quippe presbyteris datum. Olim quoque vocati ſunt *pontifices* (4); ſed recentiores nonnulli hanc appellationem *Papæ* propriam facere ſatagunt. Ipſi olim, de ſemet ipſis loquentes, *ſervos* ſemet hujus vel illius eccleſiæ, ſive *fideles* & *ſervos Dei* appellarunt, quam formulam Papa retinet.

Jure veteri electus e gremio eccleſiæ vacantis. II. Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos vocavit, & Apoſtolos elegit, quos voluit (a). E mortuis reſuſcitatus ad eos ait: *quemadmodum pater meus miſit me, ita ego mitto vos* (b). Paulus ad *Aſiæ epiſcopos* (5) ait, eſſe eos a Spiritu ſancto præfectos eccle-

tatas fuiſſe, palam eſt; non tamen conſtat, eas fuiſſe determinatas, ſtatas, ſolennes aut in monopolium cleri translatas.

(1) Quod vel *Cardinalium collegium* Romæ adhuc declarat. Sed poſtquam in aliis eccleſiis cathedralibus collegia canonicorum ſunt inſtituta, & ad hæc *ſenatus eccleſiaſtici* jus devolutum eſt, presbyteri qua tales jus ſuffragiorum in judiciis eccleſiaſticis amiſere, quod canonicis, *qua talibus*, ceſſit, licet nondum ordinem presbyterii aſſumſerunt, vel aſſumſerunt quidem, ſed otioſe.

(2) Sive ſit ordinarius *parochus*, ſive alius presbyter non parochus, veluti *monachus ordinatus*. Parochus tamen in Paſchate tantum parochianis euchariſtiam adminiſtrat, ultimumque viaticum præbet.

(3) Hoc rurſus de monachis, presbyterorum gradu decoratis, intelligendum, qui in ſuis eccleſiis confeſſiones audiunt ex *epiſcopi indultu* ad tempus præſtitutum.

(4) In *pontificali* epiſcopi ubique *pontifices* ſtylo antiquo dicuntur, imo inde rituali huic nomen inditum, quod in eo referantur actus ſolennes a *pontifice*, ſeu *epiſcopo* peragendi.

(5) Non ad *Aſiæ* ſed *eccleſiæ Epheſinæ* presbyteros hæc verba direxit, quos *epiſcopos* vocat, quod eo tempore adhuc deeſſent tales epiſcopi, qui poſtea *collegio presbyterorum* & *eccleſiæ*, ut peculiares inſpe- ctores

(a) *Marc.* III. 13. 14. (b) *Joh.* XX. 21.

eccleſiæ Dei regendæ (*a*), & ad Titum, quod eum reliquerit in Creta, ut per civitates presbyteros, quos mox epiſcopos vocat, ordinaret (*b*). Denique ex traditione conſtat, epiſcopos ſemper ab aliis epiſcopis fuiſſe ordinatos. Equidem ad hunc actum vocabatur clerus & populus, ne paſtorem acciperent ignotum aut ignarum (*c*). Ad horum deſiderium plerumque presbyter aut diaconus ejuſdem eccleſiæ, diuturno miniſterio, exacta virtute, ſcientia & caritate conſpicuus, in cruciatibus conſtans, eligebatur, quem epiſcopi manuum impoſitione, precibus ac jejunio inauguratum in ſolio epiſcopali collocabant: quo pacto munere ſuo fungi cœpit. (*d*)

(quod probatur) III. Teſtis eſt Cyprianus, qui (*e*) inquit, epiſcopos vicinos ſe contuliſſe ad eccleſiam vacantem, elegiſſeque epiſcopum præſente populo, (1) cui notus eſſet. Et Julius Papa (*f*) Gregorium, qui Athanaſio ſuffectus eſt, taxaturus, inquit, hunc Antiochiæ ordinatum per XXXVI. dierum iter miſſum fuiſſe Alexandriam, ubi nec baptizatus, nec notus, neque vel a presbyteris, vel ab epiſcopis, vel a populo ſit poſtulatus.

a clero & populo. IV. Populo Chriſtiano poſt Conſtantini tempora aucto, omnium ordinum, nobilium, magiſtratuum, monachorum, ratio fuit habenda; Cleri tamen præcipuæ hic ſemper partes fuere (*g*). In regnis, e ruina imperii Romani natis, principum conſenſu opus fuit, qui quum viderent, quanta epiſcoporum eſſet inter novos ſubditos auctoritas, veluti cuncta ſuſpecta haberent, non facile alios, quam quorum fides ipſis eſſet explorata, eligi patiebantur.

conſenſu principis. V. Unde temporibus regum Merovingicorum & principio Carolingorum licet in Francia electionum ſchema obtineret; e regum tamen manu prorſus pendebant. Liberiores eſſe cœperunt ſub Ludovico pio, taleſque manſere per ſæculum IX. ita tamen, ut ſine *regum auctoritate* nihil fieret (*h*).

Ratio electionis in veteri regno Francorum. VI. Defuncto epiſcopo, clerus populuſque miſit, qui Metropolitano id nuntiarent, & hic, qui regi. Cujus juſſu miſit hic epiſcopum illius provinciæ, ut viſitaret eccleſiam vacantem (2), promoveret electionem, videretque, ut cuncta fierent *canonice*, de qua ipſe metropolitanus clerum populumque ampliſſimis literis monuit. Viſitator ille epiſcopus, clero & populo collecto, prælegi juſſit loca Pauli & canones, quibus epiſcopi dotes moduſque electionis continetur. Quæ ut obſervarent, ſingulos ordines, presbyteros, ceteros clericos, virgines, viduas, nobiles & ceteros laicos, cives videlicet, ſigillatim admonuit. Monachorum præcipua ratio habita. Nec canonici ſolum, ſed

---

ctores, cum *auctoritate* præfecti ſunt: quin potius omnes presbyteri ſeu epiſcopi erant æquales.

(1) Imo ipſa electio populo paſſim a Cypriano tribuitur, quod etiam ex multis argumentis liquet collectis a BLONDELLO *de jure plebis in regim. eccleſ.* & in *tr. de epiſc. & presbyt.* Vicinorum epiſcoporum præſentia tandem neceſſaria viſa fuit, ne, ut in ejuſmodi cœtibus fieri ſolet, aliquid inordinate ageretur, omniſque factionibus occaſio amputaretur, quæ ſæpe emerſerunt.

(2) Jam ſeculo IV. hic mos in eccleſiis Africanis Donatiſtarum cauſa introductus erat, ut ad vacantem eccleſiam viſitator, quem etiam *interceſſorem* & *commendatorem* vocarunt, mitteretur, qui electioni intereſſet, & interim ſedi vacanti proſpiceret. *c.* 22. *C.* 7. *q.* 1. GREGORII I. tempore latius patuit hæc praxis, ut docet ejus epiſtola in *c.* 16. *D.* 71. conf. *c.* 19. *D.* 6. Ubi epiſcopatus a *manu regia* dependebant, regis erat deſignare *viſitatorem*, ad quem metropolitanus literas canonicas dirigebat, quique interim ſedi vacanti præerat; imo nonnunquam eam per injuriam ad ſe rapiebat.

(a) *Act.* XX. 28.
(b) *Tit. I.* 5. 7. (c) *Can. apoſt.* 1. *can. Nic.* 4. *Sirmond. præfat. ad form. antiq. t.* 8. *Conc. p.* 1860. (d) *Cæleſt. ep.* 2. *c.* 5. *Leo ep.* 84. *ad Anaſtaſ. c.* 5. & *ep.* 92. *ad Ruſtic. c.* 1. (e) *ep.* 67. *al.* 68.
(f) *epiſt. t.* 2. *p.* 306. *D. hiſtor. noſtr. eccleſ. l.* 12. *n.* 25.
(g) LEO *ep.* 89. *ad epiſc. Vien. c.* 5. (h) *Vid. formul. antiq. promot. epiſc. t.* 2. *conc. Gall.* & 8. *conc. general. p.* 1864. *Hiſt. eccl. l.* 53. *n.* 33.

ſed & clerici urbani & ruſtici vocati. Jejunium trium dierum continuum cum precibus publicis & eleemoſynis præceſſit electionem, quæ, quoad ejus fieri potuit, ſemper clericorum quiſquam e gremio eccleſiæ illius ad epiſcopatum evectus eſt.

VII. Electione peracta, decretum electionis ſigillo præcipuorum e clero, populo, monachiſque munitum, (1) Metropolitano miſſum fuit, qui omnes illius provinciæ epiſcopos convocavit in urbem eccleſiæ vacantis. Singulis comparendum fuit; ſed qui per valetudinem aliaque impedimenta venire non poterant, ii per literas electionem adprobarunt. Omnium enim conſenſu (a) ac trium adſiſtentia opus fuit (b). Hoc veluti concilio coacto, metropolitanus electum interrogavit de natalibus, de vita ante acta, de adſcenſu per ordines, de functionibus, ut certior fieret, ſi quod ſubeſſet vitium. Exploravit porro doctrinam; poſtulavit fidei profeſſionem, eamque in ſcriptis reddendam. Si cuncta bene ſe haberent, perſonaque videretur idonea; inaugurationi diem præfixit. Sin ſecus; ſi parum idoneus; ſi electio ambitu vel pecunia extorta: Concilium irritam eam declaravit, aliamque ſuſcepit.

ritus conſecrationis.

VIII. Conſecrationis ritus idem ferme fuit, qui hodie. Metropolitanus conſecrato ſcriptum tradidit, quo ſingulæ officii partes explicantur, tamquam pater & doctor epiſcoporum ab ipſo ordinatorum. Ipſe e ſuis ſcriniis exempla canonum ſuppeditabat epiſcopis, & ab iis in omni cauſſa ardua conſulebatur. Si extra *vacantem eccleſiam* (2) confirmatio facta, metropolitanus literas eo miſit, quibus epiſcopum commendavit ſuſcipiendum. Regi autem ſinguli actus, præſertim *electionis* & *confirmationis* ſignificabantur, quoniam excludere poterat, quos non probabat. Hæc electionum facies per occidentem fuit ſæculo IX. & X. quo exeunte canonici eccleſiarum cathedralium electiones ad ſe trahere conabantur: quod ex concilio Lateranenſi an. 1139. patet, cujus c. 28. his auſis obviam itum eſt (c).

Canonici eccleſiarum cathedralium electiones epiſcopi uſurpare incipiunt ſæcul. XIII.

IX. Principio ſæculi XIII. capitula, excluſo clero & populo, elegerunt, (3) & metropolitani, inconſultis ſuffraganeis, confirmarunt electos epiſcopos. Utrumque patet e concilio Lateranenſi an. 1215. cujus *c.* 24. *&* 26. de hujuſmodi electionibus ſtatutum eſt.

X. Hæc decreta minoris erant auctoritatis & aliquando injuſtiora, quam concilii

(1) Hunc morem quoad Italiæ epiſcopos refert GREGORIUS M. *lib. II. epiſt.* 19. 27. & 38. viſitatoribus a ſe miſſis in mandatis dando, ut, ſi epiſcopus poſtulatus vel electus fuerit, *cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati & teſtimonio viſitatoris muniti ad epiſcopum Romanum, ut metropolitanum, veniret ſacrandus.*

(2) Regulariter ſicuti electio, ita *conſecratio* in *eccleſia vacante* fiebat, quia per eam ipſi eccleſiæ, cui præficiendus, firmiſſimo agglutinabatur vinculo, & ſic æquum erat, ut populo & clero præſente ac inſpiciente ordinaretur. Inde *in concil. Aurel. IV. c.* 3. hac de re ita cautum; *licet melius eſſet in ſua eccleſia fieri, tamen aut ſub præſentia metropolitani aut certe cum ejus auctoritate intra provinciam omnino a comprovincialibus ordinetur.* Videlicet epiſcopi nunquam ordinabantur ſine *titulo*, & ita per ipſam ordinationem eccleſiæ vacanti præficiebantur. Poſtquam vero ceterorum clericorum ordinatio etiam *ſine titulo* recepta eſt, in genere creditum fuit, ordinationes eorum non neceſſario faciendas ab epiſcopo in *eccleſia vacante*, ſed ab epiſcopo in *cathedrali* fieri poſſe abſente populo, cui tamen per *ordinationem* ordinatus præficiebatur. Hoc more recepto, neceſſe fuit, ordinati *inſtitutionem* facere in eccleſia vacante, quæ delegata eſt archidiaconis.

(3) Hoc docet A. B. FRIDERICI II. *de anno* 1213. de *libertate eccleſiaſtica* condita, qua jubet canonice fieri electiones, *quatenus ei viduata præficiatur eccleſia, quem totum capitulum vel major & ſanior pars ipſius duxerit eligendum.* Bonorum ingens copia, qua abundabant canonici, iis auctoritatem inſignem conciliaverat, ut ſoli ſenatum eccleſiaſticum conſtituerent.

(a) *per Concil. Nic. c.* 4. (b) *Can. Apoſt.* 1.
(c) *Vid.* THOMASS. *diſcipl. eccl. p.* 4. *l. c.* 40.

Digitized by Google

cilii epiſcopalis judicia. Inde frequentiſſime Romam appellatum, ipſique electi ſæpius directo Papam pro confirmatione & conſecratione adierunt. Quare dicendum de ratione electionum ſecundum jus *novum* & ſecundum *decretales*.

unde Romam delatæ lites.

XI. Diſtinguendi autem ſunt actus *electionis*, *confirmationis* & *conſecrationis*. Electio vocatur *poſtulatio*, ſi a canonicis eligitur, qui ſine *diſpenſatione* epiſcopus eſſe nequit, v. gr. ſi ſit epiſcopus; ſi non ſit in ſacris: ſi illegitimo connubio natus. His enim caſibus non tam eligunt, quam *poſtulant*, ut ſuperior epiſcopum illum det, quem eligere non poſſunt (1) (a). Electio fit tribus modis, *ſcrutinio*, *compromiſſo*, *inſpiratione* (b). Primis ſæculis plura divinæ *inſpirationis* exempla occurrunt, cui comparantur hodie, quæ unanimibus ſuffragiis ſine præcedente deliberatione fiunt. Electio per *compromiſſum* fit, ſi univerſum collegium (2) paucis imparis numeri, veluti tribus, quinque vel ſeptem canonicis poteſtatem eligendi permittit: quibus intra fines compromiſſi ſe tenere incumbit. Electio per *ſcrutinium* eſt omnium frequentiſſima, atque hoc modo peragitur.

Jure [illegible] epiſcopus 1.) eligitur vel per compromiſſum, vel per ſcrutinium.

XII. Qui jus eligendi habent, ii omnes ſtato die vocandi ſunt, ut abſentes vel ipſi venire, vel mandata mittere poſſint, ne electio clandeſtinitatis accuſari valeat. (c) Intra tres menſes a die vacantiæ electio ſuſcipienda eſt, ne capitulum protrahat interpontificium, quo diutius regnare poſſit (d). Interim publicæ preces inſtituunt (3). Die præſtituto electores congregati in eccleſia Miſſæ *de ſpiritu ſancto* interſunt, euchariſtiamque accipiunt; jurantes, ſe digniſſimum electuros, neque eum ſuffragio juturos, qui ambitus ſuſpectus ſit. Suffragia olim data ſunt viva voce; poſt in ſchedis complicatis, in calicem vel aliud vas immiſſis, quæ ab iis, qui *ſcrutatores* (4) vocantur, colliguntur ac comparantur. Iſque electus declaratur, qui non ſolum *majoris*, (5) ſed & ſanioris partis ſuffragiis nititur.

quomodo per ſcrutinium?

XIII. Electione publicata, variare non licet. Singula actus momenta rediguntur in inſtrumentum, ſæpe non ſine contentione. (e) Sunt enim, qui proteſtentur; ſunt, qui reluctentur, qui adpellent, ac haud raro electores diſcordant. Electus intra menſem ſub pœna amiſſionis jurium ſuorum conſentiat neceſſe eſt. Inſecuto trimeſtri petenda eſt a ſuperiore immediato, Metropolitano, primate vel Papa, pro dignitate vacantis eccleſiæ, confirmatio (f).

quæ lites?

XIV. Metropolitanus citat, quorum intereſt, ſcilicet, ſimul electos vel *contradicentes* ſpecialiter, ceteros *edictaliter*. Termino præterlapſo, ad judicium accingitur ſive rogatus a partibus, ſive ex officio, ſi contradictor non adeſt. Hic examinat qualitates electi, modum electionis, ubi, ſi contradictor adeſt, longum negotium texitur (g). Poſſunt enim eſſe plures contradictores, quorum quiſque tot cauſſas nullitatis injicere poteſt, quot irregularitates in electo & ſingulis electoribus ac ipſo electionis ordine deprehendit.

quis judex?

XV. Si electio nulla declaratur ob *vitium electorum*, metropolitano competit jus providendi eccleſiæ; ut eligentes culpæ ſuæ pœnas luant. Si ipſorum nulla ſit

quando metropolitanus provideat?

---

(1) Unde, nec preciſe in præcedente actu electionis, qui capituli voluntatem in *poſtulando* oſtendit, forma alias uſitata obſervanda, cum totius poſtulationis vigor ab ejus *admiſſione* dependeat.

(2) Nullo diſſentiente, ut *majora* non ſufficiant; agitur hic de jure *ſingulorum*, & ſic ſingulorum conſenſus deſideratur. Ceterum voluntate omnium & ſingulorum in compromiſſum conſpirante, poſtea per *majora* eliguntur, qui electionem facere debeant.

(3) Et prædeliberationes inſtituuntur de *modo eligendi* & capitulatione electo præſcribenda.

(4) Hi ante ſolent eligi, qui ſuffragia ante reliquos edunt, ne alioquin, in eorum poteſtate ſit, majora pro lubitu facere.

(5) Ratione totius *capituli*. Inde electiones tamdiu iterandæ, donec majora hæc in aliquem cadant.

(a) *c. ult. X. de poſtul. junct. gloſſ.* (b) *Concil. Later. IV. c. 24. & 42.*
(c) *Concil. Baſil. ſeſſ. 12.* (d) *c. 41. X. de elect. ex concil. Later. IV. c. 23.*
(e) *c. X. 18. de elect.* (f) *c. 6. X. de elect. in 6.* (g) *c. 41. de elect.*

2.) confirmatur. ſit culpa, veluti ſi princeps electum improbet, novam electionem ſuſcipiunt. Si electio *confirmatur*, ſupereſt, ut electus conſecretur. Interim ea habet omnia, quæ non ſunt *ordinis* (1). Sed & a metropolitani vel primatis ſententia, in utramvis partem lata, appellare licet: unde novum judicium. Iſtæ appellationes generatim ad papam deferuntur, ex quo ALEXANDR. IV. *concil. Lugd. II.* c. 9. retulit eas inter *cauſſas majores*. Et ſolo lapſu ſex menſium jus providendi ad ipſum devolvitur ob negligentiam eorum, penes quos erat vel eligendi vel confirmandi poteſtas.

unde Papa provideat! XVI. Quibus conſtitutionibus factum eſt, ut ſæculo XIII. & XIV. plerorumque epiſcopatuum proviſiones devolverentur ad Papam, (2) ſive quod electiones intra terminum non fierent, ſive quod vel electiones vel confirmationes eſſent vitioſæ: quarum infinita exempla occurrunt in decretalibus (*a*). Præterea plurimæ electiones manifeſto ambitu ac largitionibus corrumpebantur, præſertim in provinciis, ubi Epiſcopi erant domini ſæculares. Sæpe Principes eas interceperunt; ſæpe ſeditionibus & violentia turbatæ, in bella, & clades vel ſaltem in lites immortales deſinebant. Hæ turbæ Pontificibus anſam dedere reſervandi ſibi nonnunquam jus providendi Eccleſiis, quæ maxime periclitabantur. Et ab his proceſſum eſt ad *reſervationes generales* in certis caſibus, veluti, ſi quis Epiſcopus diem obiiſſet in curia Romana; ſi ſacram purpuram, ſi beneficium incompatibile nactus eſſet. Ad ultimum Joannes XXII. in univerſum omnes Eccleſias cathedrales, quæ vacaſſent, ſibi providendas reſervavit (*b*), quod ipſum nihil aliud erat, quam electionum ſuppreſſio. Ejus loco tamen, ut huic defectui mederetur, non niſi in *conſiſtorio* (3), cardinalium nutu, prævioque diligenti examine, Epiſcopatus contulit.

Abuſus proviſionum generalium in pontifice improbatus, & nova ſtatuta per regna Chriſtiana. XVII. Iſtæ reſervationes generales referebantur inter abuſus, qui tempore ſchiſmatis invaluerunt. Concilium Baſil. ſeſſ. 12. electiones reſtituere tentavit, ejuſque decretum inſertum eſt *pragmaticæ Bituricenſi*; diſplicuit tamen Papæ, quippe in medio concilii & Eugenii IV. diſſidio natum. Ex illo tempore proviſiones pro provinciarum varietate fuere variæ. Per Italiæ maximam partem Papa Epiſcopatus confert, cui velit; in Francia non niſi iis, qui a rege *nominantur* per concordata an. 1516. quod nominandi jus Hiſpaniarum rex ac nonnulli alii principes exercent ſpeciali venia pontificis, quam ad dies vitæ impetrare ſolent. In Germania per concordata an. 1447. electiones conſervatæ uſu obtinent. Mihi propoſitum eſt ea, quæ in Francia fiunt, ſola perſequi.

In Francia rex nominat; XVIII. In Francia igitur Rex nominat (*c*) (4) Theologiæ vel jurium ſive do-

---

(1) Imo jam ante *confirmationem* electi extra Italiam ea habent, quæ ſunt juriſdictionis epiſcopalis, cum cæteris juribus epiſcopatui cohærentibus, *c.* 44. X. *de elect.* id quod, in Germania præſertim, inſignem uſum quoad *jus publicum* habet. Diverſa eſt ratio *poſtulatorum*, qui nihil juris ex *poſtulatione*, publicata licet, habent; ſed id demum conſequuntur ex *admiſſione* ejus, qui facultate diſpenſandi pollet.

(2) Negari nequit, has turbas circa electionem factas Pontifici occaſionem dediſſe ad ſe trahendi conſtitutiones epiſcoporum, quorum electiones in diſcordia factæ erant. Enimvero hoc ex fundamento *reſervationes*, quæ, antequam vacet eccleſia, fiunt, juſtificare non potuit pontifex, qui eo potius prætextu uſus legitur, quod concurrentem in omni eccleſia non tantum, ſed ſupremam præterea haberet poteſtatem, & majori jure, ut putabat, Epiſcopatus conferre poſſet, quam Cæſares, quos jure ſuo inique privaverat, ut id ſibi vindicare poſſet.

(3) Inde dicta fuere beneficia *conſiſtorialia*, & potiſſimum ſub *reſervationibus* ea comprehenſa, in quibus conferendis Papa capitula & ordinarios collatores facile prævenire poterat, poſtquam concurſum in conſtituendis epiſcopis ſibi vindicaverat.

(4) Jus ſimplex *nominandi* indulgetur regi, ne ipſemet *epiſcopatum*, rem maxime ſpiritualem, dare videatur. Laici enim *ſpiritualium* expertes judicantur. Facilius hoc temperamentum admittere potuit pontifex, ut rex deſignaret perſonam, cui *epiſcopatum*

(a) *t. t. X. de elect. tit. eod. in 6,*

(b) *2. reg. cancell. 2.*

(c) *per Concordat. tit. de election.*

Digitized by Google

doctorem ſive licentiatum, annos natum XXVII. atque iis dotibus præditum, quos canones requirunt; idque intra ſemeſtre a t mpore *vacantiæ* ſpatium. Quod ubi novo trimeſtri negligitur, ad pontificem pertinet proviſio (1). Per ſtatutum Bleſenſe *art.* 1. 2. annus regi datus erat, ut eo diutius maturiuſque deliberare poſſet. Si quem elegit, antequam *nominationis* formula literis conciperetur, Epiſcopus loci, in quo *nominandus* ultimo quinquennio commorabatur, & capitulum Eccleſiæ vacantis, mores vitamque; aliuſque Epiſcopus & duo Theologiæ doctores doctrinam & ſcientiam ejus explorarunt rigoroſo examine inſtituto. Hoc conforme fuit concilii Tridentini decretis (*a*), quo ad concilium provinciale rejecta eſt de hoc ſcrutinio ſtatuendi poteſtas.

XIX. Noſtris moribus rex nominat (2), quando lubitum eſt, nominatuſque ratione vitæ ante actæ ab Epiſcopo ultimi domicilii æque examinatur, ac ii, qui ad ordines adſpirant. Epiſcopus vitæ ejus adjicit *profeſſionem fidei* ab ipſo editam ac deſcriptionem vacantis Eccleſiæ, atque hæc omnia mittit Romam. Rex eodem mittit tres Epiſtolas, quarum prima *papæ*; altera *regis legato*; tertia *cardinali protectori nationis Franciceæ* redditur. Hic adſcitis tribus aliis cardinalibus perpendit acta ad nominationem pertinentia, nominatumque dignum Epiſcopatu judicat. Denique in conſiſtorio ejus prima vice, quod *præconiſare* vocant, mentionem facit, & in conſiſtorio ſubſequenti de eo refert, quod *propoſitionem* appellant. Interſtitium illud cardinalibus datur, ut interea diſpicere poſſint, dignus ſit, nec ne. Pontifex, poſtquam relatum eſt, ſuffragia colligit & decretum prodit, quo providetur nominatus. Atque hæc *proviſionis* forma imitatur ex parte naturam electionum, quæ purioribus temporibus in concilio Metropolitani ac ſuffraganeorum, flagitante clero ac populo, ſuſcipiebantur; atque idem juris tribuit, quod confirmatio. Poſt *decretum proviſionis* bullæ pontificiæ adornantur (3), quibus acceptis, electus regi fidem jurejurando obſtringit, & ab eodem literas patentes accipit, quas una cum epiſtola donationis fructuum, durante vacantia debitorum, cameræ rationum offert conſignandas. Quo pacto liberatur a regalia, & poſſeſſionem adipiſcitur. Conſecratio autem ſequenti trimeſtri ſuſcipienda eſt.

nominatum papa commendat.

a quo providetur.

tum conferret. Ita & *regi* & *papæ* ſimul per concordata proſpectum, quamvis facile liqueat, ipſam *nominationem* inſtar *electionis* eſſe, & *proviſionem papalem* inſtar confirmationis.

(1) Et ita poſt *novem menſes* in Gallia Papa demum *jus devolutionis* exercet, quod ſatis indicant verba *concordat. de reg. ad prælat. nomin. §. monaſteriis*, ubi ita: *alioquin dictis novem menſibus effluxis nulla ſeu de perſona minus idonea, & modo promiſſo non qualificata nominatione, ac etiam vacantibus apud ſedem prædictam, ſemper, etiam nulla dicti regis expectati nominatione, per nos ac ſucceſſores noſtros ſeu ſedem prædictam monaſteriis provideri*. Proinde in Gallia nec coadjutor dari poteſt, ſine *regia nominatione*, quia coadjutoris datio ibi involvit ſucceſſionem. Sunt tamen quidam ordines monaſtici & monaſteria a regia nominatione libera, ex ſpeciali privilegio, relata a CHOPPINO *in monaſt. lib. I. c. I.* in quibus prælati eliguntur. Præterea verba adducta oſtendunt, *beneficia conſiſtorialia* a nominatione exemta eſſe, quod ægre admodum Galli ferunt, teſte LUDOVICO HERICURTIO in tr. *les loix eccleſ. dans leur ordre naturel p.* 242.

(2) Et quidem ſine *indultu* in terria, quæ tempore conditorum concordatorum ad Galliam pertinebant; cum *indultu papali* in noviter poſtmodum acquiſitis, quod Galliæ reges, ut cum curia papali pacem ſervent, ita obſervant, licet ex regulis bonæ interpretationis jus nominandi ſemel generatim regibus conceſſum ad incrementa regni quoque referri debeat. conf. HERICURTIUS *cit. l. p.* 245.

(3) Sicuti nominatio ipſi Papæ facienda, ut ſede vacante collegio cardinalium fieri nequeat; ita quoque hoc ipſum nec bullas haa adornare poteſt, utut alias regimini eccleſiæ in univerſum præſit, quia *collatio beneficiorum* regulariter ſede vacante fieri nequit:

(a) *Seſſ.* 24. *c.* 1.

CAPUT XI.

De Epiſcoporum conſecratione.

3. conſecra-tur. I. Ritus conſecrationis ſatis innuit, quæ dotes ſpectentur in Epiſcopo, quæve ejus functiones ſint. Conſecratio die dominica in *propria* electi *Eccleſia* vel ſaltem in eadem provincia, quoad ejus fieri poteſt, peragenda eſt (*a*). Conſecratorem decet duos minimum Epiſcopos *aſſiſtentes* habere, vigiliaque præcedenti æque ac electum, jejunare. Conſecratori coram altari ſedenti *aſſiſtentium* Epiſcoporum major electum offert, dicendo; *Poſtulat ſancta mater Eccleſia catholica, ut hunc præſentem presbyterum ad onus Epiſcopatus ſublevetis.* Ille non, ut in electionibus, num dignus ſit; ſed id ſolum quærit, *an mandatum habeat apoſtolicum*, h. e. bullam pontificiam, quæ eſt inſtar *meriti*; eaque prælegitur. Electus juramentum fidelitatis præſtat *ſedi Apoſtolicæ*; cujus formula temporibus GREGORII VII. natales debet (*b*); ſed tamen variis capitibus poſtea aucta eſt, veluti, ut ſingulis quadrienniis Romam vadant, aut certum hominem eo ablegent, per quem rationem actionum ſuarum reddant pontifici (1). Sed hoc in Francia in deſuetudinem abiit.

quibus ritibus hodie? II. His præmiſſis, conſecrator electum interrogat de *fide* & de *moribus* hoc eſt qualem ſe in poſterum præſtare velit: nam de præteritis ſecurus eſt. Interrogat, inquam, num rationem ſubjicere velit ſenſui ſcripturæ ſacræ? num populum doctrina & exemplo erudire velit de iis, quæ in divinis intelligit? num obſervare & docere velit traditionem patrum, & decreta ſedis apoſtolicæ? num Papæ obtemperare ſecundum canones? num fugere malum & Deo juvante bonum proſequi? num proſequi & docere caſtitatem, ſobrietatem, animi demiſſionem, patientiam, miſericordiam; pauperes ſolari: Dei ſervitio ſe mancipare; negotia ſæculi & omne lucrum contemnere? Porro eum interrogat de fide in ſacroſanctam Trinitatem, de incarnatione, de Spiritu ſancto, de Eccleſia, deque ceteris ſymboli apoſtolici capitibus, & de hæreſibus, & quidem exquiſitiſſime iis definitionibus, quibus Eccleſia hæreſes condemnat.

III. Quibus peractis conſecrator accingitur ad ſacrum faciendum, & poſt epiſtolicam pericopen ac *graduale* redit in ſolium & Epiſcopum prope aſſiſtentem de officio Epiſcopali admonet, dicendo: *Epiſcopum oportet judicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare & confirmare.* Quo facto, in genua procumbunt electus & Epiſcopi aſſiſtentes, & conſecrator, dum Litania intonatur, librum Evangeliorum apertum expandit ſuper collo & humeris electi. Hæc cærimo-

---

(1) Capita hujus juramenti præcipua ſunt: 1. de obedientia ſedi Romanæ præſtanda, ejuſque ſtatu integro conſervando: 2. de ſecretis ſibi revelatis non propalandis: 3. de juribus ſedis papalis propugnandis: 4. de honore exhibendo nunciis apoſtolicis: 5. de fugiendis iis, qui quidquam moliuntur contra ſedem Romanam: 6. de manifeſtandis iis, quæ ei noxam afferre poſſunt: 7. de obſervandis decretis, reſervationibus aliiſque inſtitutis papalibus: 8. de hæreticis ſchiſmaticiſque perſequendis: 9. de adventu ad ſynodum, ſi electus vocatus fuerit: 10. de viſitandis liminibus S. Petri ſingulis trienniis, reddendiſque: 11. rationibus pontifici de toto officio paſtorali: 12. de mandatis Apoſtolicis humiliter ſuſcipiendis & diligenter exequendis: 13. de exequendis his omnibus per nuncium, ſi impeditus fuerit: 14. de bonis menſalibus non alienandis inconſulto Pontifice Romano. Qua conſcientia vero hæc capita juramenti ab electis in uſum deducantur aut deduci poſſint, non ſatis capio, præſertim ſi juramentum, quod intuitu *regalium*, quibus a Cæſaribus & regibus inveſtiuntur, præſtant, conſidero. Nec ſine cauſa ſub HENRICO VIII. Angliæ præſules judicarunt, ſe non poſſe juramenta regi præſtanda, obſervare, ſi hoc juramento in poſterum obſtringerentur, obſervante BURNETO in *hiſtor. revol. Angl.*

(a) *Pontifical. de conſecrat. Epiſc.* (b) *Concil. Rom. an.* 1079.

monia convenientior fuit antiquis temporibus, quibus Evangelia, voluminibus deſcripta, ad hunc modum expanſa defluebant utrimque ex humeris inſtar *ſtolæ*. Inter hæc conſecrator cum duobus Epiſcopis aſſiſtentibus ambas manus imponit capiti electi (1), dicendo: *Accipe Spiritum ſanctum* &c. Hæc manuum impoſitio in divinis literis proditur veluti *ordinationis* pars maxime eſſentialis. Et impoſitio libri Evangeliorum itidem eſt antiquiſſima, innuitque obligationem ferendi jugum domini & Evangelii prædicandi.

IV. His ita geſtis, conſecrator Deum orat, ut electo concedat omnes virtutes, quarum ſymbola myſtica fuerint ornamenta archiſacerdotis veteris Teſtamenti. Et dum hymnus canitur de Spiritu ſancto, caput electi inungit *chriſmate* (2), pergitque orando, ut Deus ipſi concedat exuberantiam gratiæ & virtutis per oleum denotatæ. Dum canitur *Pſalmus CXXXII.* qui de *unctione* loquitur, electi manus *ſacro chriſmate* tingit. Dehinc conſecrat *baculum paſtoralem*, quem electo tradit in ſignum jurisdictionis, eumque admonet de judicio ſine ira exercendo & manſuetudine temperando. Conſecrat & *annulum*, quem digito ejus apponit in ſignum fidei, monetque, ut Eccleſiam, Dei ſponſam, ſervet immaculatam. Denique *librum Evangeliorum*, ab humeris ejus ablatum, manibus tenendum tradit, dicendo: *Accipe Evangelium & vade, prædica populo tibi commiſſo. Deus enim potens eſt, ut augeat tibi gratiam ſuam.*

V. Miſſa procedente, legitur Evangelium, quo facto olim oratione ad populum habita Epiſcopus munus ſuum auſpicabatur (*a*). Inter ſacrificium veteri more offert *panem & vinum*: poſtea ad conſecratorem accedens perficit cum eo miſſam, ſtansque Euchariſtiam *ſub utraque ſpecie* accipit. Miſſa finita, conſecrator tiaram & chirothecas cum mentione myſterii conſecrat (3), & conſecratum in ſuo ſolio collocat, quod *faldiſtorium* vocant (*b*). Dum canitur *hymnus Ambroſianus*, Epiſcopi aſſiſtentes conſecratum per omnes Eccleſiæ angulos deducunt, monſtrantque populo. Quæ cuncta finiuntur *benedictione populi ſolemni*.

VI. Olim quum electiones eſſent liberæ, ipſis vigiliis conſecrationis ſunt plurimæ cæremoniæ peractæ. Namque ſub veſperam ſabbathi metropolitanus cum ſuffraganeis medio templo reſidens archipresbyterum vel archidiaconum vacantis Eccleſiæ, qui in genua profuſus ei ſe ſiſtebat, interrogavit: (4) *Mi fili! quid deſideras?* cui ille: *ut Deus nobis det paſtorem*. Iſte: *Eſtne aliquis e gremio veſtræ Ec-*

quibus olim?

(1) Etiam Judæi olim in *creandis presbyteris* hac impoſitione manuum, ut ſigno *benedictionis*, *Gen. XLVIII.* 13. 14. utebantur, autore VITRINGA *de ſynag. vet. lib. III. P.* 1. *c.* 15. eamque, quamvis cum majori virtute, eaque miraculoſa, variis occaſionibus exercuere, *Act.* VIII. 20. IX. 12. 17. 2. *Tim.* I. 6. 1. *Tim.* IV. 14. imprimis cum ad prædicationem evangelii quoſdam a ſe dimitterent. Nullo vero argumento ſolido demonſtrari poteſt, per modum *legis perpetuæ* hunc ritum eccleſiis traditum fuiſſe, ut eo ſemper in creandis presbyteris uterentur, ſed potius proceres Eccleſiarum eum ex *libero arbitrio* retinuerunt ſecundum morem veterem, quo benedictionem divinam his, qui Eccleſiis præficiebantur, apprecari ſolebant. Neque enim exiſtimatum fuit, apoſtolos in *virtute extraordinaria* & *miraculoſa* habere ſucceſſores.

(2) *Unctio epiſcopalis* ex inſtitutis eccleſiæ politicis, non jure divino petenda eſt, id quod vel inde liquet, quia græci eandem ignorant, & in Eccleſiis occidentalibus paulo ſerius recepta, docente MORINO *de ordinat. P.* III. *exerc.* 6. Nec dubium eſt, quin ex uſu veteris fœderis aſſumta ſit, poſtquam Epiſcopis & presbyteris verum ſacerdotium attributum eſt.

(3) Et facta conſecratione *mitram* imponit conſecrato, adjuvantibus ipſum aſſiſtentibus epiſcopis cum voto; *ut decorata facie & armato capite cordibus utriusque teſtamenti terribilis appareat adverſariis veritatis & impugnator eorum robuſtus exiſtat.* Hoc modo armatur epiſcopus contra hæreticos.

(4) In plurimis hæc conveniunt cum *ordine antiquiſſimo eccleſiæ Romanæ*, quem exhibet EDMUNDUS MARTENE *de antiq. eccleſ. ritib. lib. I. P.* 2. *p.* 338. *ſeqq.* & aliis ordinibus relatis *p.* 409. *ſeqq.* 455.

(a) *Conſtit. Apoſt. l.* 8. *c.* 5. (b) *Pontif. Rom. de conſecr. Epiſc. p.* 113.

Eccleſiæ? Quid in illo vobis placuit? Hic : *Modeſtia , animi demiſſio , patientia & ceteræ virtutes*. Inde electionis decretum prælectum, quo laudabatur . Et canonici præſentes ſignificarunt , ſe ſigillis ſuis id decretum muniviſſe . Quibus metropolitanus dixit: *Cavete , ne quod ab electo promiſſum elicueritis* . Hoc enim ſimoniam ſaperet, canonibuſque repugnaret. Inde electum arceſſivit . Ille vero , adhuc jejunus, & inter archidiaconum & archidiaconum medius , acceſſit. Quem metropolitanus interrogavit, *quot annos in presbyterio exegiſſet? num uxorem habuiſſet? num domui ſuæ proſpexiſſet* ? Ad quæ ſingula quum reſponſum accepiſſet , rurſus interrogavit : *quinam libri in tua leguntur Eccleſia ?* Reſpondit : *Pentateuchus, Prophetæ, Evangelium, Pauli Epiſtolæ, Apocalypſis*, & reliqui : Ille : *num canones tenes* ? Hic : *Eos me doce* . Tum ille generatim eum erudivit , ampliorem inſtitutionem in ſcriptis pollicitus. Regulariter electus in jejunio perſeveravit uſque in craſtinum poſt conſecrationem . Illo vero die ſenior ex Epiſcopis aſſiſtentibus eum adduxit, teſtatus, eum eſſe dignum . Tum peragebantur omnia, quæ hactenus adlata ſunt , niſi quod electus non Papæ , ſed metropolitano fidem ſuam & obedientiam jurejurando obſtringeret , qui ei ſcriptam inſtructionem tradidit, cujus hæc præcipua fuere capita : *Dilecte frater , ſcito , te ſubire onus maximi momenti maximique laboris, ſcilicet curæ animarum , ubi plurium neceſſitatibus ſuccurrendum tibi , tamquam ſervo omnium ; teque in die judicii rationem redditurum de talento tibi concredito . Puritatem fidei curate cuſtodi . Eccleſiæ regulas in ordinationibus cum ratione interſtitiorum , tum ratione perſonarum , diligenter obſerva: avaritiam & ſimoniam inprimis fuge. Continens eſto , nec feminas ad te admittito. Et ſi virgines Deo conſecratæ viſitandæ ſunt , ad eas accedito cum viris integerrimis. Scandala evitato . Prædicationibus vacato . Verbum Dei uberrime, diſtincte, gratioſe, indeſinenter populo inculcato. Scripturam ſacram perpetim legito, interque legendum orato. Traditioni eorum, quæ accepiſti , inſiſtito , & doctrinas tuas vitæ ſanctitate tamquam regulam ovibus tuis commendato . Gregem ipſum intenſa cura habeto, ac manſuetudine permulceto, ut, zelo, caritate temperato, cum nimium rigorem, tum remiſſionem evites. Perſonarum reſpectum a tuis judiciis procul habeto. Bona Eccleſiæ, tamquam rem alienam fideliter & prudenter diſpenſato . Hoſpitalis eſto & in pauperes beneficus. Viduas , orphanos , aliaſque perſonas miſerabiles ſolator. In adverſis nec demittito, nec in ſecundis animum extollito* (*a*) . Et iſta quidem ſunt , quæ de Epiſcoporum inſtitutione vetuſtis libris continentur . Huic ſimilem Ivoni Carnutenſi, quum an. 1091. Epiſcopus conſecraretur , dedit URBANUS II. *Tom. X. concil. p.* 430.

C A P U T X I I.

De functionibus Epiſcopi interioribus.

Functiones interiores Epiſcopi ſunt. I. FUnctiones Epiſcopales ad omnes religionis Chriſtianæ partes extenduntur , quarum nulla non dependet ab Epiſcopo . Ejus eſt per prædicationem & baptiſmum facere Chriſtianos; factos precandi modo imbuere , ac verbo Dei & ſacramentis paſcere; presbyteros & Epiſcopos, qui ſimilia faciant , (1) religionemque ad finem ſæculi propagent, inſtituere.

1. prædicatio II. Prima igitur Epiſcopi functio eſt *prædicatio*, quæ ipſam gentilium converſionem anteceſſit. Quomodo enim credidiſſent in eum, de quo nihil audiviſſent (*a*). Præ-

(1) Quid enim aliud ſunt epiſcopi , quam primi inter *presbyteros* ? ut merito omnes functiones paſtorales , ad quas primario vocati ſunt, implere debeant. De his quidem ſigillatim erit PAULUS SQUILLANTE *de oblig. & privileg. epiſcop.* ſed ſolidiori opera ZIEGLER *in tr. de epiſcop. lib. IV.*

(a) *Vid. Pontif. Roman. de ſcrutinio ſerotino pag.* 700. *ſeqq.*

(*a*)? Prædicationis autem vocabulo intelliguntur omnis generis inſtitutiones credendorum & agendorum, maxime autem illa, quæ fit per quæſtiones & reſponſiones cum eorum, qui adulti baptizantur, tum infantum, qui jam baptizati ſunt. In primitiva Eccleſia Epiſcopus ſingulis diebus dominicis vel etiam ſæpius, quoties ſcilicet ſacrum fiebat, verba fecit ad populum (1). Nulla enim Miſſa celebrata eſt ſine prædicatione & ſine prælectione Evangelii, Eccleſia fuit ſchola, & Epiſcopus doctor, ut ſæpe adpellatur apud ſcriptores Eccleſiaſticos. Ille inſtruxit ſuos presbyteros; inſtruxit omnem clerum, aperiendo myſteria in ſcripturis recondita, docendo canones & traditionem functionum Eccleſiaſticarum, ac dubia eorum reſolvendo.

publica;

III. Nec publice ſolum, ſed etiam *privatim* in domibus ad exemplum Pauli (*b*) docuere Epiſcopi, memores eorum, quæ Apoſtolus Tito & Timotheo reſcripſerat de omnis ætatis, ſexus & conditionis hominibus ſeorſim erudiendis. Eo etiam pertinent *Epiſcoporum Epiſtolæ*, quibus aliis conſulentibus reſponderunt, & ſcripta reliqua queis gliſcentes hæreſes retuderunt. Ex tot primorum octo ſæculorum patribus vix erit, qui non fuerit Epiſcopus.

privata. cum viva voce, tum in ſcriptis:

IV. Sæculo VI. & ſequentibus quum gentium migrationibus omnia perturbarentur, remiſſiores in prædicando facti ſunt Epiſcopi, partim quod per incurſiones barbarorum cuncta intuta eſſent; partim quod per amplitudinem diœceſium, præſertim in Germania, infinitis laboribus implicarentur; partim quod negotiis publicis (2), ad quæ vel ratione territoriorum, vel ob rerum bene gerendarum peritiam, quæ in laicis nulla erat, vocati ſunt, diſtinerentur. Præterea, (fatendum eſt enim, quod diſſimulari non poteſt) pauci his temporibus fuere pii Epiſcopi, & ad erudiendum populum idonei. His de cauſſis concilio *Lateranenſi IV. c.* 10. Epiſcopis injunctum eſt, ut, qui ipſi prædicandi munere fungi non poſſent, idoneis hominibus id mandarent, eiſque vitæ neceſſaria ſuppeditarent. Fratrum *prædicantium* & ceterorum *mendicantium* ordines hoc tempore inſtituti, protulerunt ingentem hominum numerum, qui, *prædicandi* artem unice ſectantes, nulli certæ Eccleſiæ adſcripti, quocumque mitterentur, prædicabant: in quo genere differendi quum magis exercitati ac promtiores eſſent paſtoribus, hi ex eo tempore conticeſcere cœperunt (3). Concilium Tridentinum (*c*) veteres canones

intermiſſa

& fratribus prædicantibus permiſſa.

Conc. Trid. inſtaurata.

(1) Idoneo id teſtimonio illuſtrat firmatque JUSTINUS martyr in *apol. II. circa f.* qui de generali Eccleſiarum more loquitur. Nihilominus tamen SOZOMENUS *lib. VII. hiſt. Eccl. c.* 19. mores ſui temporis referens ait: *in eadem urbe* (de Romana ipſi ſermo eſt) *nec epiſcopus nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet.* Enimvero liquet ex documentis primitivæ Eccleſiæ, nec epiſcopos, nec presbyteros primario *docendi* cauſa conſtitutos fuiſſe 1. *Tim. IV.* 17. cum eccleſiæ abundaverint *doctoribus* aliis, a quibus presbyteri diſtinguebantur, utut munere *docendi* ſimul quoque fungi potuerint. Quando ergo negat SOZOMENUS, ſuo ævo verba ad populum haud feciſſe epiſcopos & presbyteros, non ſimul negat, id nec *doctores* feciſſe, ut totus contextus indicat. Paulatim tamen *doctores* a presbyteris diſtincti deſierunt, teſte HILARIO in *comm. ad* 1. *Tim. V.* & docendi facultas ſolis Epiſcopis & presbyteris ceſſit, quod imprimis urget LEO M. *ep.* 62. *ut præter eos, qui ſunt domini ſacerdotes, nullus ſibi jus docendi & prædicandi audeat vendicare.*

(2) Statum horum temporum, maxime ſub CAROLO M. optime depingit Auctor *tom. XIII. hiſt. Eccl. in diſc. prælim.* §. 8. & 9. obſervatque, in comitatu Cæſaris plures ſemper epiſcopos cum ſuis vaſallis fuiſſe, hunc vero ſedem conſtantem non habuiſſe, adeoque inde factum fuiſſe, ut tot epiſcopi ab Eccleſiis ſuis abeſſe cogerentur.

(3) Idem obſervat PAPIRIUS MASSONIUS *lib. III. annal.* aiens: *hi ordines per Europam diffuſi docendi munus in eccleſia ſuſcepere: unde evenit, ut epiſcopi & parœciarum rectores ſoliti ad id tempus ſacras conciones ad populum habere, deinceps in alto fere otio vixerint.* Quis vero crederet, hos novos concionatores rebus Eccleſiæ profuiſſe? qui fabulis omnia impleverunt

&

(a) *Rom. X.* 14. (b) *Act. XX.* 20. 21.
(c) *Seſſ.* 5. *Ref. c.* 2. *ſeſſ.* 24. *Ref. c.* 24.

nones reſuſcitavit, voluitque, ut ipſi Epiſcopi ad populum verba facerent, idque inprimis ſuarum partium eſſe cenſerent.

2. Oratio,

V. Alterum Epiſcopi officium eſt *oratio*. Apoſtoli, quum diaconos inſtituerent, *orationem* & *miniſterium verbi* ſibi reſervarunt; & Paulus inprimis exhortatur Timotheum ad varii generis preces pro variis perſonis fundendas ac docendas. (*a*) Epiſcopum itaque totum precibus deditum eſſe oportet cum pro ſemet ipſo, tum pro grege; immo alios quoque ad orandum inducere, & publice in Eccleſia preces præire. Hinc omnibus officiis cum diurnis, tum nocturnis, quantum per alia negotia licet, aſſiſtere; quæ ad cultum divinum pertinent per totam diœceſin dirigere, libroſque eo ſpectantes, ſi opus eſt, repurgare; preces extra ordinem, pro occaſionum varietate, præſcribere; fidelibus precum formulas, quibus in familia utantur, tradere; abuſus autem & ſuperſtitionem tollere debet.

præſertim in ſacris publicis

VI. Omnium excellentiſſima ſpecies orationis eſt ſancti ſacrificii opus, (1) quod Epiſcoporum proprie offerre decet. Olim presbyteris id non licuit, niſi abſente, vel ægrotante Epiſcopo. Quam enim inconcinnum eſt, judicem die partibus præfixa non comparere in tribunali; tam abſurdum tum viſum, Epiſcopum die dominica non conſpici in cœtu fidelium, non verba facere ad populum, non ſacrificare. Gregorius M. ut palam faceret, quam gravibus arthritidis doloribus vexaretur, dolet, ſe diebus feſtis vix per tres horas pedibus inſiſtere poſſe ad ſacrum faciendum (*b*). Quem virum præter hæc tot Eccleſiarum curæ, tot tantaque premebant negotia.

3. adminiſtratio ſacramentorum.

VII. Denique Epiſcopi eſt adminiſtrare omnia ſacramenta. Quoad Chriſtiani, non niſi tempore paſchali & pentecoſtali baptizabantur, ipſe ſolus ſolemnem baptiſmum impertivit; Presbyteris id non facientibus, niſi periculum in mora eſſet. (2) Itaque Epiſcopus verus pater fuit fidelium, quos ſpiritualiter generaverat. Ipſe ſolus pœnitentiam & abſolutionem diſpenſavit. Uſque ad ſæculum XIII. & nonnullibi ad XV. vetus conſuetudo obſervata legitur, qua presbyteri confitentur Epiſcopo (*c*), cui etiamnum plures caſus reſervantur. Ipſe injungit pœnitentiam publicam, hæreticoſque & excommunicatos Eccleſiæ reconciliat (*d*). Interim Epiſcopi hæc ſæpius pœnitentiariis ſuis, aut aliis presbyteris delegare ſolent.

præſertim confirmationis & ordinationis.

VIII. Duo tamen ſunt ſacramenta, quæ ſolus Epiſcopus vulgo adminiſtrat, *confirmatio baptizatorum*, & *presbyterorum vel miniſtrorum ordinatio*. Sunt etiam certarum rerum conſecrationes & benedictiones Epiſcoporum propriæ, veluti abbatum & abbatiſſarum; Regum & reginarum, equitum, Eccleſiarum, altarium ſive fixorum ſive portatilium, calicis & ſcutellæ, ſancti olei (3). Sunt & aliæ, quæ

& laicos magis ad ſuperſtitionem quam ad veram pietatem deduxerunt, id quod vel *conciones crucis*, ut vocantur, quibus tot myriades ad expeditionem in terram ſanctam (h. e. ad internecionem) cum summo rei & chriſtianæ & publicæ detrimento, inductæ ſunt, ut & *indulgentiarum* clariſſime docent.

(1) Satis ſobrie loquitur Auctor, ſi modo ex mente primorum patrum ſententiam ejus capiamus. Ardentiſſima devotio Chriſtianorum primitus obſervabatur in actu euchariſtiæ, orationibus ad Deum fuſis celebrato: has ſuas *victimas & ſacrificia* appellabant: has offerebant Deo, ut vel teſtimonia JUSTINI martyris in *dial. cum Tryphone p.* 344. & *in expoſ. fidei in f.* TERTULLIANI *in a ol. c.*10. & *ad Scapul. c.* 2. aliorumque docent. In his precibus collocabatur *ſancti ſacrificii* opus, non in eo, quod in locum ejus ſubſtituit ſequior ætas.

(2) Ait TERTULLIANUS *de baptiſmo c.* 17. *dandi quidem* (baptiſmum) *habet jus ſummus ſacerdos, qui & epiſcopus, dehinc presbyteri & diaconi, non tamen ſine epiſcopi auctoritate*.

(3) Vocantur jure recentiori hi actus *ordinis* quod demum poſt *conſecrationem* ſeu *ordinationem* illos peragere queat, utut olim.

(a) 1. *Tim. II.* 1.
(b) *L.* 8. *ep.* 35.   (c) *Thomaſſ. diſcipl. part.* 4. *l.* 1. *c.* 69.
(d) *Pontif. Rom.*

quæ per presbyteros fieri poſſunt, veluti linteorum & mapparum altaris, ornamentorum ſacerdotalium, crucum, imaginum, campanarum, oratoriorum, cœmeteriorum, & Eccleſiarum profanatarum repurgationes. Vid. *rubricas pontificalis & ritualis*. Atque hæc omnia functionibus Epiſcopi interioribus accenſeri poſſunt.

CAPUT XIII.

De Functionibus Epiſcopi exterioribus.

Functiones Epiſcopi exteriores ſunt. 1. juriſdictio:

I. AD *functiones* Epiſcopi *exteriores* pertinent juriſdictio, perſonarum Deo conſecratarum & miſerabilium cura, & bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratio.

II. Epiſcopus eorum omnium, quæ ad *religionem* pertinent, unicus verus & ordinarius judex eſt. Ejus eſt, quæſtiones doctrinales & morales ex interpretatione ſcripturæ & patrum traditione, fideliter relata, decidere. Hinc omnes libros, qui in diœceſi evulgantur, examinandi poteſtatem habet, neque ſine ejus conſenſu quidquam de rebus divinis in lucem emitti poteſt: quod in Francia non obſervatur. *Politia Eccleſiaſtica* pendet ab Epiſcopo (1), qui ſtatuta condit, mandata edit, & varias conſtitutiones promulgat neceſſarias: modo ſint Eccleſiæ diſciplinæ univerſali & juri publico conformes. Ejus eſt diſpenſare in caſibus, in quibus canones permittunt diſpenſationes, veluti in trina proclamatione nubentium, in interſtitiis ordinationum, & in reliquis, ubi præſens Eccleſiæ utilitas id poſtulat, exceptis tamen, qui longa conſuetudine ſedi Apoſtolicæ ſunt reſervati. Ipſe ſibi adjutores in miniſterio Eccleſiæ adſciſcit, quos vel ſacris ordinibus inſerit, vel certis officiis ac beneficiis præficit. Ipſe enim *ordinarius* eſt omnium, quæ ſunt in diœceſi, *collator beneficiorum*. Porro Epiſcopus judicat in criminibus Eccleſiaſticis, reoſque punit. Pro tribunali pœnitentiali judicat peccata, etiam maxime occulta eorum, qui ſponte ſemet accuſant. Judicat peccatores publicos, etiam invitos, eoſque, ſi pœnitentiæ ſemet ſubjicere renuunt, e gremio Eccleſiæ ejicit. (2) Clericos autem corrigit punitque ob culpas leviſſimas, quoniam plenam Epiſcopo debent obedientiam, & ſanctius vivere tenentur, quam laici. Denique lites non ſolum inter clericos, ſed etiam inter Laicos componit: qua de re *Part. III. c. 1.*

III. Per-

olim ante *ordinationem*, qua eccleſiæ denum agglutinabatur, nihil auctoritate Epiſcopali expedire poſſet. Poſtquam vero Epiſcopi electi nonnunquam ordinationem in longius diſtulerunt tempus, & dominatui jam aſſueti, proprium, quod *cap. antec.* explicatum eſt, munus neglexere, ſoli juriſdictioni intenti, inde factum eſt, ut ante conſecrationem mox hanc ſuſciperent, crederentque, illam ex *conſecratione* non dependere, vel potius meo judicio, hanc ab *officio epiſcopali* alienam & extrinſecus aſſumtam fuiſſe.

(1) Id vero ipſum eſt, quod *papatum* alit, quodque ex officio epiſcopali trahi nequit. In primitiva Eccleſia nihil, quod magni momenti erat, epiſcopus agebat ſine *conſenſu eccleſiæ*, & ſic *proprio jure* nullum imperium exercebat, quod demum tum per *ſuppreſſionem populi*, tum per *conniventiam* Cæſarum, poſtquam nomen Chriſto dederunt, enatum eſt. Neque tamen *ſeculo IV. & ſeqq.* hanc juriſdictionem *independenter* exercuerunt, quin potius in ejus exercitio ab imperatorum & regum directione dependerunt, prout *capitularia* inter alia docent.

(2) Hæc perverſa methodus paulo ſerius invaluit. In primitiva Eccleſia cum *conſenſu eccleſiæ* publicos peccatores ejiciebat, nec eos ad pœnitentiam cogebat. Ejectis autem reditus ad eccleſiam patebat per *pœnitentiam*, quam *ſponte* ſuſcipiebant, ut cum eccleſia reconciliarentur, pacemque recuperarent. Non alii ergo quam *ejecti* & *deſertores* ad pœnitentiam confugiebant, nec hæc pœna, *pro imperio* imponenda, ſed unicum illud medium erat, reſtitutionem in integrum recuperandi.

nones reſuſcitavit, voluitque, ut ipſi Epiſcopi ad populum verba facerent, idque inprimis ſuarum partium eſſe cenſerent.

2. Oratio, V. Alterum Epiſcopi officium eſt *oratio*. Apoſtoli, quum diaconos inſtituerent, *orationem* & *miniſterium verbi* ſibi reſervarunt; & Paulus inprimis exhortatur Timotheum ad varii generis preces pro variis perſonis fundendas ac docendas. (*a*) Epiſcopum itaque totum precibus deditum eſſe oportet cum pro ſemet ipſo, tum pro grege; immo alios quoque ad orandum inducere, & publice in Eccleſia preces præire. Hinc omnibus officiis cum diurnis, tum nocturnis, quantum per alia negotia licet, aſſiſtere; quæ ad cultum divinum pertinent per totam diœceſin dirigere, libroſque eo ſpectantes, ſi opus eſt, repurgare; preces extra ordinem, pro occaſionum varietate, præſcribere; fidelibus precum formulas, quibus in familia utantur, tradere; abuſus autem & ſuperſtitionem tollere debet.

præſertim in ſacris publicis VI. Omnium excellentiſſima ſpecies orationis eſt ſancti ſacrificii opus, (1) quod Epiſcoporum proprie offerre decet. Olim presbyteris id non licuit, niſi abſente, vel ægrotante Epiſcopo. Quam enim inconcinnum eſt, judicem die partibus præfixa non comparere in tribunali; tam abſurdum tum viſum, Epiſcopum die dominica non conſpici in cœtu fidelium, non verba facere ad populum, non ſacrificare. Gregorius M. ut palam faceret, quam gravibus arthritidis doloribus vexaretur, dolet, ſe diebus feſtis vix per tres horas pedibus inſiſtere poſſe ad ſacrum faciendum (*b*). Quem virum præter hæc tot Eccleſiarum curæ, tot tantaque premebant negotia.

3. adminiſtratio ſacramentorum. VII. Denique Epiſcopi eſt adminiſtrare omnia ſacramenta. Quoad Chriſtiani, non niſi tempore paſchali & pentecoſtali baptizabantur, ipſe ſolus ſolemnem baptiſmum impertivit; Presbyteris id non facientibus, niſi periculum in mora eſſet. (2) Itaque Epiſcopus verus pater fuit fidelium, quos ſpiritualiter generaverat. Ipſe ſolus pœnitentiam & abſolutionem diſpenſavit. Uſque ad ſæculum XIII. & nonnullibi ad XV. vetus conſuetudo obſervata legitur, qua presbyteri confitentur Epiſcopo (*c*), cui etiamnum plures caſus reſervantur. Ipſe injungit pœnitentiam publicam, hæreticoſque & excommunicatos Eccleſiæ reconciliat (*d*). Interim Epiſcopi hæc ſæpius pœnitentiariis ſuis, aut aliis presbyteris delegare ſolent.

præſertim confirmationis & ordinationis. VIII. Duo tamen ſunt ſacramenta, quæ ſolus Epiſcopus vulgo adminiſtrat, *confirmatio baptizatorum*, & *presbyterorum vel miniſtrorum ordinatio*. Sunt etiam certarum rerum conſecrationes & benedictiones Epiſcoporum propriæ, veluti abbatum & abbatiſſarum; Regum & reginarum, equitum, Eccleſiarum, altarium ſive fixorum ſive portatilium, calicis & ſcutellæ, ſancti olei (3). Sunt & aliæ, quæ

& laicos magis ad ſuperſtitionem quam ad veram pietatem deduxerunt, id quod vel *conciones crucis*, ut vocantur, quibus tot myriades ad expeditionem in terram ſanctam (h. e. ad internecionem) cum ſummo rei & chriſtianæ & publicæ detrimento, inductæ ſunt, ut & *indulgentiarum* clariſſime docent.

(1) Satis ſobrie loquitur Auctor, ſi modo ex mente primorum patrum ſententiam ejus capiamus. Ardentiſſima devotio Chriſtianorum primitus obſervabatur in actu euchariſtiæ, orationibus ad Deum fuſis celebrato: has ſuas *victimas* & *ſacrificia* appellabant: has offerebant Deo, ut vel teſtimonia JUSTINI martyris in *dial. cum Tryphone p.* 344. & *in expoſ. fidei in f.* TERTULLIANI *in apol. c.* 10. & *ad Scapul. c.* 2. aliorumque docent. In his precibus collocabatur *ſancti ſacrificii* opus, non in eo, quod in locum ejus ſubſtituit ſequior ætas.

(2) Ait TERTULLIANUS *de baptiſmo c.* 17. *dandi quidem* (baptiſmum) *habet jus ſummus ſacerdos, qui & epiſcopus, dehinc presbyteri & diaconi, non tamen ſine epiſcopi auctoritate.*

(3) Vocantur jure recentiori hi actus *ordinis* quod demum poſt *conſecrationem* ſeu *ordinationem* illos peragere queat, utut olim.

(a) 1. *Tim. II.* 1.
(b) *L.* 8. *ep.* 35. (c) *Thomaſſ. diſcipl. part.* 4. *l.* 1. *c.* 69.
(d) *Pontif. Rom.*

quæ per presbyteros fieri poſſunt, veluti linteorum & mapparum altaris, ornamentorum ſacerdotalium, crucum, imaginum, campanarum, oratoriorum, cœmeteriorum, & Eccleſiarum profanatarum repurgationes. Vid. *rubricas pontificalis & ritualis*. Atque hæc omnia functionibus Epiſcopi interioribus accenſeri poſſunt.

CAPUT XIII.

De Functionibus Epiſcopi exterioribus.

Functiones Epiſcopi exteriores ſunt. 1. juriſdictio:

I. AD *functiones* Epiſcopi *exteriores* pertinent juriſdictio, perſonarum Deo conſecratarum & miſerabilium cura, & bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratio.

II. Epiſcopus eorum omnium, quæ ad *religionem* pertinent, unicus verus & ordinarius judex eſt. Ejus eſt, quæſtiones doctrinales & morales ex interpretatione ſcripturæ & patrum traditione, fideliter relata, decidere. Hinc omnes libros, qui in diœceſi evulgantur, examinandi poteſtatem habet, neque ſine ejus conſenſu quidquam de rebus divinis in lucem emitti poteſt: quod in Francia non obſervatur. *Politia Eccleſiaſtica* pendet ab Epiſcopo (1), qui ſtatuta condit, mandata edit, & varias conſtitutiones promulgat neceſſarias: modo ſint Eccleſiæ diſciplinæ univerſali & juri publico conformes. Ejus eſt diſpenſare in caſibus, in quibus canones permittunt diſpenſationes, veluti in trina proclamatione nubentium, in interſtitiis ordinationum, & in reliquis, ubi præſens Eccleſiæ utilitas id poſtulat, exceptis tamen, qui longa conſuetudine ſedi Apoſtolicæ ſunt reſervati. Ipſe ſibi adjutores in miniſterio Eccleſiæ adſciſcit, quos vel ſacris ordinibus inſerit, vel certis officiis ac beneficiis præficit. Ipſe enim *ordinarius* eſt omnium, quæ ſunt in diœceſi, *collator beneficiorum*. Porro Epiſcopus judicat in criminibus Eccleſiaſticis, reoſque punit. Pro tribunali pœnitentiali judicat peccata, etiam maxime occulta eorum, qui ſponte ſemet accuſant. Judicat peccatores publicos, etiam invitos, eoſque, ſi pœnitentiæ ſemet ſubjicere renuunt, e gremio Eccleſiæ ejicit. (2) Clericos autem corrigit punitque ob culpas leviſſimas, quoniam plenam Epiſcopo debent obedientiam, & ſanctius vivere tenentur, quam laici. Denique lites non ſolum inter clericos, ſed etiam inter Laicos componit: qua de re *Part. III. c. 1.*

III. Per-

olim ante *ordinationem*, qua eccleſiæ demum agglutinabatur, nihil auctoritate Epiſcopali expedire poſſet. Poſtquam vero Epiſcopi electi nonnunquam ordinationem in longius diſtulerunt tempus, & dominatui jam aſſueti, proprium, quod *cap. antec.* explicatum eſt, munus neglexere, ſoli juriſdictioni intenti, inde factum eſt, ut ante conſecrationem mox hanc ſuſciperent, crederentque, illam ex *conſecratione* non dependere, vel potius meo judicio, hanc ab *officio epiſcopali* alienam & extrinſecus aſſumtam fuiſſe.

(1) Id vero ipſum eſt, quod *papatum* alit, quodque ex officio epiſcopali trahi nequit. In primitiva Eccleſia nihil, quod magni momenti erat, epiſcopus agebat ſine *conſenſu eccleſiæ*, & ſic *proprio jure* nullum imperium exercebat, quod demum tum per *ſuppreſſionem populi*, tum per *conniventiam* Cæſarum, poſtquam nomen Chriſto dederunt, enatum eſt. Neque tamen *ſeculo IV. & ſeqq.* hanc juriſdictionem *independenter* exercuerunt, quin potius in ejus exercitio ab Imperatorum & regum directione dependerunt, prout *capitularia* inter alia docent.

(2) Hæc perverſa methodus paulo ſerius invaluit. In primitiva Eccleſia cum *conſenſu eccleſiæ* publicos peccatores ejiciebat, nec eos ad pœnitentiam cogebat. Ejectis autem reditus ad eccleſiam patebat per *pœnitentiam*, quam *ſponte* ſuſcipiebant, ut cum eccleſia reconciliarentur, pacemque recuperarent. Non alii ergo quam *ejecti* & *deſertores* ad pœnitentiam confugiebant, nec hæc pœna, *pro imperio* imponenda, ſed unicum illud medium erat, reſtitutionem in integrum recuperandi.

2. cura α. religioſorum & religioſarum. β. miſerabilium perſonarum. III. Perſonæ, quarum cura præcipue Epiſcopo commiſſa eſt, ſunt eæ, quæ Deo conſecratæ vitam perfectiorem ſequuntur, veluti virgines & viduæ, quibus ſucceſſerunt monachæ, monachi ac ceteri religioſi, qui principio omnes ſubjecti fuere Epiſcopis (1). Ex quo jure ſupereſt benedictio abbatum & abbatiſſarum, nec non poteſtas, Deo devotis virginibus dandi ſuperiores & viſitatores. Eadem cura complecti tenetur perſonas miſerabiles, veluti pauperes validos & invalidos; orphanos ſive deſtitutos, ſive, ſimulatque nati ſunt, expoſitos; ſenes ad victum quærendum inhabiles; dementes, ſtupidos viatores, peregrinatores, præſertim religionis ergo (2). Hinc ejus eſt directio Noſocomiorum, omnium caritatis operum, omnium confraternitatum aut congregationum, ob caritatem exercendam contractarum. Ipſi incumbit, examinare pauperes de neceſſitatibus ipſorum, de moribus, de religione; diſtinguere vere tales ab impoſtoribus & vagabundis; diſpicere, ut eleemoſynæ fideliter, utiliter & ordine diſtribuantur; curare, ut cum terrenis cæleſtia bona cum iis communicentur. Atque hæc pauperum cura præcipua fuit in primitiva Eccleſia Epiſcoporum occupatio (*a*). Sibi enim commendatam habuere cauſſam miſerorum, viduarum & orphanorum, quam ſæpe magiſtratibus & principibus commendarunt.

γ. bonorum eccleſ. IV. Quod ad bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem attinet, Epiſcopi eſt, fideles exhortari ad decimas, fructuum primitias, oblationes & eleemoſynas liberaliter conferendas, immobilium donationes & quaſcumque alias fundationes acceptare. Omnia bona per diœceſin olim ejus poteſtati fuere ſubjecta, de quibus præter Deum nemini rationem reddere tenebatur. Nam ſi in horum diſpenſatione ſuſpectus eſſet, animæ ipſi, ſine dubio pretioſiores, committi quomodo potuiſſent? (*b*) Hodie Epiſcopus non niſi ea adminiſtrat, quæ menſæ deſtinata ſunt. Sed hæc omnia latius perſequemur *Part. II. c.* 24.

CAPUT XIV.

De Archiepiſcopis, Patriarchis, Primatibus.

Epiſcopi. I. Ut Epiſcopus tot functionibus vacare poſſit, aut exigui tractus diœceſi, aut magno miniſtrorum numero, qui ipſum ſublevent, opus eſt. Prius antiquis, poſterius noſtris placuit temporibus.

olim fere innumeri in terris cultioribus. II. Sæculo IV. in Provinciis cultioribus, veluti in Oriente, Ægypto, Aſia, Græcia, Italia, infinita fuit Epiſcoporum multitudo (3), quod ſubſcriptiones con-

(1) Id magnopere dubium eſt. Monachi olim erant *laici*, nec magis epiſcopis ſubjecti erant, quam ceteri, quin potius ab abbate ſuo dependebant. Epiſcopis demum ſubjecti ſunt in *concilio Chalcedonenſi c.* 4. conf. *c.* 12. C. 16. *q.* 1.

(2) Id cum primitivæ Eccleſiæ moribus magnopere conſpirat, teſte JUSTINO martyre in *apol. II. in f.* ubi eleganter ita: *quod ita colligitur, apud præpoſitum deponitur: atque ille inde opitulatur pupillis & viduis & his, qui propter morbum aut aliquam aliam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus & ut ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt.*

(3) Demirantur forſan plerique hoc ævo primitivæ Eccleſiæ praxin, quæ tot tulit epiſcopos. Horum eminentia & dignitas principalis, qua hodie coruſcant, ita plerorumque occupavit animos, ut ex præſenti ſtatu antiquos quoque æſtimandos eſſe epiſcopos cenſeant. In eo vero graviter peccatur. Singulæ eccleſiæ in tribus prioribus ſeculis ſuum habebant epiſcopum, qui *primus* erat inter presbyteros, ſine tali eminentia, jurisdictione, territorio, ceteriſque juribus quibus hodie eminent. Paucis contenti erant. Non habitu a laïcis diſtinguebantur. Humilitati ſtudebant, ceteriſque officiis priori capite depictis. Nec rurales eccleſiæ carebant epiſcopis, qui *chorepiſco-*

(a) *Conſtit. Apoſtol. l.* 2. *c.* 4. *l.* 5. (b) *Conſtit. Apoſt.* 24. 25.

conciliorum & patrum Epiſtolæ teſtatum faciunt. In Africa ſola, hoc eſt, in ora maris interioris a Tripoli uſque ad fretum Gaditanum an. 411. numeratæ fuere ſedes Epiſcopales DLXX. quod ex conventu Carthaginenſi clarum. Papæ quidem per Italiam novos quoſdam Epiſcopatus etiam recens condiderunt; ſed & nonnullos veteres ſuppreſſerunt. Ex notitia imperii, ad calcem codicis Theodoſiani adjecta, patet, per Græciam haud pauciores fuiſſe. Soli patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjecti fuere LXXX. Metropolitani & XXXIX. Archiepiſcopi, quorum nonnulli ultra XXX. ſuffraganeos habuere. Græci enim has dignitates diſtinguunt, & Archiepiſcopos poſt Metropolitanos locant. Concilium Sardic. *c.* 6. id ſolum prohibet, ne Epiſcopi vicis aut urbibus tam parvis præficerentur, quas vel unus presbyter regere poſſet.

III. In Gallia & Hiſpania rariores fuere Epiſcopi ob civitatum raritatem; quarum etiamſi in Scythia ſæculo V. major numerus, uno tamen omnes ab epiſcopo regebantur (*a*). Quum Chriſtiana religio in Germaniam penetraret, quod ea urbibus deſtituta eſſet, pauci fuere Epiſcopatus conſtituti, nec poſtea, licet cultu creſceret, aucti, etiam per ſeptentrionem. Unde nati ſunt *vaſtæ magnitudinis epiſcopatus* in Germania & in Polonia, in quibus cum Epiſcopi non gregem ſolum, ſed ne presbyteros quidem omnes noſſe ac regere poſſent, opus fuit multis *archipresbyteris*, *archidiaconis*, *vicariis generalibus*, nec non *religioſorum* auxilio; concilia autem haberi vix potuere. Præterea tanta fuit horum epiſcopatuum potentia, tantaque in republica dignitas, ut cura rerum ſpiritualium ſæpiſſime poſtponeretur negotiis politicis (1). Sapientius veteres, qui in Epiſcopatibus inſtituendis rationem habuere imbecillitatis humanæ, eoſque ita arctarunt, ut Epiſcopus *per ſe* vacare poſſet omnibus officiis. Si enim ſatis eſſet, nullo multitudinis & diſtantiæ locorum reſpectu habito, per alios hæc exſequi, non niſi uno Epiſcopo univerſa Eccleſia indigeret, nec ipſe Chriſtus pluribus Apoſtolis opus habuiſſet.

rariores, ſed ampliores in incultis.

IV. Neque tamen in primitiva Eccleſia *magni Epiſcopatus* (2) defuere, quia tum ampliſſimæ erant civitates. Semper enim conſtitutum fuit, non niſi unum in qualibet civitate eſſe debere Epiſcopum, ad Eccleſiæ unitatem figurandam (*b*). Sic Romanus, Alexandrinus, Antiochenus Epiſcopi maximos cœtus rexere; ſed eorum diœceſes vix ultra pomœria civitatum protendebantur, quod indicant veteres Epiſcopatus ad *portas urbis Romanæ* inſtituti. Et quoniam Apoſtoli

Origo metropolitanorum.

piſcopi vocabantur, teſte CLEMENTE *in epiſt. ad Cor.* Nec enim ratio juris permittebat, ut *rurales* Eccleſiæ a *civitatenſibus* diverſo uterentur jure. Crevit quidem in *majoribus* eccleſiis epiſcoporum auctoritas jam ſeculo III., ſed non æque in *minoribus*, adeoque licet ſeculo IV. *parochiæ* hinc inde in illis inſtituerentur, in civitatibus tamen aliis una tantum Eccleſia ſub *epiſcopo* erat. Denique nulla erat civitas quæ carebat Epiſcopo, donec tandem patribus in concilio Sardicenſi conſultius viſum fuerit, ad augendam epiſcoporum auctoritatem duntaxat in *majoribus* Eccleſiis ſedes epiſcopales ponere, quo ipſo ſimul *chorepiſcopi* admodum ſuppreſſi ſunt.

(1) Aliam præterea confuſionem ex hoc fonte derivat AUCTOR *Tom. XIII. hiſt. Eccl. in diſc. prælim. §.* 10. docetque, Epiſcopos ad temporalia & negotia regni admiſſos, ſæpe crediediſſe, ſe id, quod ut *domini temporales* haberent agerentque, *jure Epiſcopali* poſſidere, & hac de cauſa etiam de regibus in conciliis & foro pœnitentiali judicaſſe, regeſque de juribus ſuis non ſatis informatos id permiſiſſe, denique ceremoniam coronationis medio ſeculi VIII. introductam prætextum præbuiſſe, ut Epiſcopi, coronam regi imponentes, ſibi perſuaderent, ſe ex parte Dei ipſi regnum tradere. Sic itaque reges ipſi in cauſa fuere, ut Epiſcopi per Galliam & Germaniam ad tam immenſam & reipub. maxime damnoſam pervenerint potentiam.

(2) Non tamen erant magnæ diœceſes, prout Autor ipſe fatetur. Dicendum potius eſt, magnas fuiſſe *Eccleſias* ſeu *cœtus*; neque enim oſtendi poteſt, in magnis civitatibus ante *ſeculum IV.* plures fuiſſe eccleſias inſtitutas ſeu cœtus diviſos.

(a) SOCRATES *hiſt. l.* 8. *c.* 19. (b) *Conc. Nicæn. c.* 8.

ſtoli eorumque diſcipuli in majoribus civitatibus habitarunt, ex quibus ad minores emiſerunt Epiſcopos & presbyteros; hæ tenuiores Eccleſiæ majores illas in magnis civitatibus, quæ jam tum in geographia politica *metropoles* vocabantur, collectas, veluti *matres* venerabantur. (1) (*a*) Hinc metropolitano competit, omnes provinciæ Epiſcopos ordinare, monere, ad inſtar patris & doctoris corrigere, ad concilium convocare. In deſignandis provinciis adoptata eſt diviſio imperii Romani, quod eo tempore latiſſime patuit, quo plantata eſt Eccleſia; nec facile diviſiones illæ, licet per incurſiones barbarorum reſpublica mutata ſit, turbatæ fuere.

Qui Metropolitani? Archiepiſcopi? V. Metropoles Romana, Alexandrina & Antiochena ſemper eminuerunt in reliquis, quod Eccleſias illas collegiſſet ac plantaſſet (2) Apoſtolorum princeps (*b*). Earum Epiſcopi vocati ſunt *Archiepiſcopi*, poſtremo *Patriarchæ*: & licet Alexandrinus multa præcipua habuerit, Romanus tamen ſemper pro vero Petri ſucceſſore, & ſic *de jure divino* (3) pro principe Epiſcoporum & viſibili capite Eccleſiæ habitus eſt. Archiepiſcopi titulus datus eſt poſtea omnibus in occidente metropolitanis; quanquam Græci diverſos gradus fecerint Archiepiſcoporum & metropolitanorum. Patriarchæ nomen quibuſdam Epiſcopis præter ceteros eminentibus, veluti jam inde a ſæculo IV. Hieroſolymitano ob ſanctitatem urbis, & Conſtantinopolitano ob ſedem imperialem; poſt etiam nonnullis aliis, quorum poteſtas eo aucta non fuit, datum eſt. *Patriarchæ?*

Exarchi? VI. Metropolitani, qui habitarunt in magnis civitatibus, ex quibus integræ provinciæ regebantur, quas diœceſes vocarunt, *Exarchi* ſunt appellati. Quod enim hodie *diœceſin* appellamus, ſcilicet ſuum cujuſque Epiſcopi territorium, id olim παροικία *parœcia* fuit appellatum, quaſi *vicinia*. In aliis provinciis *primates* (4) audiebant iſti primariarum urbium metropolitani; quamquam per Numidiam *primates?*

non

(1) Id vero magis ex *conſuetudine* & *uſu* pedetentim invaluit, quam ex *inſtituto* aliquo *Apoſtolico* receptum eſt, ut in *c. VI. concil. Nicæn.* patres fatentur. Variæ hujus moris fuere cauſæ. Jam ſæculo II. hi, qui contra hæreticos diſputabant, provocabant ad auctoritatem *eccleſiarum apoſtolicarum*, quas vel Apoſtoli fundarunt; vel ad quas literas direxerunt, ut vel IRENÆI & TERTULLIANI ſcripta teſtantur. Celebritas urbium præcipuarum in ſingulis provinciis quoque Epiſcopis ibi reſidentibus, quandam conciliabat auctoritatem, cum etiam minores civitates ad has paſſim confluerent. Denique, cum eccleſiæ, quas *una provincia civilis* conjunxerat, magis inter ſe unitæ eſſent, communi quoque conſilio cauſas eccleſiarum communes dirigebant, & ita, pedetentim provinciis eccleſiaſticis ortis, naturale erat, ut ordinis gratia alicui inter Epiſcopos prærogativa daretur, qui communi ſaluti potiſſimum in ſingulis provinciis invigilaret, unde tandem varii Epiſcoporum gradus orti. Ut plurimum hic *primatus* metropoleos Epiſcopo, quandoque etiam *ſeniori* inter omnes provinciæ Epiſcopos datus eſt.

(2) Hæc ratio nec plana nec ſatis fundata eſt: plures ſine dubio fundavit Eccleſias Petrus. Utrum *Romanam* fundaverit, incertum eſt. Antiochenæ Eccleſiæ fundamenta jacta ſunt ab aliis. *Act. XI. 20 ſeq.* Parum quoque certi aſſerere licet de fundatore Eccleſiæ Alexandrinæ. Inſignis auctoritas harum trium urbium, per totum imperium Romanum celebrata, ſine dubio pedetentim hanc prærogativam iis peperit, quæ in *c. 6. concil. Nicæni* non aliunde quam ex *conſuetudine* petitur.

(3) Nolo me in hanc immittere litem, ab aliis jam excuſſam. Id tantum moneo, Gallos pleroſque huic ſententiæ contradicere, & primatum univerſalem ſedis Romanæ non *juri divino*, ſed *inſtitutis Eccleſiaſticis* attribuere, uti ante aliquot annos Auctor Gallus, in tract. *de l'autorité du Pape lib.* 1. *c.* 6. variis argumentis oſtendere ſtuduit.

(4) Quod patres *concilii Taurinenſis anno* 317. habiti *c.* 2. produnt his verbis: *illud inter epiſcopos urbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de primatus apud nos honore certabant, a ſancta ſynodo definitum eſt, ut qui ex iis comprobaverit, ſuam civitatem eſſe metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipſe juxta præcepta canonum ordinationum habeat poteſtatem.*

(a) *Diſt.* 21. *c.* 1. (b) *Diſt.* 22. *c.* 8.

non princeps, ſed *ſenior* Epiſcoporum, *primas* adpellaretur. Regna ex ruinis Romani imperii nata anſam dedere pluribus *primatibus* inſtituendis, qui tamen præter titulum nihil habent præcipui, excepto *Lugdunenſi* Archiepiſcopo, quem Archiepiſcopi Turonenſis, Senonenſis & Pariſienſis, quippe olim Senonenſis ſuffraganeus (1), ſuperiorem agnoſcunt, adpellationeſque ad eum permittunt. Qui per omnem Chriſtianum orbem ſolus jura *primatis* revera exercet.

Primas hodie ſolus Lugdunenſis in Gallia Archiepiſcopus.

VII. Hic igitur eſt regiminis Eccleſiaſtici ordo. Fideles omnes reguntur ab Epiſcopis, qui presbyteros ac reliquos clericos in miniſterio adjutores habent, & ratione ordinis ac ſacerdotii inter ſe ſunt æquales (*a*); excepto uno, qui jure divino ceteris præfectus eſt ad unitatem Eccleſiæ conſervandam, ejuſque caput viſibile exhibendum (*b*), Romano ſcilicet pontifice, ſucceſſore illius, quem Chriſtus ceteris præfecerat, (2) Apoſtoli. Et ille vero ſolo Epiſcopi nomine contentus ceteros Epiſcopos *fratres* adpellat. Ceteræ diſtinctiones omnes ſunt *juris humani*, pertinentque ad *politiam Eccleſiaſticam*: unde tam difformes ſunt. Nam pro temporum & locorum diverſitate plures vel pauciores metropoles & unicuique ſubjectas Eccleſias deprehenderis. Sunt Archiepiſcopi, qui Patriarchis vel Primatibus pareant; ſunt, qui ſedi Apoſtolicæ. Sunt & Epiſcopi a Papa ſine medio dependentes (3).

Papa.

VIII. Archiepiſcopi ornamentum habent ſingulare, *pallium* ſcilicet, quod cetero ornatui ſuperimponunt. Uſus ejus in Eccleſia Græca antiquior fuit & frequentior. Nam in Eccleſiam Latinam ſæculo demum VI. irrepſit (4), quod Papæ quibuſdam Epiſcopis, veluti ſingularis gratiæ teſſeram, contulerunt (*c*). Sed inde ab aliquot ſæculis omnibus Archiepiſcopis commune redditum eſt, *diſt.*100. ſemper tamen Roma petendum; nec ante ejus impetrationem quiſquam Archiepiſcopali munere fungi poteſt (5).

Archiepiſcoporum inſigne pallium.

CAPUT

(1) Adeoque *primas* dicitur, qui plures *provincias* & *metropolitanos* ſub ſe habet, quæ appellatio ſpecialiori in ſenſu ex *collectione Iſidori* nata, obſervante *de* MARCA *de primat. Lugdun.* §. 9. Ceterum fata primatus Lugdunenſis plenius enarrat cauſamque ejus agit MARCA *cit. l.* §. 57. *ſeqq.*

(2) Id vero ipſum eſt, de quo quæritur. A mente ſalvatoris plane alienum fuit, principem Eccleſiæ, monarchamque totius orbis Chriſtiani, conſtituere, & unum ceteris Apoſtolis præficere, quos omnes inter ſe *æquales* eſſe debere, quavis occaſione inculcavit, *Joh. XIII.* 12. *ſeqq.* omnemque dominatus ſpeciem ab iis longe removit. Sed hæc ab aliis prolixius ſunt diſputata.

(3) Ut *Bambergenſis* in Germania, qui proinde proximum poſt Archiepiſcopos honorem ſibi arrogat & *pallii* prærogativa gaudet.

(4) De *pallii* antiquo uſu forma & honore agit PETRUS de MARCA *lib. VI. de C. S. & imp. c.* 6. ſimulque *c.* 7. oſtendit, Archiepiſcopos hoc modo adſtrictius imperio Papæ fuiſſe ſubjectos, quod a me in *obſerv.* 3, ad *cit. l.* plenius illuſtratum eſt.

(5) Hoc ipſum eſt, quod Archiepiſcopos male habet. Hunc enim Pontifex ex poſtfacto *pallii* impetrationi ſignificatum dedit, ut ſcirent, ſe ex *beneficio* ſedis Romanæ hoc Archiepiſcopali honore frui, quem ante pallii impetrationem *proprio* poſſidebant *jure*.

(a) *Diſt.* 21. *c.* 3. (b) *Diſt.* 22. *c.* 1.
(c) THOMASS. *diſcipl. part.* 2. *l.* 1. *c.* 24. 25. 26.

CAPUT XV.

De Epiſcopatibus vel erigendis vel ſupprimendis, itemque de Epiſcopis nomine talibus & de coadjutoribus.

Eccleſiæ plantatæ a vicinis Epiſcopis,

I. INter populos recens ad Chriſtianam fidem converſos Epiſcopi fuere ſine metropolitanis, donec Chriſtianorum numerus ita augeretur, ut, pluribus Epiſcopatibus inſtitutis, formari poſſet provincia quædam Eccleſiaſtica (*a*). Principio viciniores Epiſcopi ſponte munus illud fidem propagandi ſibi ſumſerunt: quibus ceſſantibus, ſuperiores id curarunt, & inde a ſæculo IX. & X. *Pontificis* auctoritas præcipue acceſſit. Unde Anglia, Germania & regna ſeptemtrionalia, in quibus iſto ævo plantata eſt Eccleſia, peculiari nexu obſtricta erant, ante noviſſimas hæreſes, Epiſcopo Romano (1). (*b*)

& Epiſcopatus a Papa fundandi.

II. Jure veteri provincialis concilii decreto inſtitui potuere Epiſcopatus & metropoles (*c*). Sed ex quo ſpuriæ decretales receptæ ſunt, nihil horum fit ſine *auctoritate Papæ* (2): ubi tamen ſemper aliquid dandum Epiſcopis, quorum diœceſes minuuntur; Metropolitanis, quibus ſuffraganeus datur; nec non novæ diœceſeos clero & populo; regi quoque & aliis territoriorum dominis. Metropoles olim rariores, ob majeſtatem urbium, quæ pedetentim auguſtiores ſunt redditæ, multiplicatæ fuerunt, nullo numeri Epiſcoporum in provincia reſpectu habito. Sic Pariſienſis Eccleſia an. 1622. Metropolis facta eſt (3). Contra nonnunquam tituli Eccleſiarum, vel bello vel aliis calamitatibus deſolatarum, ſupprimendi videbantur, quod in Italia potiſſimum labente imperio accidit. Nonnunquam duæ diœceſes conjunctæ, vel Epiſcopales ſedes in aliam urbem translatæ (4): quod eodem auctore ac modo, quo Epiſcopatus inſtituuntur, fieri debet (*d*).

Vaſtatarum civitatum Epiſcopi.

III. Terræ Chriſtianorum ab infidelibus occupatæ & civitates deſolatæ non illico amiſere Epiſcopos, qui ſæpe vel in reliqua diœceſi vel in vicinis urbibus perſtiterunt (5), priſtinum titulum conſervantes. Hinc licet Antiochia vix memorabilis ſit & Alexandria prope in nihilum redierit, patriarchæ tamen, qui harum civitatum titulis utuntur, ſuperſunt, Memphi vel alibi, ubi Chriſtiani tolerantur, habitantes. Et quum Chriſtiani orientales abhinc MCC. annis in va-

rias

(1) Quod Anglia per AUGUSTINUM, abbatem, a GREGORIO anno 596. illuc miſſum, ad fidem Chriſtianam converſa, & ſedium Epiſcopalium ordinatio facta, nec minus per BONIFACIUM, miſſum S. Petri, ut Carlomannus eum vocavit, in Germania Eccleſiæ plantatæ fuerint. Creditum autem eſt, Eccleſias matris loco eſſe colendas, quæ alias plantarunt, haſque *filiarum* nomine venire debare.

(2) Ex eo prætextu, quod *cauſæ arduæ & majores* ſoli ſedi papali reſervatæ ſint, quo principio pſeudo-Iſidorus paſſim in ſuis Epiſtolis utitur.

(3) Sic nuper admodum Epiſcopus Vindobonenſis ob auguſtam loci dignitatem, reſidentia Cæſaris decoratam, metropolitanus ſeu Archiepiſcopus factus eſt, uno alteroque ſuffraganeo ei dato.

(4) Sic Epiſcopatus VVratislavienſis primum Smogræ in Sileſia fundatus ann. 965. mox anno 1041. a CASIMIRO I. & Leonardo Epiſcopo Bicinum & paulo poſt VVratislaviam translatus eſt, *de ſententia præſulum*, ut DUBRAVIUS *hiſtor. Bohem. lib. VII. p.* 62. ait Pontificiſque Romani auctoritatem omittit.

(5) Tales Epiſcopi dicti ſunt *vacantes* in *concil. Antioch. c.* 16. qui in ſuo ſtatu manebant nec deſinebant eſſe Epiſcopi, *c.* 4. & 5. *D.* 95. ſed interim ſæpe aliis Eccleſiis ad tempus præficiebantur. *c.* 42. *C.* 7. *q.* 1.

(a) THOMASS. *diſc. part.* 2. *l.* 1. *c.* 11. GREGOR. *l.* 5. *ep.* 58. 59.
(b) ZACHARIÆ *ad Bonifac. ep.* 1. 4. 6.
(c) *Cod. Afric. c.* 98. (d) *Gregor. l.* 1. *ep.* 76. *l.* 2. *ep.* 13.

Digitized by Google

rias ſectas diſceſſerint: harum unaquæque ſuos habet Patriarchas, ſuos Epiſcopos. Unde plures videas, qui ejuſdem civitatis dicantur Epiſcopi.

nomine tenus ſuperſunt,

IV. Latini quum *terram ſanctam* recuperaſſent, his omnibus ſuæ Eccleſiæ addiderunt *Patriarchas* & *Epiſcopos*. Non enim paſtores agnoſcere potuerunt hæreticos illos & ſchiſmaticos, qui ne catholicos quidem admitterent, lingua & ritibus diſcrepantes (1). Auctore itaque Papa latinum Patriarcham *Antiochiæ*, latinum *Hieroſolymæ*, latinos aliis locis dederunt Archiepiſcopos & Epiſcopos; quod etiam poſt expugnatam Conſtantinopolin in Græcia fecerunt. Quibus regnis amiſſis, ſpe recuperandi ablata, Epiſcopi æque ac principes titulos illos retinuerunt, licet vel Romam ſeſe vel in patriam recepiſſent.

& vocantur Epiſcopi in partibus.

V. Ut autem haberent, quo vitam & decus Epiſcopale ſuſtentare poſſent, Papa vel annuas penſiones, vel *beneficia ſimplicia*, vel Epiſcopatus iis contulit; titulo tamen honorificentiori ſemper utentibus. Sic tempus fuit, quo idem eſſet *Alexandrinus patriarcha* & *Bituricenſis Archiepiſcopus*; cui Alexandria titulum; Bituricum præbuit titulum. Si quis ex his deceſſiſſet, alius eodem titulo ornatus eſt, cujuſmodi Epiſcopi *in partibus infidelium* poſt etiam creati, quam omnis recuperandi terras illas ſpes decollavit. Horum titulorum uſus id commodi habere videbatur, ut Epiſcopi ordinari poſſent *ſine Epiſcopatibus*, veluti nuntii apoſtolici, vicarii Apoſtolici inter hæreticos vel in miſſionibus longinquis degentes, coadjutores, ſuffraganei, h. e. ii, qui Epiſcopi ordinarii munere fungi ſolent, veluti in Germania, ubi electores Eccleſiaſtici & ceteri Epiſcopi, quoniam *principes* ſunt, plerumque hujuſmodi Epiſcopos *in partibus* alunt, qui eorum vices gerant (2). Adpellantur autem *ſuffraganei*, quia apud Græcos, hujus vitii auctores, Archiepiſcopi vices ſuas commiſerunt *ſuffraganeis* ſuæ quilibet provinciæ.

Unus tantum in ſingulis diœceſibus Epiſcopus.

VI. Firma tamen eſt regula, in unaquaque diœceſi non plures uno eſſe poſſe Epiſcopos, ad indicandam ac tuendam unitatem Eccleſiæ (a): quæ licet ob vaſtitatem in plures ſit diviſa greges; quilibet tamen grex non niſi unum ducem habet, eumque capiti Eccleſiæ univerſalis ſubjectum. Si in una diœceſi duæ nationes, lingua rituque diverſæ, habitant, non duobus propterea Epiſcopis opus eſt. Poteſt enim Epiſcopus v. gr. Latinus Græcis dare vicarium generalem Græcum, qui functionibus vacet, quæ presbytero committi poſſunt (3) (b). Hoc contigit ſæpius durante bello ſacro, ac etiamnum contingit in iis regnis, ubi diœceſes ad plures nationes protenduntur.

Coadiutor quando, quibus, & a quo detur?

VII Si Epiſcopus vel ſenio confectus vel ob aliam infirmitatem officio ſuo fungi nequit; expellendus non eſt, ſed *Coadiutore* dato ſublevandus (c). Principio presbyter ad hoc datus eſt, quem Epiſcopum fecere, cum ſpe ſuccedendi Epiſcopo ægrotanti (d). Nunc vero ut functiones Epiſcopales exercere poſſit, ornatur titulo quopiam *in partibus*. Poteſtas ejus finitur cum vita Epiſcopi, niſi cum

(1) Præterea Pontificis magnopere intererat, ut ea occaſione, imperium ſacrum in orientales eccleſias extendendi, uteretur, quod hæ hucuſque recuſaverant.

(2) Præterea quoque id commodi habere videtur, ut Pontificiæ auctoritatis in Eccleſias græcas, utut exſtinctas, ſupereſſet memoria, atque Roma oſtenderet, ſe intentionem reſuſcitandi Epiſcopatus iis locis, occaſione ferente, nunquam depoſuiſſe. Quis ergo dubitaret, quin in Archiepiſcopalibus aliiſque diœceſibus, poſt reformationem ſedi papali ſubtractis, eodem jure hodie utatur pontifex?

(3) Hoc, Conſtantinopoli a Latinis anno 1204. capta, contigit, poſtquam Epiſcopi latini diœceſibus orientis eccleſiæ præfecti ſunt, & latini ſimul cum græcis permixtim in iis habitarunt. Hac occaſione INNOCENTIUS III. in *concilio Lateranenſi* conſtitutionem edidit, cujus ſeriem Auctor refert.

(a) *Can. Nicæn.* 8. (b) *c. 14. X. de offic. jud. ord.*
(c) *Concil. Meld. c.* 47.
(d) THOMASS. *diſc. part. 1. l. 1. c. 42. C. 7. qu. 1. c. 1. & 17.*

cum ſpe ſuccedendi datus ſit. Olim metropolitanus in concilio provincialium *coadjutores* dedit; jure novo, ſolus *Papa* (1).

non ab ipſo Epiſcopo. VIII. Regulariter Epiſcopo viventi ſucceſſor non datur; nec ipſe ſibi ſucceſſorem dare poteſt, præſertim agnatum vel cognatum: quum regimen Eccleſiaſticum non ſit in patrimonio, nec certis familiis hæreditarium (*a*). Si tamen Epiſcopus integræ vitæ procul affectibus dignum hominem elegerit, merito id attendendum foret. Sic Auguſtinus *ep.* 807. ſucceſſorem præoptavit Heraclium presbyterum (2), quem poſt mortem AUGUSTINI, quod populus conſenſiſſet, confirmarunt Epiſcopi. Sic Zacharias Papa *ep.* 62. Bonifacio veniam dedit, deſignandi ſibi ſucceſſorem in ſede Moguntina. Noviſſimis temporibus Papa ſæpe dedit coadjutores cum certa ſpe ſuccedendi, neque fere aliter coadiutores dari ſolent (3); quum tamen concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 7. *in fin.* prohibuerit, ne id fieret ſine cauſſæ cognitione, ac niſi perſona data ſit digniſſima. In Francia regis nominatione opus eſt his æque ac Epiſcopis. Hinc etiam ſine nova *nominatione* & nova *confirmatione* ſuccedunt defuncto Epiſcopo (4).

CAPUT XVI.

De translatione & reſignatione Epiſcoporum, itemque de ſede vacante.

Epiſcoporum translationes. I. EPiſcopum decet Eccleſiæ ſuæ veluti maritum uxori (5), patrem familiæ, ſemper eſſe affixum: quod presbyteris quoque & aliis clericis præceptum eſt (*b*). Cura enim animarum non eſt actio deſultatoria, ſed continuum laborem expoſcit in docendo, corrigendo & perficiendo. Tempore opus eſt ad conciliandam fiduciam, ad bona opera oſtendenda, ad vitæ morumque probitatem uniformem ſervandam. Suus cuique paſtori ſcopus; ſui cuique agendi ratio peculiaris eſt: & grex mutatione illa ſemper ad prima principia rejicitur. Interim jam inde a ſæculo IV. Ariani ac ceteri hæretici Eccleſias ſuas ſæpe cum aliis commutarunt, vel propria ambitione ducti, vel ab aſſeclis ſuis ad digniores ſedes evecti.

ex gravibus cauſſis prohibita. II. Qua de cauſſa concilium Nicænum *c.* 15. Epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum translationes prohibuit, irritas declaravit, voluitque, ut translati reverterentur ad priſtinam Eccleſiam (*c*). Quibus concilium Sardicenſe *c.* 1. 2. laico-

(1) Accedente tamen aſſenſu eorum, qui ad actum electionis concurrere debebant, adeoque & regis conſenſus ea tempeſtate neceſſarius erat, ſine quo electio vires non habebat. vid. MABILLON. *ſec. III. P.* 1. *act. Benedict. p.* 372.

(2) Ipſe Auguſtinus hoc modo a Valerio infirmitate & ætate confecto in adjutorium aſſumtus, &, quod magis, Epiſcopus ordinatus eſt, ut docet *c.* 12. *C.* 7. *l.* 1. *ita conjectatus eſt, ut non ſuccederet in Cathedra Epiſcopo, ſed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponenſi eccleſiæ Epiſcopo, coepiſcopus Auguſtinus eſt*, id quod contra morem Eccleſiæ factum.

(3) Quid quæris? hodie fere ſolius ſucceſſionis gratia conſtituuntur coadjutores, adeo ut invitis dentur, & iis qui nequidem ope aliorum indigent. Habent plerique plures officiales ordinarios, habent ſuffraganeos, archidiaconos, archipresbyteros, ceteros, qui vices Epiſcopi ſufficienter implere poſſunt, quibus tamen coadjutores dantur, & ſic plane in diverſum, ac quidem olim, finem.

(4) Impediuntque ſedis vacantiam, quæ multa incommoda parere ſolet.

(5) Ad deſignandum vinculum indiſſolubile, quod inter Eccleſiam & Epiſcopum per *ordinationem* contrahitur, argumentum patres paſſim traxere a *vinculo conjugali*, quod tandem novam doctrinam in Eccleſia peperit de *conjugio* quodam ſpirituali inter Epiſcopum & Eccleſiam contracto; unde nova jura de *dote Eccleſiæ* &c. enata ſunt.

(a) *C.* 7. *q.* 1. *c.* 5. & 6. (b) THOMASS. *diſc. part.* 1. *l.* 2. *c.* 25. *part.* 2. *l.* 2. *c.* 44. *can. Apoſt.* 14. *can. Nicæn.* 15. *C.* 7. *q.* 1. *c.* 19.

laicorum communionem etiam in articulo mortis denegandam cenſuit. Id certe animadvertere licet, neminem a majore Eccleſia tranſire ad minorem, eoſque, qui mutationem ſperant, inquietos eſſe locumque deſpicere, ubi vitam exigere nolunt. Modo dicta diſciplina diu viguit in Orientali & Occidentali Eccleſia, & Romana per IX. ſæcula nullum tranſlationis exemplum tulit, primo in Papa Formoſo prodito, qui Epiſcopus fuit Portenſis. Succeſſor eum hac de cauſſa e ſepulchro reduxit, & concilium Rom. an. 904. ſub Jo: X. habitum *c*.3. cavit, ne ceteri hoc exemplo ſeducerentur.

hodie permittuntur, auctore Papa:

III. Nonnullæ tamen legitimæ tranſlationis cauſſæ videbantur. Si Eccleſia ab hoſtibus eſt devaſtata, Epiſcopus ad aliam transferri poteſt; cujuſmodi tranſlationum auctor ſæpe fuit GREGORIUS M. (*a*) Si manifeſta Eccleſiæ utilitas flagitet, ut inſignibus donis ornatus Epiſcopus e loco obſcuro protrahatur in ſedem ampliorem, quemadmodum conſenſu Baſilii M. Euphronius Colonia tranſlatus eſt Nicopolin in Armenia (*b*). Sed hæc fieri debent, invito, certe non deſiderante Epiſcopo, & quidem jure veteri *a concilio provinciali*; jure novo a Papa (1) (*c*). Hoc ultimo obtentu tranſlationes abhinc D. annis tam frequentes factæ ſunt, ut juris communis in obtinendis majoribus epiſcopatibus eſſe videantur, modo pontificis accedat auctoritas (2).

quo eodem auctore epiſcopatus reſignantur.

IV. Similiter jure novo ſolus Papa admittere poteſt renunciationes Epiſcopatuum. Jam iis temporibus, quibus electiones viguerunt, creditum, majori potentia ad removendum, quam ad inſtituendum Epiſcopum opus eſſe, quemadmodum difficilius matrimonium diſſuitur, quam conſuitur (*d*). Unde *renuntiationes*, *ceſſiones*, *tranſlationes*, & *remotiones* Epiſcoporum relatæ ſunt inter cauſſas *majores* Papæ reſervatas, de quibus olim *concilium provinciale* cognoverat (3).

certis de cauſſis.

V. Quod ad renuntiationem attinet, epiſcopo numquam licuit privato auſu reſutare Eccleſiam, cui a ſpiritu ſancto præfectus eſt, neque metu, neque ex animi abjectione. neque obtentu majoris perfectionis ſectandæ (*e*). Seceſſerunt quidem nonnulli ſancti viri in deſerta (4); in quo imitandi non ſunt. Sunt tamen cauſſæ, ex quibus reſignatio *permiſſu ſuperioris* fieri poteſt, veluti defectus ſcientiæ; debilitas corporis vel ex infirmitate vel ex ſenectute; conſcientia criminis, quo poſt actam pœnitentiam officii executio impeditur; ſcandalum datum; plebis malitia; quæ recenſentur (*f*). Dubitatum eſt, num Papa poſſit renuntiare,

Papa renuntiare poteſt.

(1) Sub hoc prætextu, tum quod tranſlatio epiſcoporum ſit cauſa *ardua* & *major*, ſoli pontifici reſervata juxta philoſophiam pſeudo-Iſidori, tum etiam, quod *matrimonium ſpirituale* inter epiſcopum & Eccleſiam contractum, quod ſolus pontifex diſſolvere queat, *c*. 3. & 4. X. *de offic. legat.* Recentioris ævi hæc ſunt principia, ut ſæpe obſervavi, quæ novam tamen introduxere diſciplinam.

(2) Sed in Germania rariores poſt reformationem factæ ſunt tranſlationes, poſtquam conſultius viſum fuit, uni plures epiſcopatus committere, cujus rationes peculiares Auctor infra tangit. Frequentior uſus earum eſt in clericis inferioribus, qui transferuntur auctoritate epiſcoporum.

(3) Id eleganti tractatu docet AUCTOR de *majoribus Eccleſiæ cauſis*, oſtenditque quanta metamorphoſis poſtea in hac doctrina irrepſerit, quam cauſam etiam egit du PIN *de diſcipl. Eccl.* cum PETRO de MARCA *de C. S. & imp. lib.* 7.

(4) Ut NARCISSUS Hieroſolymitanus epiſcopus ſeculo II., *qui relicta Eccleſia in ſolitudine ac deviis agris plurimos annos delituit*, teſte EUSEBIO *lib. VI. hiſt. c.* 9. Neque enim eo tempore *concilii provincialis auctoritas* erat neceſſaria, ut quis epiſcopatu abiret, quippe quæ demum ſeculo III. ſeſe exſerere cœpit, ſeculo II. in primis adhuc incunabulis poſita.

(a) *C. 7. q. 1. c.* 35. (b) *Baſil. ep.* 193.
(c) *C. 7. qu. 1. c. 37. C. 7. qu. 4. c. 34. ex falſ. decret. t. t. X. de tranſlat:*
(d) *C. 2. X. de tranſlat.*
(e) THOMASS. *diſcipl. part. 1. l. 2. c. 26. C. 7. qu. 2. c.* 48.
(f) *c. 10. X. de renunciat.*

re, qui ſuperiorem non habere dicitur, de cauſſa cognoſcentem. Dubium ſolvit CÆLESTINUS V. & renuntiavit, renuntiationemque ſucceſſor BONIFACIUS VIII. (1) ratam habuit (*a*). De remotione Epiſcoporum & clericorum agetur *P. III. c.* 19.

Vacantem eccleſiam regit. VI. Morte Epiſcopi aut alia de cauſa ſede vacante, quantocius Eccleſiæ de alio Epiſcopo proſpiciendum. Veteres omnes viduitatem Eccleſiæ maximum malum reputarunt, ac trimeſtri ſpatio novum ei maritum dandum eſſe voluerunt (*b*). Concilium Lateranenſe tres menſes electioni & tres menſes confirmationi indulſit. In Francia per concordatum regi ſex menſes dantur ad nominandum. Eligentium ac metropolitanorum negligentia feneſtram aperuit *proviſionibus Romanis*. Interim vix eſt, ut Eccleſia non aliquandiu vacet: quo tempore quomodo ea regatur, bonaque adminiſtrentur, dicendum.

olim clerus; VII. Veteri inſtituto clerus univerſus vacantem rexit Eccleſiam (2). Leguntur apud CYPRIANUM *ep.* 3. 27. 31. literæ cleri Romani, quibus ſignificat, quod poſt obitum Fabiani Papæ Eccleſiam regendam ſuſceperit. In provinciis *metropolitanus* vacantis Eccleſiæ clerum ardentiore cura amplectebatur, mittebatque vicinum Epiſcopum *viſitatorem*, qui defuncto funus & bonorum Eccleſiæ deſignationem appararet. Officia autem clericorum, ſi qua vacarent, non diſtribuebantur, quum ante omnia Epiſcopus eligendus videretur (*c*). *hodie capitulum,* Poſtquam capitula (3) electiones ſibi arrogarunt, his regimen vacantis Eccleſiæ ceſſit. Quum autem univerſitas proxime gubernare nequeat, nec, quibus auxilio opus, ſciant, ad quem ſe convertant, ac inter ipſos canonicos, ſi cuncti adminiſtrarent, alter deſtrueret, quod alter ædificaſſet; primo octiduo ad juriſdictionem voluntariam *vicarius generalis*, & ad contentioſam exercendam, *Officialis* a capitulo conſtituendus eſt (*d*). Qui enim ab Epiſcopo erant conſtituti, eorum mandatum exſpiravit cum morte Epiſcopi (4), cujus poteſtas omnis recidit ad capitulum, in rebus potiſſimum moram non ferentibus.

cujus poteſtas deſcribitur. VIII. Quod ad collationem beneficiorum attinet, inſtituere capitulum eos, qui a

(1) Quis, ut ad *papatum* veniret, pia fraude promovit hanc renunciationem, ut annales loquuntur. Ceterum renuncians, facta reſignatione, non deſinit eſſe clericus, nec ordinem deponit, ſed *caracterem indelebilem* retinet. Facilius reſignare & ad ſeculum reverti poſſunt, qui nondum *ſubdiaconatus* ordinem conſecuti ſunt, quæ libertas tanti eſſe cenſetur, ut Cardinales plures ordinum aſſumtionem differant, ad plures annos. Qua de cauſa, prout ſupra ex pontificali AUCTOR docuit, qui *ſubdiaconatus* ordinem ambiunt, ſedulo admonentur, ut, re adhuc integra, ſtatuant, utrum ſe clericatui in perpetuum dare, an recedere malint.

(2) Sicuti *cleri univerſi* conſilio quoque epiſcopus vivens regebat Eccleſiam, *c.* 5. *D.* 95. adeoque æquum erat, ut, qui vivente epiſcopo, ut *primo presbytero*, ſenatum Eccleſiaſticum conſtituebant, eo defuncto quoque partes hujus regiminis non deſererent. Enimvero hoc regimen admodum circumſcriptum nec tam late diffuſum erat, ut quidem hodie, ſicuti olim nemo ex clero ab hoc ſenatu excludebatur, uti poſt ſeculum XII. factum eſt.

(3) Ex more monaſtico ita dicta, quod ſicuti monachi quotidie convenirent, & *capitulum de regula* legerent, ut fatentur monachi Fuldenſes apud BROWERUM *lib. III. antiq. Fuld. c.* 12. ita quoque canonici, more monaſtico in vitam communem a CHRODOGANGO coadunati, quotidie ad ſimile inſtitutum coirent.

(4) Quod *delegatam* exerceant *juriſdictionem*. Et tamen alio ſenſu *ordinariam* exercere dicuntur, quod videlicet per modum *regulæ perpetuæ* cauſas decidant, in oppoſitione commiſſariorum, qui per modum *exceptionis* ſeu *extra ordinem* juriſdictione utuntur. Simile quid in *ſenatu imperii aulico* deprehenditur, cujus poteſtas quieſcit, mortuo Cæſare, & juriſdictio ad vicarios redit.

(a) *c.* 1. *de renunciat. in* 6.
(b) *Diſt.* 50. *c.* 2. *diſt.* 100. *c.* 1. *c.* 41. *X. de electione.*
(c) *Concil. in Trullo c.* 35. *concil. Reg. an.* 439. *c.* 6. 7.
(d) *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 16.

Digitized by Google

qui a patronis nominati, & electos confirmare poteſt; proprio motu autem conferre non poteſt (1) niſi ea beneficia, quorum collatio capitulo eſt cum Epiſcopo communis, cujus jus vacante ſede ei accreſcit (*a*). Literas dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos dare nequit, niſi duobus caſibus (*b*). I. Si, qui dimiſſorias petit, ob beneficium ipſi collatum ſtatim ordinandus eſt, veluti ſi *ad curam animarum* vocatus, quem intra annum fieri oportet presbyterum. II. Si ultra annum ſedes vacat, dimiſſoriæ dari queunt iis quoque, quibus feſtinandum non eſt. Quo ultimo caſu *vicarii* quoque & *viſitatores* vacantibus beneficiis præfici, cenſuræ Eccleſiaſticæ ſuſcipi & diſpenſationes, ab Epiſcopo alias petendæ, concedi poſſunt (*c*). Quod ad adminiſtrationem attinet, omnibus canonibus cautum, ne quid ex bonis cum Epiſcopi, tum Eccleſiæ auferatur aut diſſipetur; ſed cuncta aſſerventur ſucceſſori. (*d*) Hodie mobilia fiunt Epiſcopi hæredum propria: ſed ad redituum menſalium adminiſtrationem capituli eſt conſtituere œconomos, qui ſucceſſori Epiſcopo rationem reddant, æque ac vicarii generales cæterique omnes, qui vacantem Eccleſiam adminiſtrant (*e*). In Francia rex capitula hoc onere liberat, ipſeque non ſolum œconomos conſtituit, ſed *jure regaliæ* (2) fructus quoque vacantis Epiſcopatus metit: qua de re *part. II. c.* 19. In univerſum ſede vacante nihil innovandum; nihil alienandum; nulla beneficia erigenda, ſupprimenda, unienda; nihil denique, quod futuro Epiſcopo inviſum, faciendum (*f*). Tantum de Epiſcopis. *quæ in Francia eſt reſtrictior.*

CAPUT XVII.

De Canonicis.

I. PRincipio præter ordines nulli alii fuere miniſtri Eccleſiæ: presbyter nil niſi presbyter; diaconus nil niſi diaconus fuit, & ſic in reliquis. Tantummodo ad unitatem tuendam ſuus cuique ordini præſes fuit, veluti presbyterorum, primus ratione ordinationis, quem *archipresbyterum* vocamus; *Archidiaconus*, qui diaconis ac univerſo clero inferiori ab Epiſcopo præfectus eſt. Ubi clerici minores magno numero fuere, datus fuit, qui eos regeret, *Primiclericus* ſeu *primicerius*; iſque plerumque ſubdiaconus (*g*). Vocatur ille ſæpe *primicerius notariorum*, quoniam minores clerici plerumque Epiſcopis fuere ab epiſtolis (*h*). *Canonici olim ignoti,*

II. Magna pars cleri ſemper Epiſcopo fuit a latere cum inter preces, tum in omnibus functionibus publicis. Presbyteros Epiſcopus in omni negotio conſuluit, & diaconis ceteriſque inferioribus uſus eſt tamquam miniſtris. Ceteri per *titulos* (Eccleſias) urbicos & rurales diſperſi nonnunquam convocabantur: quæ congregatio *qua ratione orti;*

(1) Niſi forſan ad longius tempus *ſedes impedita* ſit, & Eccleſiæ neceſſitas proviſionem expoſtulet.

(2) De fundamentis hujus juris agit NATALIS ALEXANDER *tom. VII. hiſt. Eccl. ad ſec. XIII. diſſ.* 8. *art.* 1. §. 1. Primarium ſine dubio collocandum eſt in jure conferendi beneficia Eccleſiaſtica, quod per *inveſtituram* ad inſtar *feudorum* a regibus exercebatur, & ſic quoque feudi Eccleſiaſtici vacantis reditus interim domino directo obveniebant, donec noviter electus inveſtituram accepiſſet. Patroni quoque Eccleſiarum minorum ſub titulo *guardiæ* ſive *cuſtodiæ* eodem jure utebantur, *c.* 23. X. *de jure patron.* & quamvis pontifex hunc morem abolendum eſſe cenſeat in *c.* 12. X. *de pœn. c.* 13. *de elect. in* 6. in Gallia tamen patronos jus antiquum illibatum conſervaſſe, teſtis eſt FRANC. de ROYE *de jure patron. in prol. c.* 34.

(a) *c.* 2. *X. de ſede vacante c. un. eod. in* 7.
(b) *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *c.* 10. (c) *c. un. X. de major. & obed. in* 6.
(d) *C.* 12. *q.* 2. *c.* 45. *C.* 22. *q.* 2. *c.* 43.
(e) *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 16. (f) *c.* 1. *X. de ſede vacante.*
(g) THOMASS. *diſc. part.* 2. *l.* 1. *c.* 48. (h) *Concil. Emerit. c.* 10.

gatio *Synodus* audit (1). Ex primis iſtis, qui ſemper ſunt a latere Epiſcopi, nati ſunt *canonici* cathedralium Eccleſiarum (*a*). Equidem principio clerici canonici (2) vocati ſunt omnes, qui ſecundum canones duce epiſcopo vixere, & qui in *matriculam* (3) Eccleſiæ relati ſunt, ut ejus ſumtu viverent, ſive in matre, ſive in alia ſervirent eccleſia (*b*). Sed poſthac canonicorum nomen proprium factum clericis in commune cum epiſcopo viventibus.

convictores epiſcopi. III. Nam ex quo tempore pax eccleſiæ reddita eſt, plures ſancti epiſcopi, veluti EUSEBIUS Vercellenſis, aliique in communione vixere cum clero ſuo. Omnium eminentiſſimum eſt exemplum AUGUSTINI, qui clericos ſuos ad ſtatum *perfectæ paupertatis* reduxit (4), ſublata omni proprietate, ipſemet veluti minimus inter eos verſatus (*c*). Nonnulli huic communioni adjecere vitæ monaſticæ auſteritates; quantum per functiones clericales fieri potuit: unde iſtæ clericorum communitates nonnunquam *monaſteria* vocabantur. Sic Gregorius M. qui ante pontificatum monachus erat, monachus manſit in papatu, familiamque inſtar monaſterii habuit, ex qua epiſcopos ad ceteras eccleſias & Apoſtolos miſit in Angliam (*d*).

conſtituunt capitulum & ſenatum epiſcopi, IV. Et ita quidem communitas id fuit quod hodie *capitulum*. Seminarium vel corpus præcipuum cleri totius diœceſis appellaremus. Ibi clerici juniores educabantur, & ex iis prodibant paſtores, presbyteri Noſocomiorum & oratoriorum. Illuc ſenes corpore invalidi ſe recipiebant. Qui ibi commorabantur, ſerviebant in Eccleſia cathedrali, Epiſcopo miniſtrabant, erantque ei inſtar *ſenatus ordinarii*.

habent ſuos Præpoſitos & decanos V. His communitatibus, quum in Eccleſiis majoribus mire creſcerent, & archidiaconus, aliis negotiis diſtentus, eas regere non commode poſſet; præfecti ſunt *præpoſiti* ac *decani*, veluti monaſteriis, ſæpe plures *decani*, ſæpius plures *præpoſiti*, & nonnumquam abbas, qui totum corpus regeret ſub Epiſcopo tamquam capite. In minoribus civitatibus inſtitutæ ſunt ſimiles congregationes (5) quæ ſæpe monaſteria, hodie *collegiatæ* eccleſiæ appellantur. Olim enim promiſcuo uſu congregationes, conventus & collegia venerunt. Capituli vocabulum eſt omnium recentiſſimum.

ſunt regulares, VI. Anno DCCLX. Mediomatricum Epiſcop. CHRODOGANGUS clero ſuo præ-

(1) *Epiſcopalis* ſcilicet, quam epiſcopus cogere tenebatur ſingulis annis viſitando Eccleſias. BALUZ. *ad Regin. p.* 578. Civitatenſes presbyteri ſæpe in *ſenatum Eccleſiaſticum* vocabantur atque olim capitulum conſtituebant; non item *rurales*. INNOCENT. I. *in epiſt. I. c.* 5.

(2) Hi opponebantur illis, qui in villulis oratoriis privatis procerum præerant, quippe qui non erant in numero cleri ordinarii, ut docet *concilium Arvernum anno* 535. celebratum *c.* 18.

(3) Inde *matricularii* dicti obſervante ANTONIO MATTHÆO *de nobil. lib. II. c.* 33. *p.* 537. a qua matricula excludebantur hi, qui privatis oratoriis præerant, utpote domeſtici magis clerici, quam publico fungentes officio.

(4) Enimvero his ita coadunatis clericis nomen *canonicorum* ſpeciali in ſenſu haud aſſignatum fuit, ſed nomen hoc omnibus clericis adhuc commune erat. Neque conſtat *regulam* peculiarem AUGUSTINUM ſuis præſcripſiſſe, niſi quam vita monaſtica ſuadebat. *Canonicorum* ſpecialiter dictorum initia demum a CHRODOGANGO petenda ſunt, qui quidem ſuum clerum ad *votum paupertatis* exemplo Auguſtini non adſtrinxit, novas tamen regulas ex *canonibus patrum* hauſtas eis tradidit, ſecundum quas viverent. Et ab hoc tempore demum tales clerici *canonici* nominati ſunt.

(5) Ante CHRODOGANGI tempora vix tales congregationes in minoribus civitatibus deprehendere licet, utpote quæ demum ex ejus inſtituto ſunt enatæ.

(*a*) THOMASS. *diſc. part.* 1. *l.* 1. *c.* 42. *part.* 2. *l.* 1. *c.* 21.
(*b*) *Conc. Clarom. c.* 15. *conc. Aurel.* III. *c.* 11.
(*c*) AMBROSIUS *ep.* 82. *Poſſidon. de vit. Auguſt. c.* 5. 11. AUGUSTINUS *ſerm.* 49. 50. *de diverſ. al.* 355. 356. (*d*) *Jo. Diac. l.* 2. *c.* 11. 12.

Digitized by Google

præſcripſit regulam (1) a pluribus Eccleſiis poſthac acceptam (*a*). Concilio Aquiſgranenſi an. DCCCXVI. auſpiciis Ludovici pii habito, ampliſſima canonicis regula prodita eſt, totius diſciplinæ Eccleſiaſticæ compendium (*b*). Ubique *dormitoria*, *refectoria*, occluſa loca canonicis ſunt ædificata. Sic per totum regnum Francorum convictus in Eccleſiis cathedralibus effloruerunt, in quibus capitulum, a reliquo clero diſtinctum, peculiares ſuperiores habuit. Poſtquam vetus conſuetudo migrata & a convictu illo receſſum eſt, (2) canonici tamen ſemper peculiare corpus manſere, conſervantes communionem bonorum ex parte, & domicilia prope Eccleſiam. Nihil aliud mandatum ſibi exiſtimantes, præter recitationem officii; jura tamen totius cleri ſibi vindicabant; ut ſoli conſtituerent ſenatum Eccleſiaſticum; ſoli ſede vacante regerent Eccleſiam; ſoli eligerent Epiſcopum.

& ob hanc cauſam multis privilegiis ornantur:

VII. Ex eodem fonte *exemtiones* eorum manarunt. Habent enim, ad exemplum regularium, a Papis & Epiſcopis multa privilegia, quæ ſingulis electionibus ut confirmentur & augeantur ſatagunt. Alias capitula non ſolum in ipſum corpus, ſed etiam per magnam diœceſeos partem *juriſdictionem* habent; ipſa viciſſim, a juriſdictione Epiſcopi exemta, ultra *decanum* nonniſi *metropolitanum* aut *Papam* ſuperiorem agnoſcunt (3). Hinc Epiſcopis nihil amplius auctoritatis eſt in magnam cleri partem, quæ jus peculiaris collegii habet; & Epiſcopis ſæpe lis movetur de jure ſacrum faciendi in Eccleſia cathedrali.

Officiales Eccleſiæ non confundendi cum officialibus capituli.

VIII. Præpoſiti in pleriſque capitulis ſunt abrogati, quoniam, quum bona adminiſtrarent, potentia inflati, canonicos durius habuere (4). Facilius *decani* tolerantur, non niſi ſacra curantes: nec tamen plures uno admittuntur, qui veluti dux eſt capituli. Et quoniam præcipui officiales cujuſque Eccleſiæ æque ac canonici addicti ſunt templo cathedrali; eorum nomina ſæpe dantur officialibus capitulorum particularibus. Sic quemadmodum *archidiaconum*; ita etiam dicimus *decanum Eccleſiæ* Pariſienſis, qui *capituli* dicendus eſt. Ceterum archidiaconus, archipreſbyter, cancellarius & reliqui officiales totius Eccleſiæ pro dignitatibus capituli ſunt habiti.

capitula collegiata.

IX. Ad horum exemplum capitula *collegiata*, poſtquam a vita monaſtica receſſerunt, peculiare tamen corpus porro conſtituerunt. Cujus generis inde a ſæculo VII. plura præſertim in regum & principum ſacellis inſtituta fuere ad juges preces coram ſanctorum reliquiis fundendas. Immiſſi ſunt etiam canonici in plura monaſteria; quæ in ſtatum ſæcularem converſa ſunt, quoniam regula non amplius

(1) Eam ſiſtit COINTIUS *tom. V. annal. Franc. ad ann. 757. p. 567. ſeqq.* ſecundum quam qui vivebant, *canonice* vivere dicebantur. Cleri paulo diſſolutior vita Chrodogangum inducebat, ut eum more monaſtico in *vitam communem* cogeret, & pleraque ad inſtituta monaſtica commoneret, quod crederet, per vitam moreſque monaſticos ad ſanctiorem vivendi uſum clericos duci poſſe.

(2) Quod ſeculo XI. factum eſſe annales referunt, utut quidam in veteri inſtituto permanſerint, quos ut arctius conſtringerent, voto *paupertatis* in priſtino retinuere ſtatu, quos deinceps *canonicos regulares* dixere. Obſervabant enim plerique, ex nimia bonorum affluentia canonicos inductos fuiſſe, ut *vitam communem* derelinquerent, & acquirendis reditibus ex bonis eccleſiaſticis inhiarent.

(3) Acceſſit præterea *negligentia epiſcoporum*, qui fere omnem *canonicorum* curam decanis reliquerunt, unde pedetentim privative quandam in eos juriſdictionem nacti ſunt.

(4) Ampliſſime officium *præpoſitis* depingitur in diplom. BONIFACII VIII. relato ab UGHELLO *tom. I. Ital. ſacra p. 317. ſeq. edit. nov.* In Germaniæ capitulis adhuc ſuperſunt, utut magis præpoſitura *beneficium* cum dignitate conjunctum, quam *officium* ſit, bonis eccleſiarum cathedralium jam inter canonicos diviſis. Conf. HIERON. a COSTA *in hiſtor. de orig. & progreſſ. redit. eccl. pag. 223.*

(a) *Hiſt. Eccleſ. l. 43. n. 37. tom. 7. concil. p. 1445.*
(b) *Hiſt. Eccl. l. 66. n. 23. tom. 7. concil. p. 1307.*

amplius obſervabatur (1). Officia canonicorum reſtricta ſunt ad cultum divinum ſtatis horis celebrandum (*a*). Sed ſi non ſunt ad minimum ſubdiaconi, neque ad collationem beneficiorum, neque ad conſultationes capitulares concurrunt activo vel paſſivo ſuffragio. Nam hoc modo ii, qui per beneficia ad Eccleſiaſtica munera provolant, excitandi videbantur ad utilem Eccleſiæ operam navandam.

CAPUT XVIII.

De Curatis, Chorepiſcopis, Archipresbyteris.

Origines parochiarum, quibus præfecti presbyteri,

I. INde a primis ſæculis presbyteri diſpoſiti fuere per certos *titulos*, hoc eſt, *oratoria* (2), quæ alternatim Epiſcopus viſitavit, congregandorum fidelium cauſſa. Ipſorum curæ commiſſa fuit certa urbis regio, ut plebis mores obſervarent, & ad Epiſcopum de omnibus referrent (*b*). Qui periclitabantur, iis baptiſmum aut abſolutionem dare poterant. Hac diſtributione presbyterorum opus fuit in *majoribus civitatibus*; veluti Romæ & Alexandriæ, in quibus inde a ſæculo IV. plures Eccleſiæ fuere, & in unaquaque peculiaris presbyter, qui populum doceret (*c*). Paullo poſt ruri ſunt *oratoria* ædificata in uſu ruſticorum (3), a civitatibus diſſitorum, quibus præfecti ſunt presbyteri. Atque hæ ſunt origines *curarum* ſeu *parochiarum*. In civitatibus minoribus Eccleſia cathedralis una ſufficiebat: unde adhuc parochiæ ſunt in pluribus cathedralibus.

qui ob ſtabilitatem ſedis cardinales vocantur,

II. Iſti presbyteri principio a ſolo *titulo* hoc eſt *parochia* denominabantur. Poſt vocari cœpere *cardinales*, ut diſtinguerentur ab iis, qui Eccleſiis ſuis non ita affixi erant, quoſve Epiſcopus vel certis diebus vel ad tempus eo mittebat. *Cardinalium* nomen ſignificabat, eſſe eos ita titulis ſuis affixos, ut janua cardinibus ſuis inſiſtit. Idem nomen nonnumquam Epiſcopis titulo talibus datum fuit, ut diſtinguerentur ab Epiſcopis *viſitatoribus* aut *commendatariis*, (4) qui Eccleſiam regunt ad tempus. Et quoniam etiam diaconi ad *titulos* vel ad *oratoria*, quæ pres-

(1) De cauſis declinatæ diſciplinæ monaſticæ agit MABILLONIUS *in præf. ad ſec. IV. act. Bened. P. 1. nu.* 137. Hi canonici monaſteriis incluſi ſub *abbate* vel *præpoſito* vixere, unde adhuc hodie ſuperſunt *ordinis Auguſtini familiæ*, quæ nihil aliud ſunt, quam corpus *canonicorum regularium*, ab AUGUSTINO denominatum, quod eorum coadunatio per votum *paupertatis* magis conſpiret cum ejus, quam CHRODOGANGI, inſtitutis.

(2) Sed nequidem id admittunt, qui fabulas narrant. PLATINA *in vita Evariſti* fingit, hunc *titulos in urbe Roma presbyteris diviſiſſe*. Ergo ad minimum ante Trajani tempora non fuerunt Romæ tituli. PSEUDO-ISIDORUS in ſcenam producit ANACLETUM, eumque hujus diviſionis auctorem facit *c.3. D.* 80: Sicuti vero hæc ultima relatio manifeſto laborat mendacio, ita prima ab omni probabilitate aliena eſt, cum tempora Evariſti talem *parochiarum* diviſionem haud admiſerint. Quarto demum ſæculo, quo plura templa in civitatibus, maxime *majoribus*, ædificata ſunt, hæc diviſio refertur, eoque facilius fieri potuit, quo magis pax eccleſiis reddita eam admittebat. Ab hoc tempore in quibuſdam civitatibus duplicis generis eſſe cœperunt Eccleſiæ: *majores*, in quibus erant Epiſcoporum Cathedræ; *minores* ſeu tituli presbyterorum.

(3) Magnates & ditiores in ſuis agris ſolebant talia *oratoria* ædificare, & eorum gratia alere *presbyterum domeſticum*, quem morem admodum laudat, & commendat CHRYSOSTOMUS *homil.* 18. *in acta*. unde poſtmodum natales ſuos accepit *jus patronatus*.

(4) Quales erant vel *vacantes*, vel *vicini*, quibus *jure fiduciario* vacantis Eccleſiæ cura commiſſa erat.

(a) *Concil. Trident. ſeſſ. 22. ref. c.4. Clem. ut ii qui. de ætat. & qual. præf.*
(b) THOMASS. *diſcipl. part. 1. l. 1. c. 21. 22. 23. part. 2. l. 1. c. 12.*
(c) EPIPHANIUS *hæreſ. 69. de Ario.*

presbytero vix digna viderentur, conſtituti ſunt; eos *cardinales diaconos* vocarunt. Hæ appellationes temporibus GREGORII M. uſitatæ & per omnem Eccleſiam latinam frequentatæ fuere (1) (*a*). Poſtea titulus *cardinalium* presbyterorum in *civitatibus* ſolum audiebatur, donec poſtremo proprius fieret *Eccleſiæ Romanæ*, veterum traditionum tenaciſſimæ, e qua prorogatus eſt ad papæ ſuffraganeos, qui cum Romanis presbyteris & diaconis unum corpus in pontificum electione conſtituunt. *quod nomen hodie Romanæ Eccleſiæ proprium,*

III. Illi *cardinales presbyteri*, quos hodie *curatos* appellamus, creſcente fidelium cœtu, inſtar *Epiſcoporum* habuere (2) Licuit enim iis in ſuis *titulis* ſacrum facere, prædicare, baptizare etiam ſolemni tempore: non tamen in univerſum. Fontes enim baptiſmales non niſi in Eccleſiis potioribus erant, quos *plebes*, quemadmodum presbyterum, qui iis præerat, *plebanum* vocarunt, vocabulis hodienum nonnullibi ſuperſtitibus, *pieve*, *picvano*. Ex unaquaque Eccleſia *baptiſmali* pendebant plura *oratoria* aut *minores* parochiæ. Curatorum porro fuit, infantes ante & poſt confirmationem inſtituere, corrigere mores, peccatores convertere, confeſſionibus vacare, pœnitentias ſecretas injungere, ægrotos viſitare, extremam unctionem, viaticum, ſepulturam iis concedere. Iſta curatorum officia deſcripta ſunt ſæculo VIII. in capitulari THEODULPHI, Aurelianenſis Epiſcopi (*b*). *Curatorum poteſtas, Eccleſiæ baptiſmales.*

IV. Poſſunt etiam matrimonia conſecrare; ſola confirmatione & clericorum ordinatione Epiſcopo ſervata: ſuo judicio *pſalmiſtam* vel *cantorem*, non vero *acolythum* aut *ſubdiaconum*, facere; ſubdiacono minores clericos removere, & laicos a ſacris arcere. Ineunte ſæculo XI. juriſdictionem contentioſam ſibi arrogarunt, exercueruntque ultra CCC. annos (*c*). Hanc cum pluribus aliis juribus Epiſcopalibus ſoli conſervarunt Romani cardinales (3).

V. Ruri floruere *chorepiſcopi* per orientem inde a ſæculo IV. frequentati. In occidente ſerius comparuere & diſparuerunt citius. Fuerunt autem *vicarii forenſes* (4) hoc eſt presbyteri cum ampliſſima poteſtate miſſi, qui ruri pleraque Epiſcopi *Chorepiſcopi quinam?*

---

(1) Maxime in Cathedralibus Eccleſiis. JOANNES XIII. ſæculo X. in diplomate, quo Archiepiſcopo Magdeburgenſi *primatum* confert, de clero Cathedralis Eccleſiæ ita cavet: *Ceterum more Romanæ Eccleſiæ Eccleſiam tuam 12. presbyteros & 7. diaconos, & 24. ſubdiaconos* CARDINALES, *qui ſandaliis & liſinis utantur, habere volumus*. Hic appellatione clero cathedrali eo tempore nullam ſingularem prærogativam acceſſiſſe credo, cum ſæculo ſequenti demum Eccleſia Romana inde ſingularem prærogativam traxerit.

(2) Hoc ſenſu, ut *ordinaria ſacra*, exceptis Epiſcopo ſpeciatim reſervatis, in Eccleſiis ſibi commiſſis peragere æque potuerint, ac Epiſcopus in Eccleſia *majori*, ſeu *cathedrali*. Imo populus æque illis addictus fuit, ac Epiſcopo, ut non alibi, quam in *parochia* ſua rem divinam facere potuerint.

(3) Quippe qui in ſuis *titulis* ſeu *parochiis*, hodie fere *Epiſcopalem poteſtatem* exercent *c.* 11. X. *de major. & obed. c.* 2. X. *de cler. non reſid.* vid. COHELLIUS *in notit. Cardinal.* Hoc evidenter demonſtrat, olim presbyteros ab Epiſcopis non adeo diſtinctos fuiſſe, ut ſæpe innui.

(4) Sicuti per tria priora ſecula veræ Eccleſiæ ruri & in agris erant, ita veri Epiſcopi quoque cum presbyteris iis præerant, quorum mentionem facit EUSEB. *lib. VII. hiſt. eccl. c.* 30. IDEM *lib. II. c.* 3. refert, *per omnes civitates & vicos Eccleſias infinita hominum multitudine abundantes veluti areas quaſdam frugibus refertas brevi congregatas fuiſſe*. Quis ergo diceret, conſtitutis *per vicos* Eccleſiis, Epiſcopos defuiſſe, ſine quibus per hæc tempora nulla Eccleſia concipi poterat. Sæculo IV. demum eos variis conatibus a *civitatenſibus* ſtudio ambitionis ſuppreſſos fuiſſe, doceat concilia.

(a) *Diſt.* 71. *c.* 5. *ex Gregor.* 5. *ep.* 11. *item* 2. *indict.* 10. *ep.* 6. 25. *indict.* 11. *ep.* 13. *&c.* (b) *Hiſt. eccl. l.* 44. *n.* 23. *tom.* 7. *concil. p.* 1136.
(c) THOMASS. *part.* 4. *l.* 1. *c.* 28.

piſcopi officia exſequebantur (*a*). Epiſcopi ſæculo VIII. remiſſiores facti his omnia permiſerunt, præter dedicationes Eccleſiarum & majorum clericorum ordinationes. Qua de cauſſa conſenſu Leonis III. & Caroli M. fuerunt abrogati (*b*).

In Occidente abrogati.

Archipresbyteri quinam?

VI. Presbyteri per titulos in urbe rurique diſperſi, ſemper idem corpus conſtituere cum clericis in matre Eccleſia hærentibus, ſubjecti *archipresbytero*, qui primus ſemper fuit ab Epiſcopo, cujus vice fungebatur abſentis in functionibus interioribus (*c*). In ſanctuario primum locum occupavit, clero in univerſum præfuit, tamquam ſuperior & morum rector, curamque peculiarem habuit eorum, qui publicam pœnitentiam ſubibant. Inde a ſæculo VI. plures in eadem diœceſi occurrunt *archipresbyteri*, cleri pro *regionum diverſitate* moderatores. Nonnumquam *decani* (1) vocantur & ſæpe fuere *curati* Eccleſiarum baptiſmalium. Hodie *archipresbyteri* fere ſolo titulo utuntur ſine officio, qui certis parochiis affixus eſt.

CAPUT XIX.

De Archidiacono, Vicario Generali, Pœnitentiario & Theologo.

Archidiaconi munus multiplex,

I. ARchidiaconus olim fuit Epiſcopi præcipuus miniſter in functionibus exterioribus (2), præſertim in *temporalibus*. In Eccleſia curavit, ut omnia rite fierent, & decenter: Clericos ordinandos adduxit ad Epiſcopum, quod hodienum facit: ſuum cuique locum; ſuam cuique functionem aſſignavit: populo jejunia & dies feſtos indicavit: ornamenta & fabricam Eccleſiæ curavit: oblationes & reditus Eccleſiæ, quorum peculiares œconomi non eſſent, adminiſtravit: Clericis ratam portionem erogavit: pauperibus, antequam Noſocomia ædificarentur, proſpexit: minorum clericorum & plebis cenſor, morumque corrector, lites vel prævenit, vel compoſuit, vel Epiſcopo indicavit, ac reſtitutionem damnorum poſtulavit, *Epiſcopi manus* & *oculus* haud immerito appellatus (*d*).

& inſignis auctoritas

II. Diffuſa illa & rebus in externis, quæ in hominum ſenſus incurrunt, potiſſimum ſpectata poteſtas archidiaconum extulit ſubito ſuper presbyteros, rebus ſpiritualibus tantum, doctrinæ, orationi & ſacramentorum adminiſtrationi intentos. Nihil tamen archidiacono in hos juris fuit uſque ad ſæculum VI. ſed ad ultimum non presbyterorum ſolum, ſed & archipresbyteri ſuperior factus eſt, primuſque poſt Epiſcopum, cujus *juriſdictionem* (3) ac *viſitationes* nactus eſt, cum

(1) Quod decem *titulis ruralibus* præſint, presbyteroſque eorum regant. *c. 7. de offic. archidiac.* Hi magis *ſpeciales officiales* & *vicarii* Epiſcoporum erant, ſubjecti *archipresbytero* in eccleſia cathedrali reſidenti. conf. *c.* 4. X. *de offic. archipresbyt.*

(2) Sicuti diaconi generatim miniſtri erant *Epiſcoporum* & *Eccleſiæ*, atque ab illorum nutu imprimis dependebant, ita non mirandum eſt, per primarios diaconos Epiſcopos *pro arbitrio* ab initio negotia eccleſiaſtica diſpoſuiſſe, id quod cum in perpetuum abiret morem, epiſcopis in officio ſuo languescentibus, tandem plura, quæ ad *officium epiſcopale* proprie pertinebant, iis propria facta ſunt, ut jure quaſi hereditario in quoſcunque archidiaconos tranſirent, in quarum exercitio tamen ab epiſcopo dependebant.

(3) Inde in pleriſque epiſcopatibus invaluit, ut ante XII. ſæculum archidiaconi in *prima inſtantia* jurgia audirent, de iis cognoſcerent atque ſtatuerent, ſalva ad epiſcopum appellatione, ſalviſque cauſis majoribus epiſcopo reſervatis.

(a) THOMASS. *diſcipl. part.* 4. *l.* 1. *c.* 18.
(b) *Capitul. tom.* 10. *p.* 379. *hiſt. eccl. l.* 45. *n.* 25.
(c) ISIDORUS *Hiſpal. ep. ad Ludifr. Cordub.*
(d) THOMASS. *part.* 2. *l.* 1. *c.* 24. *part.* 2. *l.* 1. *c.* 13. *Iſidor. ep. ad Ludifr. Cordub.*

cum per *delegationem*, tum per ejus *abſentiam*, tum *ſede vacante* (*a*) Delegationes iſtæ tam frequentes fuere, ut tandem juris communis fierent, & archidiaconi inde ab ineunte ſæculo XI. *judices ordinarii* haberentur, habentes juriſdictionem propriam cum facultate *delegandi* (1). Equidem illorum juriſdictio pro diverſa diverſarum Eccleſiarum conſuetudine fuit diverſa, & nonnunquam intra certam diœceſeos partem reducta. Nam ex quo potentia creverunt, plures in eadem diœceſi conſtituti fuerunt, præſertim in Germania aliiſque regnis, in quibus ampliſſimi Epiſcopatus ſunt: ille autem, qui in civitate vixit, *magnus archidiaconus* vocatus eſt. Inde a ſæculo IX. occurrunt *archidiaconi presbyteri*; ſed poſt CC. annos leguntur, qui ne diaconi quidem eſſent: uſque adeo tum ordo ſpernebatur comparatione officii. Noviſſime ſancitum, ut minimum *diaconi*, &, qui animarum curam habent, *presbyteri* fierent (*b*).

minuitur ab epiſcopis, qui vicarios generales, officiales & decanos rurales inſtituunt.

III. Epiſcopi, quum omni ferme juriſdictione (2) ſe privatos viderent, ineunte ſæculo XIII. ad imminuendam poteſtatem archidiaconorum animum adjecerunt, prohibentes, ne de *cauſſis matrimonialibus* aliiſque *majoribus* cognoſcerent, neve delegatis uterentur, inſtituentes *officiales* ad *juriſdictionem contentioſam*, & ad voluntariam exercendam *vicarios generales* adhibentes, quorum mandata quum pro lubitu revocari poſſent, haud paullo minus metuendi videbantur ac archidiaconi (3). Nonnullibi forenſes vicarii ſunt inſtituti, qui Eccleſiarum ruralium curam haberent, quive *decani rurales* ſunt vocati. Cuncta hæc officia presbyteris mandantur, qui aliunde ſæpe habent beneficia.

item pœnitentiarios

IV. Concilium Lateranenſe an. 1215. c. 10. duo nova officia, *pœnitentiarii* ſcilicet & *theologi* inſtituit, ſtatuendo, ut in ſingulis *cathedralibus* & *collegiatis* Eccleſiis idonei homines eligerentur, qui Epiſcopum in prædicationibus, confeſſionibus & pœnitentiis injungendis ſublevarent. Hic eſt ille presbyter *pœnitentiarius* ſeu *confeſſionarius generalis*, in quem rejecit Epiſcopus confeſſiones, quas ipſe audire ſolitus erat, ſcilicet presbyterorum, & laicorum in *caſibus reſervatis*: in *ordinariis* enim ſuo quilibet curato confitebatur.

Grammaticum ſeu ſcholaſtrum & theologum.

V. Idem concilium c. 11. ſanxit, ut in ſingulis cathedralibus aliiſque Eccleſiis non prorſus pauperibus aleretur *grammaticus*, qui clericos gratis (4) grammaticam, & in metropolibus *theologus*, qui ſcripturam & artem regendi animas doceret: quod officium concilium Baſileenſe ad omnes cathedrales extendit, cujus decre-

(1) H. e. proprium *officialem* conſtituendi, qui eorum vice præeſſet juriſdictioni, id quod archidiaconorum poteſtatem, conniventia epiſcoporum adeptam, admodum arguit, oſtenditque, eos ut ordinarios judices egiſſe, de quo plenius agit JANUARIUS *de officio & jure archidiaconi*.

(2) Qua archidiaconi ita utebantur, ut quandoque in ipſos inſurgerent Epiſcopos, & eos omni fere poteſtate intercluderent. Adeo enim quidam libero excommunicandi jure utebantur, ut Epiſcopo abſolventi repugnarent, vel ab ejus abſolutione mox ad Papam appellarent, & ita non amplius *epiſcoporum vicarii* ſed *epiſcopi* potius viderentur; veri autem Epiſcopi umbram poteſtatis tantum exercerent. Hæc exorbitans & ultra modum creſcens ambitio tandem ita Epiſcopis ſtomachum movit, ut de ea frangenda omnes eſſent ſolliciti.

(3) Conſilio non reſpondiſſet eventus, niſi conciliorum ſæculo XIII. habitorum acceſſiſſet auctoritas, & archidiaconorum repreſſiſſet audaciam.

(4) Hunc in finem peculiaris præbenda conſtituenda erat ex concilii *Lateran. III. anno* 1179. celebrati decreto *c.* 11. *per unamquamque eccleſiam Cathedralem magiſtro, qui clericos ejuſdem eccleſiæ & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium aſſignetur*. Provocat ad hanc diſpoſitionem INNOCENTIUS in *c.* 4. X. *de magiſtr.* voluitque, ut etiam in aliis eccleſiis conſtituatur magiſter idoneus, quæ ſanctio tandem in pleriſque eccleſiis cathedralibus effecit, ut *præbenda ſcholaſtici* erigeretur, quæ adhuc hodie in capitulis Germaniæ ſupereſt, officio ceſſante & ad Academias tranſlato. conf. MABILLON. *tr. des études monaſtiques*.

(*a*) ISIDOR. *ep. ad Ludifr.* (b) *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *Refor. c.* 12.

decretum habetur in *Pragmatica* §. 8. & in *concordatis tit. de elect.* §. 10. confirmatum *concil. Trid. ſeſſ.* 5. *refor. c.* 1. & ſtatutis *Aurel.* §. 8. 9. & *Bleſenſi* §. 33. 34. quibus utrumque munus ad *collegiatas* & ad monaſteria protenditur, videlicet ut alant *præceptorem*, qui gratis doceat liberos civitatis, & *theologum*, qui dominicis & feſtis diebus ad populum verba faciat, & ſingulis hebdomadibus ter publice ſacram ſcripturam interpretetur: ſancita pœna in utrumque, ſi officium negligit, & in canonicos, ſi lectionibus non interſint. Sed res exitum non habuit, reducto *theologi* officio ad certum ſermonum numerum, quos per alios ad populum recitat. *Grammaticus* ille nonnullis *ſcholaſter* audit. Deſideria auctorum harum inſtitutionum explentur hodie per *accademias* & *collegia*, maxime autem per *ſeminaria* (1).

CAPUT XX.

De Academiis, Collegiis, & Seminariis.

Quid univerſitas? I. UNiverſitates noſtro ſenſu ſunt magiſtrorum & diſcipulorum ſocietates ad provehendum bonarum literarum ſtudium (2), inde a ſæculo XIII. ineunte initæ, in quibus *Bononienſis* & *Pariſienſis* ſunt omnium antiquiſſimæ. Fuerunt quidem ſemper in omnibus Eccleſiis cathedralibus & in præcipuis monaſteriis ſcholæ: quæ quum per turbas ſæculi X. maximam partem vaſtatæ eſſent, maximus ſtudiorum cauſſa concurſus factus eſt in eas civitates, in quibus cum optimi magiſtri, tum plurimæ eæque diverſiſſimæ ſcientiæ floruerunt.

quæ earum olim facies? II. Et quidem ad pandendum aditum ad altiora, cœptum eſt ab artibus, ſcilicet grammatica, dialectica, humanioribus & philoſophia. Inde adſcenſum ad ſuperiores facultates, phyſicam ſcilicet ſeu artem medicam; ad ius civile; ad canones ſeu decretum Gratiani, & ad decretales; ad theologiam, hoc eſt *magiſtrum ſententiarum*, & ad *ſummam S. Thomæ* (3). Conjunctiones harum quatuor facultatum vocatæ ſunt *univerſitates*, quas Papæ & reges magnis privilegiis ornarunt. (*a*) Et Papæ quidem eas exemerunt a juriſdictione Epiſcoporum, dederuntque eis magiſtratum (4) in ſingula totius corporis membra, cujuſcunque dioe-

quæ privilegia?

(1) De his ſeminariis ex profeſſo prolixius agit THOMASSIN. *de vet. & nov. eccl. diſcipl. P. II. lib.* 1. *c.* 102.

(2) Optime obſervat THOMASSINUS *de vet. & nova eccl. diſcipl. P. II. lib.* 1. *cap.* 101. §. 3. facultates univerſitatum omnes quoſdam fuiſſe gradus ab beneficia eccleſiaſtica, quæ potiſſimum appetebantur ab eruditis ſeu qui literis incumbebant: inde eveniebat, ut ſtudium Theologiæ in iis dominaretur primasque partes ferret, & quamvis *jus civile* quoque in iis traderetur, id tamen ex pontificum & Epiſcoporum intentione, qui fundamenta earum jecerunt, tantum admiſſum eſt, ut ex eo *jus canonicum* illuſtraretur, adeoque hoc ſemper principatum præ jure civili habuit. Inde continentia quoque clericalis in iis obſervata fuit: Scholares omnes *clerici* vocati, & immunitates *clericales* iis tributi; quæ omnia oſtendunt, univerſitates unice primario inſtitutas fuiſſe propter *hierarchiam* & ad *ſtatum Eccleſiaſticum* confirmandum. Sed præter ſpem clericorum res aliter cecidit, tandemque eventus docuit, univerſitates fuiſſe optimam viam, qua tandem barbaries monachorum exſtincta, tenebrarum regnum dirutum, & humaniores literæ reſtitutæ ſunt.

(3) Non ergo *vera theologia* in Academiis tradita, ſed *ſcholaſticorum ſomnia* propagata, quibus *regnum clericale* unice innitebatur.

(4) Sicuti ergo *eccleſiæ* in quandam rempublicam tandem transformatæ ſunt, ita quoque eadem forma Academiis danda erat, ut novam quandam rempublicam conſtituerent. *Scholæ* per ſe ſunt *ſocietates æquales docentium & diſcentium*, adeoque ſua natura rempublicam aut peculiarem civitatem nunquam conſtituerunt, ut CONRING. *in antiq. Academic.* optime obſervavit. Ratio ſtatus clericalis ergo demum hoc novum ſchema iis indidit.

(a) Vid. *Tractat. de elect. ſtud. n.* 8. *ſeq.*

diœceſeos vel nationis fuerint, & poteſtatem docendi per univerſum orbem Chriſtianum iis conceſſerunt, qui in univerſitatibus probati doctoreſque facti eſſent. Reges autem univerſitatibus, quæ tamquam *collegia clericorum* a juriſdictione laicorum per ſe exemta erant, peculiare præſidium, poteſtatem delegatam & exemtiorem ab oneribus publicis indulſerunt. Inde habent conſervatores horum privilegiorum regiorum & apoſtolicorum. Sed in Francia nihil fere relictum conſervatoribus apoſtolicis, & academiæ juriſdictionem Epiſcopi agnoſcunt.

Collegia inſtituta ob religioſos in academiis.

III. Præter corpus academicum *collegia* ſunt certæ ſpecies communitatum, ex recentiori inſtituto. Primo enim fuere *hoſpitia religioſorum*, (1) qui literarum cauſſa venerant in academias, ut a ſæcularibus ſeparati eſſent in convictu. Poſt ſimilia ſunt inſtituta in gratiam *pauperum*, qui ipſi ſemet extra patriam ſuſtentare non poterant, & pleraque certarum diœceſium alumnis dicata ſunt. Cujuſque collegii alumni communi convictu utebantur & communi præſide, ſtudiorum & morum moderatore; ſed diſcendi cauſſa publica auditoria frequentabant. Pedetentim in ipſis collegiis doceri cœptum. Et plures civitates, quæ non habent univerſitates, etſi earum numerus mire excreverit, habent talia collegia (2).

Corruptio academiarum anſam dedit

IV. Ex quo hæc inſtituta invaluerunt, Epiſcopi omne onus inſtitutionis theologicæ & canonum in doctores academicos, & inferiorum ſtudiorum in præceptores *collegiorum* devolverunt, ut adeo nihil eſſet, quod *theologus* & *grammaticus* Eccleſiarum agerent. Sed utut *univerſitates* & *collegia* literarum ſtudium facilius reddiderint, ſcientiaſque provexerint, diſciplina tamen & mores deteriores ſunt redditi. Tantus enim juvenum confluxus ab extraneis magiſtris non ſic in officio, ut clerici unius civitatis a primicerio vel archidiacono, præſente Epiſcopo, contineri potuere. Qui literis operam dederant, noluere amplius accipere ordines minores, qui ceſſerunt partim pueris chori muſici, & cantoribus illiteratis; partim pedellis & ſervis mere laicis. Interim clerici, in academiis viventes, erant ſine functione, degebantque in cœtu laicorum ſcholaſticorum, quorum numerus in immenſum excrevit. Denique neceſſarium viſum, ut, qui Eccleſiæ conſecrandi eſſent, a laicis ſegregarentur.

Seminariis inſtituendis.

V. Unde nata ſunt, quæ vocamus, *ſeminaria*. Quemadmodum enim arbuſcula in ſeminario educuntur, unde poſtea tranſplantantur, quocumque opus videtur; ita clerici juvenes in *ſeparatis collegiis* inſtituendi vibebantur, ut ad recipiendos ordines & ad functiones Eccleſiaſticas idonei redderentur. Quem in finem concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 18. ſanxit, (3) ut eligantur pueri duodecim

---

(1) H. e. vel *monachorum* vel *canonicorum regularium*, in quorum cœnobiis numeroſa juventus inſtituebatur eundem in finem, in quem Academiæ erant erectæ. Simili auſu etiam *Jeſuitarum collegia* invaluerunt, ipſiſque in Academiis ſedem collocarunt, ringentibus nonnunquam Academiarum profeſſoribus, quibus admodum moleſti erant, ut vel Academiæ Pariſienſis facta docent.

(2) Imo ex his *collegiis* tandem nata ſunt certa *beneficia*, quæ his, qui collegiis his docendo operam dabant, collata ſunt ſub titulo *collegiaturarum*. Denique inde generatim appellatio *collegiorum publicorum* & *privatorum* nata, quod diſcentes, certi ſtudii cauſa, ſtato tempore, congregarentur in *collegiis* hiſce, quæ inſignem applauſum habuerunt. Imo & præceptores ſcholarum publicarum extra academias *collegæ* hujus vel illius claſſis dicti ſunt, quod *collegio* eſſent adſcripti.

(3) Vel potius reducere intendit hæc *ſeminaria* penitus fere exſtincta, ut vix memoria eorum ſupereſſet, partim quod ad Academiss omnis ſtudiorum cauſſa eſſet translata, partim quod *collegia* a regularibus fere unice dependerent, epiſcopis ad alia omnia intentis. Hi enim deſidia ſua effecerunt, ut plura, curæ epiſcopalis propria, tandem, ut *res nullius*, aliis occupantibus ceſſerint. Ceterum talia *ſeminaria*, in quibus candidati, eccleſiis præficiendi, inſtituendi & ad ſanctiorem vitam efformandi ſunt, eo magis neceſſaria ſunt, quod ut plurimum ſtudioſi theologiæ in Academiis mores deperditos aſſumant, bachanalia vivant, & vix ea, quæ ad officium paſtoris fidelis neceſſaria ſunt, addiſcant. Relicta vita academica mox ambiunt

decim annorum & ſupra, in quibus appareant vocationis divinæ ad ſtatum Eccleſiaſticum indicia; in quibus pauperiores præferendi; quibus tonſura, habitus clericalis, & convictus prope domum Epiſcopi vel ſaltem in civitate Epiſcopi præbendus, ut diſcant grammaticam, muſicam, ſacram ſcripturam, homilias patrum: quibus in adminiſtratione ſacramentorum & in cærimoniis ſacris opus eſt. Ad hæc proſequenda ætatis & profectuum ratio habenda: præſertim videndum, ut ad pietatem formentur, morum caſtitatem ſervent, ſacramentaque ſedulo frequentent.

in ſingulis diœceſibus. VI. Unaquæque Eccleſia cathedralis unum ad minimum ſeminarium, Epiſcopo ſubjectum, qui ejus impenſam curam gerat, habere debet. Numerus diſcipulorum certus ſemperque perfectus ſit. Ad ejus ſuſtentationem permiſſum eſt Epiſcopo vel partem redituum ex beneficiis omnibus in diœceſi decerpere, vel certum beneficium *ſeminario* addicere. Ad hunc modum ex præſcripto *concilii Tridentini* ordinanda ſunt ſeminaria, quem acta S. Caroli ſcitiſſime exprimunt (1).

Seminariorum in Francia quæ facies? VII. In Francia idem placuit *ſtatuto Bleſenſi art.* 24. *& Melodunenſi an.* 1629. *art.* 6. hinc pluribus in diœceſibus habentur ſeminaria. Sed quum difficile videretur judicare de puerorum ingeniis, qui ſæpe magno ſumtu per plures annos in ſeminariis educati, non reſpondent exſpectationi: viſum fuit, juvenes, qui jam in collegiis inferiorum ſtudiorum curſum emenſi eſſent, in ſeminaria recipere, in quibus theologiæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ operam navarent, eaque ætate diſcerent, qua ordinari & officiis adhiberi poſſent (2). Hoc modo pleraque ſeminaria in Francia ſunt veluti *domus probationum*, in quibus *clerici juniores* tentantur, & ad ordines officiaque Eccleſiaſtica præparantur. In his, prout vel ipſis neceſſarium, vel ſtatuto diœceſeos conſentaneum, nonnullos menſes vel annos commorantur. Ad ea ſuſtentanda vel beneficia unita, vel nova inſtituta ſunt: quæ ubi deficiunt, clerus partem redituum conferre tenetur. Sunt in iis pauperes, qui gratis aluntur: ceteri ſuo ſumtu vivunt. Atque hoc modo receſſimus quidem paulliſper a *decreto Tridentino*, quod tamen generatim ſervatur, dum clerici ad unguem in iis formantur: quod inſtitutum quam fuerit neceſſarium, eventus docuit.

Inſtitutum PP. oratorii, VIII. Ad ſeminaria referri poſſunt *communitates eorum presbyterorum*, qui idem agunt, ut clericos digne educent, quales ſunt in Francia *patres oratorii & patres miſſionum*. Nam PETRUS BERULLUS, poſtea cardinalis, an. 1613. Lutetiæ Pariſiorum, ad exemplum Philippi Neri, Florentini, qui an. 1571. Romæ idem fecerat, inſtituit congregationem presbyterorum, quam *oratorium Jeſu Chriſti* vocavit, ut in ea precibus & literis formarentur presbyteri, ad ſacerdotium Jeſu Chriſti promti. Anno 1625. VINCENTIUS de PAULO, presbyter diœceſeos Aquenſis, itidem Pariſiis inſtituit *congregationem presbyterorum miſſionis*, qui rudes ruri homines erudiendos ſibi ſumſerunt. Sed & hi tamen ſeminaria colunt, in

& PP. Miſſionis, qui non ſunt monachi, nec religioſi, ſed clerici ſæculares.

---

officium ſacrum, jejuni admodum, crudi, & iis moribus præditi, quibus magis corrumpunt quam ædificant eccleſiam. Inde tam inſignis paſtorum malorum numerus, qui nil niſi turbas in republica dant. Conſultum omnino eſſet, ut monaſteria, monachis ejectis, ad hæc *ſeminaria* applicarentur, & reditus eorum in hos uſus magis pios, proficuos & eccleſiæ ſalutares converterentur.

(1) Ut ſpeciatim oſtendit THOMASSIN. *de vet. & nov. eccl. diſcipl. P. II. lib.* 1. *c.* 102. *§.* 7.

(2) Similia fere inſtituta reperiuntur in quibuſdam Germaniæ provinciis. Etenim in ducatu Brunſvicenſi quædam monaſteria informandis ſtudioſis, poſt vitam Academicam, deſtinata ſunt, unde ſatis præparati deſumuntur, qui eccleſiis præficiuntur cum fructu. In Academia Tubingenſi itidem talia *ſeminaria* deprehenduntur, nec in hac noſtra Fridericiana ignorantur, in quibus forſan majori cum fructu, quam alibi, efformantur ſcholarum & eccleſiarum præfecti, per univerſam Germaniam diſperſi, admodum ringentibus illis, quibus ſanctior vita diſplicet.

in quibus clericos inſtituunt atque ad ordines præparant. Atque hi presbyteri oratorii, miſſionis ac ſimilium congregationum non ſunt monachi vel religioſi, quippe a votis ſolemnibus liberi, ac ſuorum bonorum domini. Et licet ſuperiores ſuos habeant; Epiſcopo tamen parent, & in diœceſeos clericis ſæcularibus computantur, ad animarum curam ſuſcipiendam ac ad omnis generis beneficia capienda habiles.

IX. Hæc de diverſis clericorum ordinibus, officiiſque Eccleſiaſticis potioribus dicenda videbantur. Quibus modis ordines amittantur, de eo videbimus *Part. III. c. 18. de pœnis canonicis*. Quomodo officia, *Part. II. c. 19. ſeq. de acquirendis & amittendis beneficiis*. Sequitur alia perſonarum diviſio.

CAPUT XXI.

De Origine & progreſſu Vitæ monaſticæ.

Diviſio Chriſtianorum altera,

I. CHriſtiani omnes ſunt vel *regulares*, vel *ſæculares*. Regulares ſeu religioſi ſunt, qui ex voto tenentur vivere ad certam regulam (1): Sæculares ſunt ceteri fideles omnes, qui in ſæculo hoc eſt in commercio humano manſere, ſive ſint *clerici*, ſive *laici*; quæ ſubdiviſio ad religioſos quoque pertinet.

Primi monachi in Ægypto,

II. Fuere ſemper inter Chriſtianos, qui ad exemplum Joannis Baptiſtæ, prophetarum & Rechabitarum, deſerta coluere, (2) orationi, jejunio aliarumque virtutum exercitio unice intenti. *Aſcetas*, ab hoc exercitio; *Monachos*, a ſolitaria vita, vocarunt. Cujus generis homines principio ſtatim prope Alexandriam in Ægypto intra privatos parietes occluſi vixere, meditantes ſcripturam & victum manuum labore quærentes. Alii prærupto montes, & ab hominum veſtigiis deſerta loca petiere, præſertim quando perſecutionum æſtus afflaverat Eccleſiam Sic Paulus, perſecutionem Decii fugiens, adoleſcens confugit in deſertum Thebaidos, ibique manſit uſque ad annum ætatis 113. (*a*). *Paulus,*

Antonius,

III. Antonius, itidem Ægyptius, primus ingentem numerum ſolitariorum in deſerto collegit, eoſque in commune vivere juſſit: unde Cœnobitarum (3) nomen. Paullo poſt Pachomius in eadem provincia celebria monaſteria Tabenenſia condidit, rexitque ſecundum regulam ab angelo quopiam dictatam. Hujus diſcipuli triceni vel quadrageni ſingulis domibus includebantur, quarum triginta vel

Pachomius quorum innumeri ſectatores.

(1) Certa regula unice non facit *regulares*; nam etiam *clerici ſeculares* ad regulas vivendi adſtringuntur, canonibus præſcriptas, ſed potius *votum paupertatis* hic omne fert punctum, quippe cui omnem perfectionem & ſanctimoniam vitæ ineſſe credunt. Unde *clerici ſeculares* ſibi adhuc acquirunt, & de bonis ſuis diſponunt, non item *regulares*, quod proprietati rerum ſeſe abdicaverint.

(2) Chriſtianos plures in primitiva eccleſia ſingularem *ἀσκησιν* excoluiſſe, certum eſt; enim vero pauciores hunc in finem in ſylvas ſeſe abdiderunt, quin potius, inter homines viventes, ſine voto, vitam philoſophicam amplexi ſunt, teſtibus TERTULLIANO *lib. II. de cult. femin. c.* 9. & ORIGENE *adverſ. Celſum lib. V. p.* 264. Vita *ſolitaria* aſceticæ denium ex quorundam temperamento, ad ſolitudinem proclivi, acceſſit, ut exemplum Narciſſi docet, teſte EUSEBIO *lib. VI. hiſt. eccl. c.* 9.

(3) Vel potius *monachorum* nomen. Antonio ſine dubio natales hujus *vitæ ſolitariæ* debentur, quippe qui primus fuit, qui diſcipulos adſciſceret, & morem vivendi in deſertis inculcaret, traderet, atque ad Eſſæorum inſtituta quodammodo componeret. PAULUS Thebæus diſcipulos nullos habuit, & ſoli fere Antonio innotuit. *Cœnobitarum* origo demum debetur PACHOMIO, qui diſcipulos ſuos a vita ſolitaria ad *communem* traduxit, ut in una domo, in deſertis tamen, communem vitam agerent, uniuſque imperio parerent. Mores eorum ſuccincte tradit AUCTOR. *tom. XX. hiſt. eccl. in diſc. prælim. §.* 1.

(*a*) *Caſſian. inſtit. l. 2. c. 5. Collat. 18. c. 5.*

vel quadraginta conſtituerunt monaſterium: quorum unumquodque mille ducentos vel ſexcentos habuit monachos, qui ſingulis diebus dominicis in communi oratorio convenerunt (*a*). Singula monaſteria abbatem, ſingulæ domus ſuperio-
aliquando in una provincia 50000. rem vel præpoſitum, ſingulæ decenæ decanum habuere. Omnia monaſteria unum eumdemque agnovere ſuperiorem ſeu præſidem, in cujus regione, paſcha celebraturi, confluxere nonnumquam monachorum capita L. mille: idque ex ſolis monaſteriis Tabennenſibus (*b*). Præter quæ in cæteris Ægypti partibus alia fuere, veluti Scetenſia, Oxyriagica, Nitroſinenſia, Mareotenſia. Atque hi monachi Ægyptii habebantur omnium perfectiſſimi, & veluti exempla ceterorum omnium.

Aſia, IV. Antonii diſcipulus, Hilarion, per Palæſtinam, ad exemplum Ægyptiorum, plura conſtituit monaſteria; quod inſtitutum per Syriam quoque receptum eſt. Baſilius in Ægypto inſtitutus fundavit in Ponto & in Cappadocia nonnulla monaſteria, quibus regulam præſcripſit, compoſitam melioribus philoſophiæ Chriſtianæ principiis. Ex eo tempore vita monaſtica propagata eſt per omnem Orientem, per Æthiopiam, Perſiam, ad Indos uſque. Nec occidens in imitando hoc inſtituto ſegnior fuit (1). Celebrabatur in Lerina, Provinciæ inſula,
Europa, magnum monaſterium; ceteræque ad oram Dalmatiæ & litoris Italici inſulæ monachis ſcatuerunt; quamvis hi, Orientalium diſciplina neglecta, laborem fugerent, & jejuniis eſſent remiſſiores.

Eremitæ oriuntur, V. Exorti ſunt etiam Eremitæ ſeu Anachoretæ (2) h. e. monachi perfectiores, qui, quum diu vixiſſent inter ceteros, ſtudio domandi affectus & omnis generis virtutes exercendi, ab hominum conſortione fugientes, remotiora deſerta ſecuti, ut Deo propiores fierent, in ſeparatis cellulis habitarunt. Atque hoc pacto ſanctiſſimus quiſque ad perfectionem enitebatur (*c*).

Feminæ monachæ, VI. Utrumque vitæ genus feminæ ſectabantur, quarum multæ principio in communione, vel in deſerto (3) vixere, gubernatæ ab epiſcopis & monachis: ne quid dicam de virginibus & viduis Deo conſecratis, quæ ſemper fuerunt in eccleſia, vixeruntque in ſeparatis domibus, & poſtea in communione; ſic tamen, ut neque civitates, nec hominum fugerent commercium.

Monachi laici & rudes; VII. Monachi fere omnes fuere Laici (4). Nihil enim in iis requirebatur, quam ſincerum propoſitum agendi pœnitentiam, & proficiendi in perfectione Chri-

(1) Imo ſegnior videtur fuiſſe. In *occidente* hæc *vita cœnobitica* magis reprobata quam approbata fuit, ut non diffitetur HIERONYMUS *in epiſt.* 24. *ad Paulum*. Ad minimum Romæ hic uſus vivendi in crimen vocabatur, nec tam facile receptus fuiſſet, niſi auctoritas Hieronymi & Athanaſii interceſſiſſet, qui diſciplinam monaſticam orientis admodum occidentalibus eccleſiis commendabant.

(2) Non demum hi exorti ſunt hac tempeſtate, ſed anachoretæ *cœnobitis* antiquiores imo ipſum ſeminarium fuerunt, unde cœnobitarum conſortia ſunt enata. His vero, auctore Pacomio, introductis, quidam adhuc prætulerunt *vitam ſolitariam*, & communem vitam deſerentes ſoli in ſylvis & antris vivebant, more primorum *monachorum*, qui demum hoc nomine ex veritate rei inſigniri poterant.

(3) Cum vero virginibus non æque conveniens eſſet vita ſolitaria *in deſertis*, inde factum eſt, ut cœnobia in earum uſum in civitatibus exſtruerentur, atque inde tandem etiam virorum cœnobia ad civitates tracta fuerint.

(4) Inde 1.) offerebant in eccleſiis more ceterorum *laicorum*; *c.* 6. C. 16. *q.* 1 2.) diſtinguebant ut adhuc a clericis ævo Juſtiniani: *l.* 52. C. *de epiſc. & cler.* 3.) pœnitentiæ publicæ, æque ac ceteri laici ſubjiciebantur, a qua immunes erant clerici: vid. MORINUS *de admin. pœnit. lib. VI. c.* 13 4.) laborabant ut laici: denique 5.) ante *concilium Chalcedonenſe* non ita ſubjecti erant epiſcopis, ut clerici, ne dicam ordines eos non recepiſſe, qui olim unice clericum faciebant, non tonſura aut diverſus veſtium uſus.

(a) *Hieronym. præfat. ad regul. Pachom.* (b) *Hiſt. eccl. l.* 20. *n.* 19.
(c) *Caſſian. inſtit. l.* 5. *c.* 36. *Collat.* 18. *c.* 6.

Chriſtiana. Hinc admiſſi ſunt omnis generis, omniſque ætatis homines, ne infantibus quidem exceptis, quos parentes offerebant ad pietatem erudiendos. Admiſſi ſunt, volentibus dominis, ſervi: admiſſi ſunt illiterati æque ac docti: nam multi eorum ne legere quidem poterant. Nec vires ingenii, nec corporis qualitates ſpectabantur; quum pro ſuarum quilibet virium modulo pœnitentiam in ſe ſuſciperet. *Vid. regul. Fructuoſi Bracar.*

VIII. Omnes veri monachi *Cænobitæ* fuere aut *Anachoretæ*; ſed ſtatim innotuere duo ſpuriorum monachorum genera: Alterum eorum, qui quidem certo loco affixi, ſed bini vel trini conjunctim habitarunt, præſide deſtituti, propriamque voluntatem, obtentu vitæ perfectioris, pro regula amplexi: qui *Sarabaitæ* vocantur (*a*). Alterum eorum, qui *gyrovagi* vel *errantes* vocantur, ceteris deteriores, qui per provincias diſcurrebant, omnia monaſteria perreptabant, nullibi reſidentes, quaſi qui nullibi vitam illam perfectam, quam ſe quærere præ ſe ferebant, offenderent, abuſi ad voluptatem comitate verorum monachorum, angulos omnes perreptarunt, omnis generis hominibus, ſpecie converſionis adjuncti, ſub ſchemate monachali libidinum cœno volutabantur. *ſoluti præſide, Sarabaitæ, vagabundi ſeu gyrovagi.*

IX. Poſt ducentos, quibus vita monaſtica floruerat, annos, S. BENEDICTUS qui diu in ſolitudine vixerat, diu monachos rexerat, monaſterio in monte Caſſino, Romam inter & Neapolin poſito, quod ipſe fundaverat, regulam præſcripſit, (1) Orientalium inſtitutis mitiorem, permiſſo modico vini uſu, permiſſis præter panem duobus ferculis remiſſoque jejunio quotidiano; labore tamen manuario, exacto ſilentio & ſolitudine ſervatis (*b*). Tam ſapienter hæc regula concepta videbatur, ut *monachi occidentales* plerique eam amplecterentur, paullo poſt etiam in Franciam migrantem. *Monachis præſcribitur regula Benedicti,*

X. Ut Longobardi per Italiam; Saraceni per Hiſpaniam monaſteria deſtruxerunt: ſic in Francia bella continua, a regibus Merovingicis geſta, mores everterunt, expilatis monaſteriis, quæ vel donationibus, quas virtus monachorum comparavit, vel monachorum induſtria quæſitis divitiis abundare ferebantur. Corolus M. qui rempublicam nobis reſtituit, diſciplinam quoque reduxit, adjutore pulcherrimi facinoris S. Benedicto Aniano, quem Ludovicus Pius conſtituit monaſteriorum omnium præſidem (*c*). Hic eſt ille Benedictus, qui delineavit prima elementa reformationis Aquiſgranenſis (*d*). Multum tamen veteris licentiæ ſuperfuit. Nam labor corporis, obtentu ſtudiorum & orationis, neglectus eſt. Abbates facti ſunt *domini ſæculares*, inſtructi vaſallis, & cum epiſcopis ad parlamenta admiſſi, cum quibus paria facere cœperunt. Bellis civilibus, ut ceteri domini, immiſſi, armatis vaſallis & ſervis ante prima ſigna ibant, nec fere alio modo deprædationes vitare poterant. Fuerunt etiam domini laici, qui obtentu protegendi monaſteria, vel a rege, vel a ſemetipſis impetrarunt monaſteriorum poſſeſſiones, adſcito abbatum titulo (2) Normanni Franciam percurrentes *Aquiſgranenſis,*

(1) Scripta eſt hæc regula circa annum 530. de qua agit AUCTOR *tom.* XX. *hiſtor. eccl. in diſc. prælim.* §. 2. Ante eum tot fere regulæ monaſticæ erant, quot monaſteria, & quilibet Abbas pro ſuo ingenio & temperamento præſcribebat monachis regulas, exiſtimans, per regulas haſce veram vitæ ſanctioris perfectionem impetrari poſſe. Non tamen tria vota, hodie uſitata, ex regulis BENEDICTI derivari poſſunt, ſed magis ex uſuali earum interpretatione pedetentim recepta videntur.

(1) Hinc paſſim in *antiquitatibus* hujuſmodi abbas laicus vocatus fuit *Abba-Comes*. In *capitularibus lib. II. c.* 8. ita de hoc cavetur: *Abbatibus quoque & laicis ſpecialiter jubemus, ut in monaſteriis, quæ ex noſtra largitate habent, epiſcoporum conſilio & documento, ea, quæ ad religionem canonicorum, monachorum, ſanctimonialium perti-*

(a) *Regula S. Benedict. c.* 1. *Reg. Magiſt.*
(b) *Hiſt. eccl. l.* 32. *n.* 4. *Reg. S. Bened. c.* 30. 41. 32.
(c) *Hiſt. eccl. l.* 45. *n.* 37. *l.* 46. *n.* 28.
(d) *Tom.* 7. *Concil. p.* 1509.

mienſis abbas, fundata domo Ciſtercienſi. (a). Ille ſecutus ad verbum ſine additamentis *regulam Benedicti*, laborem corporis, exactum ſilentium, ſolitudinemque reduxit, renunciavitque omnis generis diſpenſationibus & privilegiis. Reſumſit veſtem *candidam*. Unde Ciſtercienſes *candidi*; quemadmodum Cluniacenſes *atri* vocantur monachi, Hujus ordinis monaſteria an. 1119. peculiari pacto, quod *chartam caritatis* vocant, in unum corpus coierunt, ac veluti *Ariſtocratiam* (1) quandam conſtituerunt, ut evitarent incommoda regiminis monarchici Cluniacenſis. Placuit enim, ut abbates alter alterius viſitarent monaſterium, habereturque ſingulis annis conventus abbatum, quorum placita totum ordinem obligarent. Quod inſtitutum tam ſalutare viſum, ut reliqui ordines idem facerent, & exemplum concilio Lateran. magno *cap.* 12. commendaretur (b). Admiratione virtutum, (2) quibus Ciſtercienſes excellebant, ordo ille brevi tempore omnem Europam peragravit. Nam intra annos LVII. jam D. ejus monaſteria numerabantur. Primæ Ciſterciæ filiæ fuerunt monaſterium *La-Fertæum*, *Pontinienſe*, *Claravallenſe*, *Morimontenſe*, ſuis adhuc privilegiis clara. Claravallenſe conditum fuit an. 1115. a S. Bernardo, Ciſtercienſi monacho. Sed hujus viri ſanctitas tam illuſtris fuit, ut a plurimis ipſe habeatur totius ordinis conditor, & *Ciſtercienſes* monachi audiant *Bernardini*.

CAPUT XXII.

De Ceteris Religioſorum Ordinibus.

I. IN *emendatione cleri* quoque deſudavit ſæculum XI. Calamitates enim publicæ, quæ *monachorum diſciplinam* everterant, facilius clericos, ab hominum commercio non ſeparatos, perdiderunt, ut non ſolum convictum defererent (3), ſed & paſſim concubinis uterentur. His vitiis obviam ivit PETRUS DAMIA- *Canonici regulis ſubjecti vocantur regulares.*

(1) Quæ tamen in aliis ordinibus mox rurſus in *monarchiam* quandam, temperatam tamen, declinavit. Inſtitutum ordinis Ciſtercienſis approbavit INNOCENTIUS II. cujus epiſtolam referunt MARTENE & DURANDUS *in theſ. anecd. tom. I.* p. 389. & poſtquam idem reliquis ordinibus INNOCENTIUS III. novi *duces ordinum* creati ſunt. Caput ſingulorum ordinum ab hoc tempore fuit *generalis*, magiſtratum eminentem gerens, ut *Papa ordinis* cenſeretur. Ut plurimum Romæ commoratur & juribus totius ordinis invigilat, atque *capitulo* præſidet *generali*, ex provincialibus collecto. Huic ſubſunt *provinciales* ſingularum provinciarum, in quas ordines ſinguli diviſi, duces & capita ſubalterna, quæ *provincialia capitula* cogunt, convocatis illius provinciæ abbatibus. Ita hodie cohærent ſinguli ordines, ut novam quandam *rem ublicam monaſticam* conſtituere videantur.

(2) Eadem virtutum admiratio iis quoque infinita bona peperit, quibus ſub incunabulis ſuis deſtituebantur, nec ea magnopere captabant, quod animadvertiſſent affluentiam bonorum Benedictionis admodum damnoſam fuiſſe. Ex hoc capite *paupertatis* varia privilegia a pontifice impetrarunt, quæ tamen poſtea revocanda eſſe cenſuit, quod abbatiæ hujus ordinis multis poſſeſſionibus ita eſſent ditatæ, ut multi viri eccleſiaſtici graves querelas contra Ciſtercienſes moverint. *c.* 9. X. *de decim.* Hoc modo ditati in eaſdem corruptelas inciderunt, quæ Cluniacenſes infecerant.

(3) Etenim ſæculo XI. mira metamorphoſis in plurimis capitulis facta eſt. Canonici, ex abundantia bonorum animoſiores facti, criſtas erexerunt, & communem vitam deſerentes ſinguli ſeorſim res ſuas habere cœperunt, v. TRITHEMIUS *in chron. Hirſaug. ad ann.* 977. Hoc admodum ægre habuit eos, qui omnem ſocietatem & perfectionem Apoſtolicam in *vita communi* quærebant. Hinc de *nova reformatione* cogitatum, nihilque conſultius viſum fuit, quam eos, qui nondum vitam communem deſeruerant, *voto paupertatis* adſtringere, quo bonis inhiare & quæſtui operam dare prorſus dediſcerent.

(a) *Vid. Exordium Ciſterc. Hiſt. eccl. l.* 64. *n.* 64. (b) *c.* 7. *X. de ſtatu monach.*

NUS (*a*), eoque impulſore Nicolaus II. an. 1059. concilium CXIII. epiſcoporum Romæ convocavit, quo, ſimonia & concubinatu damnato, ſtatutum eſt, ut clerici *communi dormitorio*, & *refectorio* uterentur, eaque, quæ ab eccleſia accipiunt, in commune conferrent, vitamque agerent apoſtolicam, h. e. omni proprietate deſtitutam (*b*). Idem decretum in concilio plus C. epiſcoporum, ab Alexandro II. 1063. convocatorum, repetitum. Qui igitur clerici, proprietate abdicata, ad nutum horum decretorum vivere conſtituerunt, ii *canonici regulares*; qui autem laxiorem diſciplinam mordicus tenuere, *canonici ſæculares* audierunt.

ſequuntur regulam Auguſtini. II. Quum autem regula Aquisgranenſis in nonnullis falleret, recurſum eſt ad inſtitutionem AUGUSTINI, dictumque, cánonicos regulares ſequi *regulam Auguſtini*, quamquam non ſatis conſtet (1), quodnam e ſcriptis Auguſtini pro regula aſſumtum ſit, num ſermones de *vita monaſtica* 355. 356. an vero *epiſtola ad monaſterium*, cui ſoror ejus præerat. Quidquid hujus eſt, *regula Auguſtini* ex eo tempore generatim clericis religioſis, quemadmodum regula Benedicti monachis, propoſita fuit.

Præmonſtratenſes, III. Canonicorum regularium ſæculo XI. & XII. magna fuit auctoritas, quum in pleraſque eccleſias cathedrales reciperentur (*c*). Ipſe Alexander II. eos recepit in eccleſiam ſuam patriarchalem S. Joannis in Laterano, quæ congregationis cujuſdam caput fuit. In Francia idem contigit, teſte eccleſia S. Rufi prope Valentiam ad Rhodanum, & S. Victoris apud Pariſios an. 1110. Sic ad exemplum novorum ordinum monaſticorum *canonici* ſeparata corpora conſtituere cœperunt, (2) in quibus *ordo Præmonſtratenſium*, a S. Norberto an. 1120. fundatus, omnium eſt illuſtriſſimus (*d*).

Equites regulares Joannitici IV. Expeditiones cruciatæ novum atque hactenus inauditum genus religioſorum pepererunt, *equeſtres* ſcilicet *ordines*: quorum celeberrimus eſt *ordo S. Joannis Hieroſolymitani* (3), qui originem ſuam debet xenodochio. Inde a temporibus Raymundi de Puteo, qui tertius fuit xenodochii illius rector, tria hominum

---

(1) *Regula Auguſtini* dicta meo judicio fuit, non quod ab Auguſtino *formaliter* præſcripta, ſed quod ad ejus mentem & intentionem accommodata fuerit, quia itidem clericos *voto paupertatis* obſtrinxit, non item CHRODOGANGUS, primus canonicorum, qua talium, conditor. Neque enim conſtat, Auguſtinum peculiarem regulam clero ſuo, more monaſtico collecto, præſcripſiſſe, conf. *Hiſtoire du clergè ſeculier & regulier*, *tom. I. Part. 2. p.* 126. *ſeqq.*

(2) Nam pedetentim hic ordo novas ex variis reformationibus produxit familias, quæ ad LXVI. excreverunt, relatæ in *cit. tr. p.* 139. tum habitu, tum novis quibuſdam legibus diſtinctæ, generatim tamen AUGUSTINI ordini nomen dantes. *Præmonſtratenſes* vel ideo inter eos inclaruerunt, quod tum *auſteritate* vitæ & perpetua *abſtinentia*, tum *paupertate* ſeſe ab initio omnibus probarent, & reliquis hujus ordinis familiis, laxiorem vivendi uſum ſequentibus, longe præferendi viderentur. Verum poſt annum 1245. indulgentia paparum & liberalitate procerum admodum declinarunt ab auſteriori diſciplina primæva, & liberalius vivere cœperunt, ut gloria priorum morum admodum decreverit.

(3) Ab initio hic ordo non *equeſtris*, ſed mere *monaſticus* fuit, pauperum, infirmorum & maxime peregrinantium in uſum erectus. In *equeſtrem* transformatus eſt, poſtquam anno 1118. templarii coaluere, quibus *militia ſacra* pro ſcopo fuit, quorum veſtigiis inhæſerunt, & per univerſam Europam immenſum bonorum cumulum acquiſiverunt, quod principes, magnates, nobiles & in genere latifundia poſſidentes, ſeſe huic ordini adjungerent, & profeſſione cum voto *paupertatis* facta, terras, ditiones, civitates, aliaque bona ampliſſima ordini, ut legitimo militum mortuorum heredi, relinquerent. Ita *votum paupertatis* admodum huic ordini profuit, eique tot bona acquiſivit. Idem judicium ferendum de ordine *templariorum* & *teutonico*.

(a) *Opuſc.* 24. *diſt.* 23. *c.* 1. (b) *Hiſt. eccl. l.* 60. *n.* 31. *l.* 41. *n.* 5. 6.
(c) *Molinæi reſt.* 4. (d) *Hiſt. eccl. l.* 67. *n.* 17.

num genera, videlicet *equites*, *fratres ſervientes* & *clerici*, hunc ordinem conſtituerunt, quod patet ex bulla Anaſtaſii IV. an. 1154. (*a*). Amiſſa terra ſancta, Rhodum an. 1310. indeque an. 1530. Melitam Inſulam petierunt.

& Hiſpanici.

V. In Hiſpania, quum ea ex parte a Saracenis etiamnum premeretur, plures *ordines militares* inſtituti fuerunt, quorum alii Auguſtini, alii Benedicti, alii Ciſtercienſium regulam ſecuti ſunt: intra ſolos Hiſpaniarum fines contenti, maximam partem in ſtatum ſæcularem & confraternitates equitum abierunt, qui matrimonia contrahunt, nec ab aliis equitibus diſtinguuntur, niſi quod inſigne ordinis ſuper amictu geſtant, & *commendis* potiuntur. Cujus generis confraternitates ſunt ordines S. Michaelis, S. Spiritus, aurei velleris, periſcelidis, & ſi qui alii principum privata devotione inſtituti (1).

Hoſpitalarii,

VI. Sunt etiam plures ordines *hoſpitalariorum*, qui vel ægrotantium, vel viatorum religionis cauſſa, curam habent. Hi omnes ſequuntur regulam Auguſtini, quippe a clericis originem habentes; nec equites Joannitici ob aliam cauſſam Auguſtini regulam obſervant, quam quod ſunt hoſpitalarii. Alii *redemtioni captivorum* ſpeciatim ſemet addixerunt. (2).

mendicantes, iique vel dominicani ſeu fratres prædicatores,

VII. Sed omnium religioſorum celeberrimus eſt ordo *mendicantium*. S. DOMINICUS, Oſmenſis in provincia Caſtellana canonicus, epiſcopi ſui in itinere comes, an. 1206. in Septimania ſubſtitit, ad converſionemque Albigenſium animum adjecit, una cum aliis nonnullis presbyteris. Quum rem bene gereret, HONORIUS III. an. 1216. clericis, in prioratu S. Romani Toloſani ad regulam S. Auguſtini viventibus, ad quam Dominicus, veluti canonicus jam obſtrictus erat, qui clericos illos regebat, peculiare privilegium impertivit: qui vocati ſunt *fratres prædicatores*.

vel Franciſcani ſeu fratres minores;

VIII. Iiſdem temporibus FRANCISCUS, mercatoris Aſſiſienſis filius, qui, extremam paupertatem profeſſus (3), voce & exemplo omnes ad pœnitentiam ex-

(1) De his eorumque inſtitutis & juribus conſulendus eſt ANDREAS MENDO *de ordinib. militar.*

(2) Alias vocantur *fratres domus S. Trinitatis*; viventes ſub prælato, quem *miniſtrum* appellant. Tertiam partem redituum redemtioni captivorum impendere tenentur. Inſtituta eorum confirmavit INNOCENTIUS III. *lib. I. ep.* 481. edit. BALUZ. in qua illa ſpecialiter referuntur.

(3) Ex male intellectis Chriſti verbis *Matth.* X. 9. *nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris &c.* Franciſcum deceptum fuiſſe, optime obſervat AUCTOR. *tom.*XX. *hiſt. eccl. in diſc. prælim.* §. 8. cortici verborum inhærendo, eaque ab antecedentibus & conſequentibus ſejungendo. Id unice ſcilicet Salvator præcavere voluit, ne miraculis & prædicatione evangelii quæſtum facerent, non autem ut tam *irrationabilem paupertatem* ambirent, & ambitioſe ſub ſpecie humilitatis quærerent. Addit Noſter, ruditatem ſæculi iis maxime profuiſſe, præſertim cum ordinarii paſtores utplurimum eſſent rudes, jejuni & ignavi, quorum defectum ſupplebant. Interim a monachorum moribus alieni erant: in pœnitentia prædicanda occupati peragrabant mundum, docebant vagi, & imprimis URBANO II. utiles erant in commendanda expeditione in terram S. ſicuti cum *Dominicanis* ſeſe quoque venditionibus indulgentiarum mancipaerunt. Quantum barbara horum ſuperſtitio eccleſiæ corruptionem promoverit, notum eſt, nec AUCTOR *cit. l.* diſſimulat, ſed horum mores egregie depingit firmatque ipſius BONAVENTURÆ teſtimonio. Audiamus MATTHÆUM Pariſ. *ad ann.* 1243. *morituris magnatibus & divitibus, quos norunt pecuniis abundare, diligenter inſiſtunt, non ſine ordinariorum injuriis & jacturis, ut emolumentis inhient, confeſſiones extorqueant, & occulta teſtamenta, ſe ſuumque ordinem ſolum commendantes & omnibus aliis præponentes. Unde nullus fidelis, niſi prædicatorum & minorum regatur conſiliis, jam credit ſalvari. In acquirendis privilegiis ſolliciti, in curiis regum & potentum conſiliarii & cubicularii, & theſaurarii, paranymphi, & adulatores & mordaciſſimi reprehenſores, vel confeſſionum detectores vel incauti redargutores.* Admodum ſalſe quoque, ſed tamen vividis coloribus eorum mores delineat ERASMUS, tnm

(a) *Hiſt. eccl. l.* 70. *n.* 12.

Digitized by Google

excitabat, nonnullos ſocios, partim clericos, partim laicos, adſcivit, ipſe literarum pœne rudis, & ſpreto presbyteri gradu, diaconi ordine contentus. Ipſe laborem corporis exercuit, ſuiſque commendavit, ſic tamen, ut, ſi opus eſſet, panem] emendicare non erubeſcerent. Eos *fratres minores*, quaſi ceteris inferiores, appellavit, formavitque ad certam regulam, ab Honorio III. 1223. confirmatam, quam eodem tempore civis ejus, S. Clara, cum virginibus ſuis amplexa eſt, quarum ordo vocatur *ſecundus* S. Franciſci ordo, quemadmodum *tertius* conſiſtebat ex viris & feminis, in hominum cœtu, immo etiam in matrimonio, viventibus, ſed tamen peculiari voto ad pietatem & ad regulam Franciſcanam, quoad ejus fieri poterat, obſtrictis.

vel Carmelitæ, IX. Eodem ſæculo ineunte Albertus, patriarcha Hieroſolymitanus, Eremitis, in *monte carmel* auſteram vitam viventibus, regulam præſcripſerat: quorum nonnulli in Europam profecti confirmationem regulæ impetrarunt an. 1226. Ludovicus IX. Pariſios eos traduxit an. 1254. quos *Carmelitas* appellamus.

vel Eremitæ Auguſtiniani. X. Iiſdem temporibus Alexander IV. plures *eremitarum*, cum nomine, tum inſtitutis differentes, congregationes conjunxit ſub appellatione *eremitarum S. Auguſtini*. Atque hæ ſunt quatuor potiorum *ordinum mendicantium* origines. Nam hi omnes præ ſe tulerunt abdicationem plenam omnis proprietatis, ut ne quidem in commune quid proprii poſſiderent, ſed diurna fidelium ſtipe viverent. Plerique eorum clerici fuere, literis, prædicationi, adminiſtrationi ſacramentorum, converſioni hæreticorum & peccatorum inſudantes. His officiis *Dominicani* præcipue vacabant, quemadmodum extremum paupertatis ſtudium *Franciſcanos* potiſſimos auctores habet. Sed paullo poſt eadem prorſus horum ordinum, qui ſubito immenſum excrevere, facies emerſit. Propoſitum iis fuit, conjungere perfectiones vitæ *monaſticæ* & vitæ *clericalis*; auſteritatem vitæ & veſtitus, orationem, literas & aliorum hominum emolumentum. Sed *functiones clericales* obfuerunt labori corporis, ſolitudini & ſilentio veterum monachorum (2); quemadmodum obedientia ſuperioribus præſtanda, qui eos ſæpe ex domo in domum, ex provincia in provinciam tranſtulerunt, impedivit ſtabilitatem veterum clericorum, qui Eccleſiis ſuis unice affixi, Epiſcopis pleniſſime paruerunt.

Congregatio clericorum Theatinorum. XI. Inde ſæculo XVI. plures novæ clericorum congregationes emerſerunt, quibus emendatio morum & diſciplinæ eccleſiaſticæ, nec non novarum hæreſium impugnatio, fuit propoſita (2). Prima eſt *Theatinorum*, quos Marcellus Cajetanus, Vicentinus, & Petrus Caraffa, Neapolitanus, tum Theatenſis Epiſcopus, poſt Papa Paulus IV. an. 1524. collegerunt.

Jeſuitarum. XII. Decem poſt annis Ignatius Loyola ex voto, quod cum X. primis ſociis in

---

rum in *colloquio*, cui titulus: *funus*, tum in eo quod inſcribitur: *Πτωχοπλούσιοι Franciſcani*. *

* Haud deceptum Franciſcum ex Chriſti verbis ab auctore adnotationum allatis aſſerimus, ſed opportunius, atque expeditius ad ſalutem aſſequendam conſilium elegiſſe, nemo inficias ibit. Matthæi Pariſ. atque Eraſmi teſtimonia nullam auctoritatem addunt, quin potius inſipientiam eadem jactitantis oſtendunt: manifeſtum quippe eſt eorumdem in Romanam Eccleſiam odium, quo etiam omnes eidem Eccleſiæ addictos ſummopere afficiunt.

(1) Paulo lenioribus verbis taxat mendicantium mores, quos *liberiori calamo* depingit *cit. tom.* XX. §. 11. ſimulque eorum diſputationes ſubtiles enarrat, ſophiſmatibus magis, quam ſolidis rationibus nixas. Denique addit rebellionem eorum, motam contra JOANNEM XXII. cujus depoſitionem ope LUDOVICI Bavari promoverunt.

(2) Sed eventus docuit, hanc ſimileſque congregationes, pro reformando clero compoſitas, ad finem obtinendum inidoneas, magiſque aptas fuiſſe ad novos abuſus introducendos, quam veteres eradicandos. Etiam hinc ordo novus, quod primi ejus conditores, omni renunciaſſent proprietati, *mendicantium* numerum auxit, ut præter quatuor priores hic *quintus* cenſeri debeat, non citra illorum dolorem, ut ERASMI *colloquium*, quod *funus* inſcribitur, declarat, in quo ſub appellatione *cruciferorum* denotantur.

in oratorio, Montismartrenſis prope Pariſios emiſerat, novæ ſocietatis inſtitutum prodidit; a Paulo III. 1540. confirmatum. Huic aliorum hominum emolumentum, inſtitutio juventutis, prædicatio, hæreticorum refutatio, pœnitentiæ adminiſtratio, propoſitæ fuere. Nomen *ſocietatis Jeſu* placuit, quod per univerſum orbem habitatum penetravit ſucceſſu in omnium oculos incurrente. Sunt in ea quadruplicis generis homines, *diſcipuli*, *coadjutores ſpirituales*, *profeſſi* & *coadjutores temporales*. *Profeſſi* totius ſocietatis robur ſunt, nec ex prima inſtituti approbatione ultra LX. eſſe debent: ſed ſumma eorum cum neceſſitas, tum utilitas legem migravit. *Coadjutores ſpirituales* ſunt presbyteri adgregati, iiſdem functionibus, quibus profeſſi, vacantes, ſi inſtitutionem Theologiæ exceperis: eodemque vinculo ſocietati devincti. Sed ſocietas illos pro lubitu dimittere poteſt. *Coadjutores temporales* ſunt inſtar *fratrum laicorum* inter monachos (*a*). In Francia ſine diſcrimine, ex quo votum nuncuparunt, religioſi habentur, nec ſi e ſocietate excedunt, hereditates petere poſſunt. Præter tria vota ordinaria profeſſi ſpondent Papæ *devotam obedientiam* in omnibus, quæ ad ſalutem animarum & ad fidem propagandam pertinent. Sed Papa non utitur jure ſuo, quod permittit *Jeſuitarum generali* (1). Et iſti quidem ſunt illuſtriores religioſorum hominum ordines, qui ad quinque genera, *monachorum* videlicet, *canonicorum equitum*, *mendicantium* & *clericorum regularium*, reduci poſſunt.

CAPUT XXIII.

De Votis & de profeſſione Religioſa.

I. HOmo religioſus noſtro ſenſu eſt *Chriſtianus*, ſolemni voto ad conſilia evangelica, moribus & vita, ſecundum regulam quamdam, in Eccleſia approbatam, exprimenda, obſtrictus (2). Votum igitur ſolemne primario conſtituit *religioſum*. Eſt autem VOTUM *promiſſio Deo facta de quovis bono opere, ad quod non tenebamur*, veluti jejunio, eleemoſyna, peregrinatione religionis cauſſa ſuſcipienda. Ad votum faciendum requiritur ætas matura, h. e. plena pubertas, libertas & facultas votum implendi (*b*). Sic uxor vovere non poteſt ſine conſenſu mariti (3). Votum *ſimplex* eſt quod fit privatim ſine ſolemnibus. Hoc quidem conſcientiam æque obligat (*c*); ſed, ſi ſine prædeliberatione emiſſum, ſi difficile impletu, remitti poteſt, alterumque bonum opus alteri ſubſtitui: & generatim quodlibet votum pleno jure redimitur *profeſſione religioſa*. Simplicia vota regulariter remittit Epiſcopus. *Religioſi ad regulam adſtringuntur voto.*

II. Ad emittenda *vota ſolemnia* pro amplectenda vita religioſa a diverſis diverſi *quod emittunt XVI. annis majores,*

(1) Hic illimitatum gerit magiſtratum, & *monarchice* ſocietati imperat, ut fere *abſolutum regem* ſocietatis eum dicere poſſit, in quo a reliquorum ordinum generalibus admodum differt, qui reſtricta admodum & *temperata* gaudent præfectura.

(2) Olim *vita religioſa* abſtinentes a ceteris diſtinguebat; non *vota*: nunc *vota* fere ſufficiunt, quæ ſi ſuſceperis, religioſus es, maxime ſi hypocritice *regulas* præſcriptas ad amuſſim impleveris. Ita omnis virtus, ſanctimonia vitæ, & perfectio chriſtianiſmi in his votis tribus deprehendi creduntur, ut perfectiores exiſtimentur, qui *ex voto* abſtinent, quam qui ſine voto caſtitati per omnem vitam ſtudent, quod *in voto* cultus cujuſdam divini ſpecies vulgo collocata fuerit. Hæc opinio plures novos peperit errores.

(3) Nec maritus ſine conſenſu uxoris. Excepit INNOCENTIUS III. *votum ultramarinum*, quod maritis etiam citra voluntatem uxorum ſuſcipere permiſſum fuit. *c. 9. X. verſ. in tanta. d. vot.* Prævidit, rarius conſenſuras eſſe uxores in hanc periculoſiſſimam expeditionem, eamque ita impeditum iri ut plurimum, ſi ab uxorum voluntate voti huius vigor dependeret.

(a) *Conſtit. ſociet. Jeſ. part. 2. c. 1.*
(b) *c. 2. X. de voto.*
(c) *c. 8. X. de voto.*

verſi intra pubertatem primam & plenam anni requiruntur. Concilium Tridentinum (*a*) annos requirit XVI. & profeſſiones infra eàm ætatem irritas declarat, ac præterea *unum* ad minimum *annum* initiandis dandum cenſet. Concinit ſtatutum Bleſenſe *art.* 28. ac diſpoſitiones de bonis intuitu profeſſionis infra eam ætatem factas irritas habet (1). Profeſſio autem fieri debet *ſolemniter* i. e. initiandus publice viva voce formulam voti recitat, & in ſcriptis manu ſua ſignatam tradit, quæ probationis cauſſa in ſcriniis reponitur (*b*). Abolitæ enim ſunt profeſſiones *tacitæ* vel *præſumptæ*, quibus, qui ultra annum habitu religioſorum in monaſterio commorati fuerant, pro profeſſis ſunt habiti (*c*). Quare poſt noviciatum abſolutum candidatus, ſi non admittitur ad profeſſionem, dimittendus eſt (*d*).

Solemni ritu.

ſine pretio.

III. Crebro atque iterato prohibitum eſt, ne nummis divendatur aditus ad vitam religioſam, quod *ſimoniam* (2) ſapit (*e*). Profeſſio religioſa merum ſpectrum eſt, ſi non ad divina & æterna dirigitur. Semper tamen venientibus permiſſum fuit, bona ſua vel bonorum partem vel ſecum afferre, vel a parentibus accipere. (*f*) Præterea ſi monaſterium alendis pluribus hominibus non ſufficit, nemo bonus propterea repudiari debet, ne qua recipiatur pecunia. Superiorum igitur conſcientiæ totum hoc negotium permittendum, qui gravem Numinis offenſionem incurrunt, ſi *ſpe lucri* indignum hominem recipiunt. Ex inſtituto Caroli Boromei (*g*) Epiſcopus arbitretur, quid dandum ſit, prout neceſſarium id eſſe videt. Profeſſio autem involvit inter religioſum & conventum obligationem reciprocam, (3) ut nec ipſe monaſterium relinquere, nec monaſterium eum ejicere, quocumque obtentu, poſſit, ne ad incitas redigatur, ſuæque familiæ oneroſus fiat.

Ordinem cum ordine permutare non licet, niſi duriorem amplectaris,

IV. Religioſorum eſt perſeverare in vocatione ſua. Veterum præcepto nec monachis, nec canonicis regularibus de monaſterio in monaſterium migrare permiſſum (*h*). A quo inſtituto licet mendicantes aliique recentiores ordines receſſerint, ſemper tamen in congregationibus ſuorum ordinum permanent. In univerſum autem prohibitum eſt, ne quis ex altero ad alterum ordinem tranſfugiat (*i*). Excipiuntur tamen, qui virtutis amore ad ordinem auſteriorem (4) adſpirant, licet ſuperioris veniam, quam tamen expetere decet, non impe-

(1) Id ſine dubio intelligendum de *diſpoſitionibus* inter vivos irrevocabilibus, quas itidem admodum reſtrinxit *concil. Trid. ſeſſ.* XXV. *de regul.* c. 16. ut ante annum probationis finitum votumque nuncupatum ſemper integrum ſit novitio, propoſitum immutare & ad ſæculum reverti.

(2) De hac Simonia vel quaſi ſpecie agit ESPENIUS *diſſ. de vitio Simoniæ circa ingreſſum religionis*, quam opuſculis conjunctim editis *P. II. c.* 1. inſeruit. Supponit ſtatum religioſum eſſe ſpiritualem & ſic materiam Simoniæ: ſuſtentationem ſpiritualibus eſſe annexam, adeoque nequidem pro hac aliquid exigi poſſe. En fundamentum, quod tam infinitas *Simoniæ* ſpecies peperit, relatas a Dn. PERTSCHIO *tr. de Simon.*

(3) Ea de cauſa quoque annus *probationis* non tantum in *favorem novitiorum* introductus, ſed ipſius *monaſterii* cauſa quoque exigitur, ut ille aſperitates ordinis & vim obligandi voto cohærentem recte examinare; hoc vero mores novitii valeat experiri. Hinc nequidem a *volente* monaſterium intra annum profeſſionem recipere cogitur.

(4) Sed de gloria *auſteritatis* adhuc inter ſe certant ordines, imo affectata *auſteritas vitæ*, ad regulas monaſticas efformata, & ad certas leges adſtricta, nunquam perficere poteſt ſtudium veræ *pietatis* & ſolidæ *ſanctitatis*. Imo auſterior vitæ uſus

(a) *ſeſſ.* 25. *refor. c.* 15. (b) *Molin. reſt.* 55.
(c) *c.* 22. *X. de regularib.* (d) *Concil. Trid. ibid. c.* 16.
(e) *c.* 40. *X. de Simon. c.* 64. *q.* 1. *c.* 2. & 3.
(f) THOMASS. *part.* 4. *l.* 3. *c.* 14. & 15. *S. Thom.* 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 4.
(g) *Concil. Mediol. II. de monial. c.* 2.
(h) *c.* 5. *X. Regular.* (i) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 19.

Digitized by Google

petraverint (*a*). Mendicantes tamen, niſi cum pontificis venia, in alium, quam Carthuſianorum (1) ordinem, ſe recipere nequeunt. Interim hæc exceptio licentiæ anſam dedit, & ſeceſſioni ab inſtitutis veterum monachorum Benedictinorum & Cluniacenſium. Nam religioſi ſtrictioris obſervantiæ, nec tamen rigidiſſimæ, ſi propriæ conſcientiæ ſtimulis non retinentur, impediri nequeunt, quo minus poſterioribus, utut manifeſte remiſſioribus adgregentur. Quod ſæpe fit obtinendorum beneficiorum regularium cauſſa, vel ut errantibus clauſtra & obedientiam evitare liceat contra diſertam prohibitionem (*b*).

quomodo libetentur?

V. Nonnumquam contingit, ut religioſus impugnet vota ſua ex vitio vel *nullitatis* vel *extorſionis*. Sed poſt lapſum V. annorum audiendus non eſt. Neque auditur intra quinquennium, ſi habitum mutavit, aut proprio motu monaſterio exceſſit, quo caſu *apoſtata* habendus eſt (*c*). Epiſcopus ergo adeundus eſt, qui poſt cauſſam cognitam contra vota eum reſtituit in integrum. Qua de cauſſa ſæpe impetrantur literæ pontificis, quibus nihil opus eſt (2). Cauſæ reſtitutionis ſunt vis aut metus, qui hominem conſtantem vincere poteſt, iſque argumentis evidentibus probandus (*d*).

Quid de transfugis & apoſtatis?

VI. Qui vota violant & ad ſæculum redeunt, *apoſtatæ* appellantur & *transfugæ*; nec tamen a ſuperioribus, quibus cura animarum commiſſa, derelinquendi, ſed omnibus modis reducendi & poſt actam pœnitentiam reſtituendi. Qua in re auxilio *judicum ſæcularium* opus eſt, qui hos homines intercipere & ſuperioribus tradere tenentur (3). Nec religionis ſolum cauſſa, ſed & publice intereſt, ne tolerentur iſti transfugæ, ad omne facinus promti & parati.

CAPUT XXIV.

De paupertate ceteriſque regularium votis.

Vota ſunt

I. Religioſorum vota ſunt *paupertatis*, *caſtitatis & obedientiæ*. Voto paupertatis rebus externis, caſtitatis voluptati, obedientiæ ſuomet ingenio nuntium mittunt: quibus tribus perfectionis Chriſtianæ ambitus *continetur* (4).

II. *Obe-*

uſus ſæpe *irrationabilis*, & naturæ humanæ ita adverſus eſt, ut *durationem* ejus minuat, tollat, & ante tempus finiat, ut *acta SS.* docent. An vero talem diſciplinam ullibi Salvator præſcripſit? Conf. P. PEZIUS *tom. II. anecdot. P. 2. p. 30. ſeqq.*

(1) Forſan ideo, quod inter hos demum *in officio* contineri queant, id quod ægre in aliis ordinibus impetrari poteſt, quibus ob *vagam vitam*, cui aſſueti ſunt, moleſtiſſimi eſſe ſolent.

(2) Pontifici quidem reſervari ſolet *relaxatio* vel *redemtio* voti *approbatæ religionis*; ſed 1. fundamentum hujus reſervationis adhuc deſiderant ſaniores canoniſtæ: 2. ſi ex capite *nullitatis* vel *metus* votum impugnatur, id unice inquiritur, utrum votum habeat vinculum nec ne? quæ cognitio non deſiderat tribunal pontificis.

(3) Nam in hoc conſiſtit *brachii ſecularis* primarius uſus, ut quoties clerici eo indigent contra rebelles, inobedientes, reſiſtentes, etiam *vim armatam* manumque militarem pro exequendo imperio ſuo in promtu habeant. A multis retro ſeculis cognitum habuerunt, inanem eſſe potentiam, vires ſi deſunt. Neque tantum auxilium *brachii ſecularis* precibus requirunt, ſed *ſuo jure*, imo ſub anathematis pœna ſollicitant, & *imperio ſpirituali* exigunt.

(4) Quod his tribus votis tres furiæ, *voluptati*, *ambitionis* & *avaritiæ*, domari & coerceri poſſe credantur, utpote quæ perfectionis chriſtianæ ſtudio quotidianum indicunt bellum.

(a) *c. 18. X. de regular. Extravag. comm. eod. c. 1.*
(b) *Concil. Trid. ſeſſ. 4. c. 11.*
(c) *Concil. Trid. ſeſſ. 20. ref. c. 19.* (d) *C. 20. q. 1. c. 8.*

1. Obedientiæ,

II. *Obedientia* complectitur reliqua omnia (1). Ex regula Benedicti *c.* 58. monachi non niſi *perſeverantiam in monaſterio* duce ſuperiore ſpondent. Obedientia conſiſtit in perfecta ſectatione præceptorum divinorum, & regulæ, quæ a religioſo pro voluntate Dei eſt habenda, nec non omnium mandatorum ſuperioris, niſi quid imperet, legi divinæ regulæque manifeſte contrarium (*a*). Genuinus religioſus ſponte quoque fratribus obtemperat, nec ſuæ voluntati indulget, nec ſenſu ſuo abundat; ſed ſinceram animi demiſſionem oſtendit (*b*). Quibus modis obedientia illa ſemet exſerat, patebit ex iis, quæ de *interiori* religioſorum *gubernatione* deinceps adferentur.

2. Paupertatis, quæ intelligenda de ſingulis, non de corporibus?

III. *Paupertatis* nervus latet in verbis Chriſti (*c*): *Si vis eſſe perfectus, abi, vende quæ habes, & ſequere me*. Conſiſtit igitur paupertas in *perfecta abdicatione* (2) *rerum omnium externarum*, quoad ejus fieri poteſt. Sed quum ad vitam ſuſtentandam nonnullis rebus opus ſit, hæc neceſſitas difficultate non caret. Ad quam diminuendam omnibus regulis præcipitur, ut cibus, veſtitus, utenſilia denique religioſorum omnia ſint vilia & pauperum ſimillima (*d*). Quod pro diverſitate congregationum *ſtrictius* vel *laxius* obſervatur. Iſti neceſſitati variis modis conſulitur. Veteres monachi manuum ſuarum opere victum quæſiverunt, & reliquum pauperibus erogarunt, nihil ſervantes in craſtinum (*e*). Sed jam pridem plerique religioſorum certos reditus habent, quos, ut alii homines ſua patrimonia adminiſtrant, ita tamen, ut id onus ſoli *ſuperiori*, & *procuratori* aut *œconomo* incumbat. Horum bonorum cauſſa religioſorum conventus in republica jus habent magnarum familiarum (3). Emunt enim & vendunt, locant, conducunt, contrahunt, litigantque in judicio, auctoritate ſuperioris & conſenſu congregationis, prout fert ſua cujuſque regula. Jure communi, quod in nonnullis provinciis obſervatur, hæreditates capiunt. Qui enim vitam illam amplectuntur, bona ſua ſecum ferunt, niſi de iis diſpoſuerint, & ſi qua ad ipſos poſt profeſſionem defertur hereditas, eam adit (4) monaſterium (*f*). In Francia religioſi profeſſi nec ipſi hereditates capiunt, nec ipſorum nomine monaſteria (*g*). Cenſentur enim, ex dicto CASSIANI, (*h*) eſſe mortui ante eos, quibus deberent ſuccedere (5).

IV. Fra-

(1.) Ex hac ratione, quod veræ *humilitatis* argumentum certiſſimum ſit, infimulque renunciationem omnis uſus *rationis rectæ* contineat. Malunt enim plures *irrationabiles* fieri, quam *cultum rationabilem* in ſacris commendatum ſequi. Obſervavi in *actis SS.* ex hoc principio plures, qui gloria ſanctioris vitæ inclaroſſcere ſtuduerunt, & imprimis feminas, adeo ſe voluntati ſui confeſſoris ſubdidiſſe, ut ad nutum ejus omnia, etiam abſurdiſſima, facerent, crederentque ſe hoc modo *propriæ* nuncium miſiſſe voluntati.

(2.) Non *externa*, utpote quæ affectata, ſimulata, imo conjuncta eſſe poteſt cum extrema avaritia; ſed potius *interna*, qua mens, Deo dedita unice, ab amore bonorum abducitur, quæque conſervari poteſt, ſi *externa* & monaſtica deeſt. Hanc, non illam inculcat Salvator.

(3) Seu *univerſitatum*, quæ unum corpus ſeu perſonam moralem conſtituunt, & vice *unius perſonæ* funguntur, adeoque omnia *negotia civilia* peragere queunt.

(4) Proinde integrum non eſt abbatiſſæ, delatam ſibi hereditatem repudiare forſan in favorem conſanguineorum, quia hæc non tam ipſi, quam monaſterio defertur, ut ante aliquot annos reſpondit Facultas noſtra juridica.

(5) Non *jure communi*. Qua de cauſa ſi quis ante ingreſſum in monaſterium teſtamentum fecerit, id demum poſt mortem monachi teſtatoris aperiendum, nec ante

(a) *Regul. c.* 5. *c.* 68. (b) *c.* 71. *c.* 7.

(c) *Matth. XIX.* 19.

(d) *Vid. reg. Benedict. c.* 22. 32. 39. 40. *Reg. Baſil.*

(e) *Caſſian. inſtit.* 9. *c.* 7. *Auguſtin. de moribus Eccleſ.* 1. *c.* 76.

(f) *Reg. Bened. c.* 58. *Nov.* 5. *c.* 4. *Nov.* 123. *c.* 38.

(g) *Conſuetud. Pariſ. art.* 337.

(h) *Caſſian. collat.* 23. *c.* 9.

IV. Fratres mendicantes ex ſua regula & prima inſtitutione etiam in commune *pauperes* eſſe debent, certis reditibus deſtituti, ſolis eleemoſynis contenti (*a*). Sed compertum eſt, tantæ hominum multitudini quotidianam ſtipem non ſufficere, qui propterea ad modos acquirendi vel indecoros, vel cum ſolitudine & tranquillitate vitæ religioſæ parum conſiſtentes, confugere ſæpe coacti ſunt. Immobilium igitur poſſeſſionem ipſis permiſit concilium Tridentinum, ſervata tamen mendicitate (*b*). Soli *Capucini* & *Franciſcani ſtrictioris obſervantiæ* hoc privilegio uti noluerunt. Eodem concilio cautum, ne monaſteria pluribus religioſis onerentur, quam quos vel ex reditibus, vel ſtatis eleemoſynis, alere ſe poſſe crederent.

etiam in nuitu mendicantium — *exceptis, Capucinis & Franciſcanis ſtrictioris obſervantiæ.*

V. Paupertas itaque proprie ſingulis religioſis commendata eſt, & magis in abdicatione proprietatis, ſeu rerum, de quibus diſponere poſſent, quam in defectu neceſſariorum vitæ ſubſidiorum ac commodorum conſiſtit. Profeſſionis actu religioſus bona omnia, omnemque ſpem acquirendi bona, abdicat. Ante profeſſionem de bonis ſuis per donationem, vel alio modo diſponere poteſt: quo neglecto, bona fiunt heredum legitimorum. Profeſſus enim pro *civiliter* mortuo habetur (*c*). Durante noviciatu rerum ſuarum dominus eſt. Sed quum in eo facile ſeduci poſſit, ſimulatque habitum ſumſit, nulli monaſterio bona ſua addicere poteſt (*d*). Licet autem religioſus profeſſus per ſe ſuccedere nequeat; ſi monaſterium tenue ſit, dari ei poteſt penſio alimentaria, ut reliquis civiliter mortuis: quam tamen conventus œconomi adminiſtrare debent.

Hujus paupertatis vera indoles, proprietatis abdicatio; non triſtis inopia.

VI. Nihil prorſus proprii, non veſtes, non libros, non inſtrumenta peculiaria, inprimis autem pecuniam nullam habere debet religioſus (2) (*e*). Veteri inſtituto apud quem defunctum pecunia reperiebatur, ei, tamquam in peccato manifeſto extincto, ſepultura denegabatur (*f*). Monachi, quippe uni loco affixi & ab hominibus reliquis ſeparati, exacte ſervare potuere hanc regulam. Sed & quo ipſi & ceteri religioſi peregrinationes ſuſcipere cœperunt, in itinere pecunia ipſis aliaque commoda permiſſa ſunt. Qui beneficia capere poſſunt, veluti *canonici regulares*, qui *curas* habent, iis re familiari multiſque utenſilibus opus fuit (2).

imitatio.

VII. Ut a regula generatim receſſum eſt, ita etiam *officia clauſtralia*, in beneficia converſa, priſtinam indolem amiſerunt. Qui tam remiſſi facti ſunt, ut a convictu recederent, ii paupertati non amplius inſiſtunt; quam quod *immobilia* acquirere nequeunt. Poſt mortem ſolum apparet, religioſos eos eſſe, quia nec legitimum heredem habere, nec teſtamentum facere poſſunt: hinc abbas vel ſuperior ipſis ſuccedit: quod fit in omnibus religioſis beneficiatis, aliiſque, qui bona morientes relinquunt. Hæc ſucceſſionis ſpecies vocatur SPOLIUM ſeu *mortuarium*, in jure, *peculium*: quia religioſi habentur pro filiis familias, qui nihil proprii habent, niſi venia ſuperioris expreſſa vel tacita; ſed uſum tantum

Officiales clauſtrales bona mobilia habent.

preca-

---

ante ejus mortem heredes ex eo ſuccedere poſſunt, quin potius monaſterium interim bona adminiſtrat, iiſque fruitur. LUCA *tom. IV. de teſtam. diſc.* 36. *n.* 9.

(1) Alias inde naſcitur vitium, quod vocant *peculiaritatis*, contra quod calamum ſtrinxit ESPENIUS in opuſculis, a ſe editis *P.* 1. *c.* 1. *ſeqq.* & in *append.* ſubjecta, poſtquam animadvertit, plures *peculia* monachorum propugnaſſe.

(2) Imprimis hoc uſu venit in *ordinum militarium* ſodalibus, voto *paupertatis* obſtrictis, quique commendaturis, quæ ad inſtar beneficiorum ſunt, gaudent, quibus plene, ut bonis ſuis, fruuntur, ex iis non ut pauperes ſed admodum laute & ſplendide vivunt, ut hoc paupertatis votum eis magis proſit, quam noceat. Hoc modo in paupertate vivere eſt in omni rerum abundantia vitam tranſigere.

(a) *c.* 3. *X. de verb. ſignif. in* 6. *Clem. exivi eod.*
(b) *Seſſ.* 25. *ref. c.* 3. (c) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 16.
(d) *Comm. in Louet. c.* 8. (e) *Reg. Bened. c.* 33.
(f) *C.* 1. *de ſtatu monach. C. cum ad mon. eod. in* 6.

Digitized by Google

precarium. Qui omnium minime paupertatem ſectantur, ſunt equites religioſi, diſperſi per mundum, nihil ex ordine recipientes; niſi degant in inſula magiſtri, vel ei militent. Unde penſiones alimentariæ, uſusfructus, donationes, vel harum ſurrogata, ipſis conferri poſſunt (*a*).

quod improbatum.

VIII. Concilium Tridentinum (*b*) priſtinam diſciplinam reduxit, & regularibus omnibus omnium rerum, cum mobilium, tum immobilium poſſeſſionem interdixit. Cuncta ſunt manibus ſuperiorum conſignanda, quibus non licet cuiquam, quocumque obtentu, ſtatas penſiones aſſignare. Bonaque omnia adminiſtranda ſunt ab *œconomis*, quos ſuperiores pro lubitu removere poſſunt. Utenſilia, quæ ſuperior religioſis concedit, ſapere debent paupertatem, quam profitentur. Qui his reluctantur, privatione *ſuffragii activi* & *paſſivi* ad biennium, aliterque pro conſtitutionum modo, puniuntur.

3. Caſtitatis. Ejus indoles abſtinentia a matrimonii

IX. Votum *caſtitatis* conſiſtit in *renuntiatione matrimonii* (1). Vitiis enim, huic virtuti oppoſitis, omnes Chriſtiani renuntiant in ſacro lavacro. Votum *caſtitatis* atque ipſa profeſſio religioſa eſt impedimentum dirimens, quod ſubſequens matrimonium reddit abſolute nullum, ita ut, ſi de facto contrahatur, conjunctio ſit illicita, inceſtuoſa & ſacrilega, liberique, cum quoad effectus civiles, tum quoad irregularitatem, illegitimi habeantur (*c*). Tale conjugium execrabilius eſt adulterio, quippe conjunctum cum manifeſta & impudentiſſima promiſſionis Deo ſactæ violatione.

Occluſio.

X. Ut facilius votum *continentiæ* obſervari poſſit, religioſis feminarum aliorumque hominum commercium, quoad ejus fieri poteſt, fugiendum eſt. Hinc regula Benedicti *c. 66.* clauſtris eos abdidit, in quibus, ne obtentus ſit egreſſui, puteos, furnos, molendinum, aliaque neceſſaria inſtrumenta habent, ipſæque eorum Eccleſiæ non ſunt niſi *oratoria* recondita. Ceteri religioſi, præſertim mendicantes, quibus vita eſt ambulatoria, tam arcte occludi non potuere. Id tamen generatim obſervandum, ut feminæ religioſorum limina ne ſuperent; ut, quoties opus eſt, extra domum in publico ſermones cum iis miſceantur; ut nemo ſine ſocio, nemo ſine venia ſuperioris, exeat e clauſtro.

Egreſſus non niſi cum venia ſuperioris.

XI. Iter ſuſcepturo opus eſt ſcripta ſuperioris venia, quam *obedientiam* vocant, quum nemo religioſorum, niſi invitus & obedientiæ cauſſa, clauſtrum relinquere præſumatur (*d*). Qua qui deſtituuntur, detineri ab ordinario loci, ac veluti *apoſtatæ* puniri poſſunt. Qui *ſtudiorum* cauſſa in academias mittuntur, migrare debent in ſui ordinis collegium, niſi *apoſtatæ* haberi velint. Multo minus quiſquam, quocumque obtentu, principi, aut prælato, aut civitati operam ſuam, ſine *venia ſuperioris* (2), addicere poteſt.

XII. Ad

(1) Veteres, qui *ἄσκησιν* ſectati ſunt, in *matrimonii renunciatione* primariam *abſtinentiæ* partem collocarunt; ſed ſine voto ut plurimum. Poſtea *votum* ad eam quoque extenſum eſt, quamvis, ante uſum *verum*, ſancte *abſtinentia* hæc inter monachos conſervata fuerit. Quamvis ergo proteſtantes ab hoc voto alieni ſint, nihil tamen prohibet, quo minus ad legem *abſtinentiæ* adſtringi queant, qui vel quæ monaſteria ingrediuntur, ſaltim hoc effectu, ut, quamdiu in hoc ſodalitio vivunt, *abſtinentiæ* legem ſervare cogantur. Si virgines enim nubere intendunt, renunciare ſuo juri & monaſterio excedere coguntur, idque multo magis de *Abbatiſſa* dicendum.

(2) Hac ergo impetrata etiam poſſunt eſſe conſiliarii ſummorum principum, negotiis publicis præeſſe, & ſæcularia peragere, cum tamen *ſæculo* mortui dicantur. Verum mox *ſæculo vivere* incipiunt, quoties juſſus ſuperioris ad *vitam ſæcularem* eos reſuſcitat revocatque, quod vel exemplum P. JOSEPHI ſub LUDOVICO XIII. illuſtrat, qui ad ſecretiora Regni Galliæ adminiſtranda evocatus, facile vitæ monaſticæ uſum dereliquit, & Cardinali Richelio adeo inſerviit, ut nil ſine ipſo ſuſciperet perageretque.

(a) *Brod. Louet. c. VIII.* (b) *Seſſ. 25. ref. c. 12.*
(c) *c. 8. diſt. 27. C. 22. q. 1. c. 40.*
(d) *Concil. Trid. ſeſſ. 25. ref. c. 4.*

Macerationes corporis.

XII. Ad votum *continentiæ* referendæ ſunt omnes corporis caſtigationes, jejunia iterata, abſtinentia ab eſu carnis, cubile durius, abſtinentia a linteis, preces nocturnæ, veſtis cilicia, flagellationes, pedum nuditas, ceteræque macerationes, quæ longa ſerie recenſentur in regulis & conſtitutionibus ſingularibus. His omnibus propoſita eſt *caſtigatio corporis* & *ſubactio in ſervitutem*, ut ſpiritus liberior ſit, promtiorque ad orationem & unionem cum Deo (*a*). Regendæ tamen ſunt a *ſuperiore*, & ad obedientiam exigendæ. Omnium enim macerationum pulcherrima eſt *propriæ voluntatis retuſio* (1).

CAPUT XXV.

De Clericatu Regularium eorumdemque exemtionibus.

Vita clericalis & monaſticæ conjunctio.

I. PRincipio clericatus cum vita monaſtica conſiſtere non poſſe videbatur. (*b*) *Monachus* fuit homo, qui, proprio motu, hominum, etiam fidelium, commercium fugiens, in deſerto peccata ſua deplorare, perfectionemque Chriſtianam ſectari inſtituit. *Clericus* contra a fidelibus ſæpe invitus electus eſt, qui in oculis omnium functiones in Eccleſia publicas obiret. Clericus, ſimulatque monachus factus eſt, functionibus Eccleſiaſticis abſtinuit. Monachus, qui clericus factus, e monaſterii latebris in lucem & ad Eccleſiaſtica munia obeunda protractus eſt. Non ita multo poſt in monachis tolerati ſunt presbyteri & clerici, qui ſacrum ſacerent in *oratoriis monaſticis*, ne monachis publicæ Eccleſiæ frequentandæ eſſent (2). Et ex monachis nonnulli clerici facti ſunt, quod pauci ceterorum fidelium ad ſacra munia eſſent idonei. Ad ultimum vita contemplativa & vita activa, h. e. monaſtica & clericalis, conjunctæ ſunt in communitatibus canonicorum. Monachi tamen, quod ex regulis Aquiſgranenſibus apparet, ſemper diſtincti manſerunt, licet jam tum clericis annumerati.

Monachi plerique ſunt clerici, ceteri fratres laici.

II. Inde a ſeculo XI. ſoli clerici pro monachis ſunt habiti; *Clerici*, inquam, ii, qui, choro deſtinati, pſalmodiam & latinam linguam callebant, quæ jam pridem vulgo nota eſſe deſierat. Denique *concilium Vienneſe an.* 1311. voluit, ut monachi omnes ſacris initiarentur (*c*). Illiterati, & ſolum ad laborem corporis ac vilia officia idonei, porro quidem ad vitam monaſticam admiſſi ſunt; ſed ita, ut nec chorum attingerent, nec ſuffragio gauderent in capitulo (3). Atque

(1) Admodum probe & ex rei veritate loquitur Auctor. Non *caro*, ſed *voluntas carnalis* domanda, ſubigenda, caſtiganda. Externa jejunia, macerationes, aliaque ad corpus domandum adhibita remedia, fiunt ut plurimum & fieri poſſunt ſine mentis mutatione, hypocritice, gloriæ & ambitionis ſacræ inſtinctu, denique ex *abſurdiſſima ſuperſtitione*. Vel vita DOMINICI loricati, a DAMIANO deſcripta, hæc ſatis probat. vid. MABILLON. *in act. Bened. ſec. VI. p.* 143.

(2) Monachi enim antiquitus diverſoria ſua in civitatibus exſtruentes, more ceterorum *laicorum* die dominico eccleſiæ parochialis ſacris vacabant, adeo ut nec virgines ſacratæ ab hoc nexu exemtæ eſſent, obſervante MORINO *de admin. ſacram. pœnit. lib. II. c.* 17. *§.* 12. Ex inſtituto BENEDICTI demum *propria oratoria* acceperunt, in quibus ſoli monachi ab initio rem divinam ſaciebant, ut IDEM *cit. l.* docet, & ita tandem monachi ordines acceperunt, ne *adventitios presbyteros* ſacrorum cauſa aliunde petere neceſſum haberent.

(3) Obſervat egregie AUCTOR *tom.* XX. *hiſt. eccl. in diſc. prælim. §.* 5. uſque ad ſæc. XI. monachos non tantum oraſſe, ſed etiam laboraſſe; hac vero tempeſtate diſcrimen ſuiſſe ortum inter *fratres chori* & *laicos*, & ſic ſimul valde laxatam eſſe

(a) 1. *Cor.* IX. 27.
(b) THOMASS. *part.* 1. *l.* 1. *c.* 47. *C.* 16. *q.* 1. *c.* 2. 3. 4. *&c.*
(c) *Cl. ne in agro §. pen. de ſtatu monach.*

que hi poſteriores *fratres laici* ſeu *converſi* vocati ſunt, quaſi *laicos converſos* diceres. Monachi Vallis Umbroſæ in Tuſcia primi fratres laicos, ad ſubeundos labores & vilia munera, adſciviſſe leguntur (*a*). Quos ſecuti ſunt Carthuſiani & Ciſtercienſes, ut ipſi, externo labore levati, ſolitudinem occluſi melius colere poſſent. Ex quo Cluniacenſes & Ciſtercienſes innotuerunt, aſſidue verba fecere ad populum, cujus illuſtre exemplum S. Bernardus eſt, omnibuſque in Eccleſia officiis fungi cœperunt.

Clerici viciſſim ſunt monachi. III. Viciſſim *canonici regulares*, licet origine *clerici*, ſolemnia vota inſtar *monachorum* fecere (1), domibus, quas monaſteria appellarunt, incluſi, ab abbatibus recti; & cum congregationibus plurium domuum unum corpus conſtituere: quo factum eſt, ut vulgo *monachorum* vocabulo omnis generis religioſi comprehenderentur. Soli tamen *canonici regulares* retinuere eccleſias parochiales, quarum nullam monachi habere poſſunt.

Inter utroſque fluctuant mendicantes. IV. Mendicantes inter canonicos regulares & monachos veluti medii fluctuant. Sunt enim omnes *clerici*, deſtinati quippe ſaluti hominum, per prædicationem & pœnitentiæ adminiſtrationem, promovendæ. Sed plerique auſterum monachatum ſectantur, augentque pedum nuditate & mendicitate. Ab utriſque viciſſim differunt, quod nullibi fixam ſedem habent, ſed *ambulatoriam vitam* (2) agunt, ire parati, quo ſuperiorum voluntas, quo ſalus Eccleſiæ vocat.

quorum invidenda privilegia. V. Egregia in Eccleſiam merita, ſingulariſque erga ſedem apoſtolicam devotio, invidenda Paparum privilegia conciliarunt (*b*). Qualia ſunt, exemtio a juriſdictione ordinariorum, quam a primis incunabulis habuere: infinitæ indulgentiæ, iis impertiendæ, qui certis diebus feſtis Eccleſias ipſorum viſitant, ſtipemque conferunt ad fabricam, vel ad convictorium: poteſtas celebrandi ſanctorum ſui ordinis anniverſaria ſacra: poteſtas publice verba faciendi, confeſſiones audiendi, ſacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ adminiſtrandi, ſepulturas concedendi in ſuis eccleſiis, & quæ ſunt ſimilia; ab una domo ſæpe ad omnes, & ab uno ordine ad reliquos extenſa. Celeberrimum horum privilegiorum promtuarium eſt conſtitutio Sixti IV. an. 1474. *fratribus minoribus*, e quorum grege ipſe fuit, data, quam *mare magnum* vocant, quamve Leo X. an. 1519. omnibus *mendicantibus* communem eſſe voluit (3).

VI. Cle-

---

eſſe veterem diſciplinam. Neglecto enim & ad fratres laicos rejecto *labore corporis*, ſacro otio ſeſe dederunt *fratres chori*, ſub prætextu, quod fratres laici eſſent idiotæ, imperiti, & ſic ad chorum inidonei. Accedebat *laicorum* quorundam ſuperſtitioſus amor inſerviendi monachis, quos minime repellendos judicabant.

(1) Non male ERASMUS in *colloq.* cui titulus: *peregrinatio religionis ergo*, cenſet, canonicos regulares medium genus inter monachos & canonicos ſæculares eſſe. Nam, pergit, *in odioſis canonici ſunt, in favorabilibus monachi*, ut ſtatum ſemper in ſuum favorem detorquere poſſint.

(2) Hæc vero *ambulatoria vita* aditum eis paravit ad quævis negotia publica & ſæcularia. In ſecreta familiarum illuſtrium penetrant, & teſtamentorum executiones ambiunt. Delegantur ad *negotia pacis*, & alia magni momenti, quod ſecretorum cuſtodes fidiſſimi, omnique ſuſpicione carere cenſeantur. Imprimis pontifici utiles ſunt in cauſis expediendis, in colligendis pecuniis ex quæſtu ſacro, & inde debellandis hæreticis, quorum *inquiſitiones* dirigunt, promoventque. Fidei conſervationis prætextu crudeles ſunt, *judicia criminalia* contra hæreticos exercent, non alieni ab incarcerationibus, tortura, condemnatione & bonorum confiſcatione. Et tamen, quod mireris, haud cenſentur *irregulares*. Qui ab initio humillimi in exceſſu erant, & ſumme pauperes, mox *magiſtratum* ſibi acquiſiverunt, & toti mundo *terribiles* facti. Ita de iis eorumque moribus hodiernis rationes ſubducit AUCTOR *in hiſt. eccl. tom. XX. in diſc. præl. §. 10.*

(3) Immenſa hæc privilegia confuſiones infinitas, odia, rixas, aliaque incommoda peperiſſe, quis negaverit? Verum magnopere iis profuit, 1. quod plures

(a) *Hiſt. eccl. l. 60. n. 4. l. 63. n. 57.*
(b) *Vid. Collect. priv. ord. mendic. auct. Jo. Bapt. Confecto.*

æque ac clericorum regularium.

VI. Clerici regulares, veluti *Jeſuitæ* & *Theatini*, eodem fere inſtituto, eadem facultate, ſacra ubique faciendi, iiſdem privilegiis utuntur; a ceteris religioſis præcipue in eo diſcrepantes, quod Miſſam non cantant: de cetero multis negotiis diſtricti & orationis mentalis ſtudioſiores. Si *externa* ſpectes, auſteris corporis macerationibus poſthabitis, veſtitu utuntur, presbyterorum ſæcularium ſui temporis proprio.

Regulares numero pares ſæcularibus,

VII. Si itaque computes, quidquid uſpiam in orbe Chriſtiano monachorum chori, canonicorum regularium, religioſorum mendicantium & clericorum regularium, eſt, agmen habebis æque numeroſum, aut numeroſius *clero ſæculari*. Et ſane fatendum eſt, ante inſtituta S. Caroli, ante ſeminaria & recentiores presbyterorum congregationes, omne pondus functionum eccleſiaſticarum incubuiſſe *regularium* humeris, qui illud etiamnum bajulant in Italia & in Hiſpania. Ipſi ſoli fere pueros inſtituere, adultos docere, confeſſiones audire, ſcholas regere, pios ſe præbere, alioſque ad pietatem exhortari. Ex ipſis ſæpe ſunt Epiſcopi, ſæpe pontifices lecti.

exemti a jurisdictione ordinariorum.

VIII. Plerique regularium a *juriſdictione ordinariorum* i. e. Epiſcoporum exemti ſunt, & quidem pedetentim. Monachi olim, ut ceteri fideles, paruerunt Epiſcopis (*a*). Quorum quum ſæculo V. multi per civitates diſcurrerent, Eccleſiaſque turbarent, *concilio Chalcedonenſi c.* 4. decretum eſt, ut monachi, Epiſcopis penitus ſubjecti, ſub pœna excommunicationis, negotia omnia, cum *Eccleſiaſtica* tum *civilia*, fugientes, jejuniis & orationi vacarent. Cuilibet monaſterio præfuit abbas, quem a monachis electum inſtituit Epiſcopus: cujus juris reliquiæ ſuperſunt in *benedictione abbatum*. In Africa primum & in oriente exemtiones gliſcere cœperunt (*b*). In Italia Gregorius M. nonnullis monaſteriis indulſit, ut neque de reditibus rationem reddere Epiſcopo, (1) nec permittere tenerentur, ut Epiſcopus ad ſacrum faciendum veniret in oratorium clauſtrale, ſolitudinemque congregationum turbaret (*c*). Poſthæc multi Epiſcopi, monachorum pietate tacti, vel ipſi eadem indulſerunt, vel, ut Romæ exemtionem impetrarent, auctores fuere (2). Ad ultimum exemtiones ad pleroſque religioſo-

---

res ex ſuo ordine in ſede papali viderint pontifices, 2. quod curiæ papali in multis caſis arduis admodum utiles fuerint; 3. quod intuitu *paupertatis affectatæ* ſeſe omnium animis inſinuare didicerint &c.

(1) Hæc a Gregorio indulta immunitas non *totalem* exemtionem, ſed *partialem* continebat: ſalva de cetero manſit epiſcopis inſpectio in vitam & mores monachorum cum reliquis juriſdictionis capitibus: id unice, quod admodum moleſtum iis erat, quidam agere ſolebant, ut epiſcopos a reditibus ſuis arcerent, quos captare ſolebant.

(2) Tales exemtiones tolerari poterant, quia fiebant *conſenſu epiſcoporum*, quod formulæ MARCULFI indicant. Fuldenſis monaſterii exemtionem hoc modo factam fuiſſe, docet præceptum Pipini apud BARON. *ad ann.* 755. *n.* 29. Quæ aliter factæ dicuntur ante ſæculum XI. exemtiones, de falſo ſuſpectæ ſunt, prout eruditi paſſim obſervarunt. Sæculo XI. demum abuſus exemtionum invaluit, invitis & reluctantibus epiſcopis factarum, poſtquam pontifices in eam iverunt ſententiam, *ſe eſſe univerſales epiſcopos*, ut ait HERICURTIUS in tr. quem inſcribit: *les loix eccleſ. dans leur ordre natur. P.* 1. *p.* 77. Addit AUCTOR *tom.* XX. *hiſtor. eccl. in diſc. prælim.* §. 13. multum quoque falſas Iſidori decretales hunc abuſum promoviſſe, quippe quæ tradunt, *papam omnia poſſe*. Non negaverim, epiſcoporum vexationes & exactiones, quibus monaſteriis moleſti erant, in cauſa nonnunquam fuiſſe, ut monaſteria ſeſe poteſtati eorum ſubducere ſtuderent. Verum etiam pontifici rationes politicæ erant, quæ tales exemtiones ſuadebant, utut rei eccleſiaſticæ admodum noxias, ut ſaniores non diffitentur.

(a) THOMASS. *diſcipl. part.* 1. *l.* 1. *c.* 48. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 38. *ſeq.*
(b) *Hiſt. eccl. l.* 33. *n.* 4. *l.* 36. *n.* 26.
(c) *Gregor. VII. epiſt.* 18. *ind.* 1. *hiſt. eccl. l.* 36. *n.* 33.

Digitized by Google

gioſorum ordines extenſæ fuerunt, & Epiſcopi eos hac conditione, ut exemti eſſent, in diœceſes ſuas receperunt. Sed poſtquam plura incommoda inde nata, noviſſimis temporibus exemtiones omni modo reſtringi cœperunt.

limitatio I. IX. Quum præſumtio ſit pro jure communi, exemtiones non attenduntur, ſi titulo, ſi diuturna poſſeſſione deſtituuntur. Quæ durante ſchiſmate Avenionenſi invaluerunt, eæ omnes, quotquot ſine cauſſæ cognitione & ſine conſenſu ordinariorum datæ. concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 43. revocatæ, & reliquæ a concilio Tridentino (*a*) limitatæ, ac in Francia novis conſtitutionibus reſtrictæ ſunt. Nemo regularium ad populum verba facere poteſt ſine venia Epiſcopi, qui habet jus id prohibendi, etiam in Eccleſia monaſterii (*b*). Nemo regularium confeſſiones audire poteſt, niſi adprobatus ab Epiſcopo, qui jus habet hominem tentandi, & adprobationem ſuam limitandi (*c*). Qui *curas* habent, ratione adminiſtrationis ſacramentorum & functionum eccleſiaſticarum, ſoli Epiſcopo parent. In univerſum omnes regulares in anniverſariis ſacris, in ſolemni pompa ſacrorum, in ritibus ac cærimoniis publicis, ſequuntur morem & obſervantiam diœceſeos, in qua degunt (*d*).

limitatio II. X. Epiſcopi auſpiciis nova monaſteria, aliæque piæ ſocietates inſtituuntur, &, ſi opus, deſtituuntur: ſed ordines novi non niſi a pontifice inaugurandi, ex quo concilium Lateran. IV. *c.* 13. multiplicationem ordinum, quorum diverſitas reipublicæ onerosa, prohibuit (*e*). Caritas alitur vita uniformi, ipſæque corporis macerationes, ſi *ſingulares* (1) ſunt, ambitionem & vanæ gloriæ cupiditatem ſpirant (*f*). Nihilominus plerique ordinum ex illo tempore inſtituti ſunt, quia canonum interpretes prohibitionem illam intellexerunt de inſtitutionibus ſine venia pontificis ſuſceptis. Ordinem ſemel approbatum receptumque non niſi papa poteſt aut concilium œcumenicum exſtinguere. Sic concilio Viennenſi *templarii*, ſic *humiliati*, poſtquam in caput S. Caroli conſpiraſſent, exſtincti ſunt. De inſtituendis, uniendis, ſupprimendiſque monaſteriis agemus *Part. II. c.* 7. ubi de Eccleſiarum fundatione dicendum.

CAPUT XXVI.

De Regularium Reformationibus.

Prolapſa regularium diſciplina cum monachorum, I. Exemtionibus maxime perdita res eſt regularium. S. BERNARDUS (2) quadam animi præſenſione acerrimis invectus eſt declamationibus in hujus generis privilegia. Quum ſuperiores ſæpe longe, longius pontifex abeſſet, infinitis negotiis diſtrictus; delinquere impune fuit, vitiaque radices egerunt, antequam animadverterentur. Obtentu conſervandi privilegia in cauſſis ad diſcipli-

(1) Et tamen *ſingulares* eſſe omnium ordinum novorum rationes, quis negaverit? adeoque *humilitatis* ſtudium præ ſe ferentes, *ambitionis ſacræ* veneno omnia impleverunt.

(2) Merentur verba BERNHARDI, *de morib. & offic. epiſc.* c. 9. adducta, quæ hic repetantur, utpote quæ horum exemtorum monachorum indolem optime depingunt. Ait: *miror, quoſdam in noſtro ordine monaſteriorum abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili (quod pejus) habitu & tonſura tam ſuperbe ſapere, ut cum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos ſuos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant epiſcopis.* In ſequentibus pluribus hunc abuſum taxat, docetque, monaſticæ diſciplinæ certiſſimam imminere jacturam, remotis inſpectoribus neceſſariis.

(a) *Seſſ.* 25. *Ref. c.* 2. (b) *Seſſ.* 24. *Ref. c.* 4.
(c) *Seſſ.* 23. *Ref. c.* 15. (d) *Seſſ.* 25. *Ref. c.* 11.
(e) *c. ult. X. de relig. dom.* (f) *Gloſſ. in d. cap. ult. verbo novam.*

ſciplinam pertinentibus Romam adpellatum eſt. Fuere & aliæ laxioris vitæ cauſſæ, fuga & contemtus laborum corporis, itinera in terram ſanctam, ad expeditiones cruciatas, ad academias, ad monaſteria viſitanda, ad conventus generales; converſatio cum profanis hominibus officii cauſſa; naturæ denique corruptio, quæ ſola per ſe ſanctiſſima inſtituta pervertere poteſt.

tum clericorum

II. Canonici, quod profeſſione *clerici* eſſent, omnium maxime periclitabantur. Zelus ille devotus, quo per annos CL. arſerant, paullatim refriguit, deſiitque in tantam morum diſſolutionem, ut an. 1359. Benedictus XIII. huic malo medelam adhibiturus operam luderet. Exeunte ſæculo XIV. monachi omnes, ne *Ciſterſienſibus* quidem exceptis, turpiſſime ſe dederunt (1). Abbates, ut ceteri prælati, inſtar Satraparum Bacchanalia vivere, monaſteriorumque bona diſperdere, ut ad ultimum officiis clauſtralibus, priori camerario, cellario, valetudinario, eleemoſynario, certi reditus, ut officiis ſuis fungi poſſent, aſſignandi eſſent quæ officia pontifices mutarunt in *titulos beneficiarios*, quorum abbas erat collator ordinarius. Interea monachi deſerta communione ſegreges vixere, *annua penſione* ſingulis aſſignata. Sic monachorum ſtationes factæ ſunt parva beneficia, quæ, tamquam certa ſuſtentationis media, redimebantur ab hominibus, merum ſæculum ſpirantibus: quo pacto ſacrum, & venerabile *monachi* nomen ad ludibrium recidit, ſonuitque *ignavum & nullius pretii hominem dicam, an pecudem?*

inſtauratur

III. Tanta vitæ monaſticæ depravatione, quæ ſpeculum perfectionis Chriſtianæ eſſe debuiſſet, optimus quiſque ſemper movebatur. Principes cum ſæculares tum eccleſiaſtici conjunctis ſæpe viribus emendationem moliebantur. Et quum illa licentiæ peſtis exemta potiſſimum monaſteria, quæ non erant certi cujuſdam ordinis, afflaſſet; conſtitutum eſt, ut cuncta in formam congregationum redigerentur (*a*). Equidem dehinc tribus ſæculis diverſæ in diverſis provinciis monachorum congregationes coierunt, ſed & ipſæ maximam partem corruptiſſimæ, ſi noviſſimas exceperis.

inter Franciſcanos a Bernardino,

IV. Franciſcus ceterique mendicantium auctores, quod divitiis adſcriberent depravationum cauſſam, bonis omnibus alumnos ſuos exuerunt. Sed horum ſtupendus numerus, perpetuum cum profanis commercium, theologiæ ſcholaſticæ ſophiſtica, cui totos ſeſe dabant, miſeros in morum præcipitium egerunt, qui præterea a papis molliores regulæ interpretationes, pluriinaſque diſpenſationes impetrarunt (2) (*b*). Rediere illi tamen haud ita multo poſt in viam Ducentis

(1) Hæc peſtis, quæ infecerat monachos, ut ſe turpiſſime darent, non ſubſtitit intra monaſteriorum ſodales, ſed penetravit etiam extra clauſtra, & Chriſtianos pene omnes corrupit. Hi enim, qui in ſæculo eſſe dicuntur, ita rationes ſubducebant: *Si hi, qui exemplar perfectionis eſſe debebant, talia audent, multo magis hæc nobis permiſſa erunt: ſi judicant, hæc vel illa ſine peccato fieri poſſe, nec nobis ſcrupulum ea movere poterunt*, prout AUCTOR optime demonſtrat *tom.* XX. *hiſt. eccl. in diſc. prælim.* §. 14.

(2) Non alia de cauſſa, quam quod ſedi apoſtolicæ devotiſſimi. Hi enim fuere, qui *auctoritate papali propagandæ* unice ſtuduerunt. Poteſtatem papæ enim adeo extenderunt, ut omnem poteſtatem temporalem eidem proſſus ſubjicerent, tradetentque, papam poſſe regna ſupprimere, transferre, erigere, eorumque capita pro lubitu deponere. *Secundum eorum ſyſtema*, ait AUCTOR *cit. l.* §. 13. *in toto mundo unus tantum ſupremus imperans eſt, qui ſpiritualem poteſtatem exercet tum per ſe, tum per clericos, quibus partem regiminis committit, tum iter laicos, quos adminiſtratores temporalium, a quibus ſeſe levare geſtit, conſtituit.* En egregiam philoſophiam, qua peſtilentior excogitari non potuit, quæque tot funeſtos eventus produxit, ut tot rerum documenta evincunt. Recte ad hunc rei Romanæ ſtatum applicari poſſunt illa JUVENALIS *lib.* 1. *ſat.* 1. *verſ.* 30. *quis iniquæ tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat ſe!*

(a) *C.* 7. *X. de ſtatu monach.*

(b) *C.* 3. *X. de verb. ſign. in* 6. *Cl.* 1. *eod. Extravag.* 1. 2. 3. 5. *Joan.* XXII.

centis annis Franciſcum ſecutus BERNARDINUS Senenſis, rejectis omnibus his diſpenſationibus, calcavit veſtigia magiſtri, *ſtrictioris obſervantiæ* inſtaurator, quam multi ſpernunt. Hinc fratres minores, alii *obſervantini* audiunt, alii *conventuales*. Eodem tempore Coleta, Corbienſis femina, virgines S. Claræ in Francia reduxit in viam.

Hiſpanis, V. Exeunte ſæculo XV. emicuit in Hiſpania nova *minorum* reformatio, ab Innocentio VIII. laudata. Qui eam amplexi ſunt e Franciſcanis, eos *Recoletos*, & Hiſpanico vocabulo *Recogidos* i. e. reformatos appellarunt. Matthæus Baſchi, *Obſervantinus* an. 1525. regnante Clemente VII. in Marchia Anconitana reformationis, ceteris omnibus ratione paupertatis exactiſſimæ, auctor exſtitit. Hujus ſectatores a longo & acuminoſo capitis tegumento, quod barbare *capucium* vocant, *Capucini* dicuntur. *Capucinis,* Ineunte ſæculo XVII. tertius quoque Franciſcanorum ordo mundior factus eſt, inſtituta congregatione Francica religioſorum capucinis ferme ſimilium. Sic in ceteris mendicantium ordinibus plures ſunt reformatorum cœtus.

Carmelitis, VI. Carmelitæ an. 1432. ab Eugenio IV. mitigationem regulæ impetrarunt, quam qui ſectantur, ii *Mitigati* audiunt. Horum alumna S. Thereſia an. 1568. Avilæ in Caſtella virginum religioſarum diſciplinam emendavit, & Joannem de Cruce ac Antonium de Jeſu excitavit, ut idem facerent inter religioſos. Hoc inſtitutum qui ſequuntur, ii vocantur *carmelitæ excalceati*, quos ineunte ſæculo XVII. primum vidit Francia.

congregationibus VII. Interim plerique monachorum & canonicorum regularium, ab hac cura intacti, vitiorum veterno inveteraſcentes, vel publica omnium voce & confeſſione, novis hæreſibus ſpargendis anſam dederunt. Hinc Concilium Trident. (*a*) vetera emendationum media revocavit, conſtituitque, ut regulares omnes exacte ſequerentur regulam, votaque obſervarent; & ſuperiores hæc omnia curarent. In Francia *ſtatuto Bleſenſi art.* 30. præceptum legimus, ut Epiſcopi & ordinum principes diſciplinam monaſticam primæ inſtitutioni reſtituerent: quod inſecutis ſtatutis repetitum (*b*). Nec opus caruit effectu, inſtitutis duabus celeberrimis congregationibus, altera *S. Mauri* pro monachis, altera *S. Genevievæ* pro canonicis regularibus, quarum utralibet plures C. domos religioſas complectitur. Illa prodiit ex congregatione S. Vannii, quæ exorta eſt an. 1597. in Lotharingia. Nam an. 1613. Joannes Reynoldus abbas Sant-Auguſtinianus, Lemovix, monachos S. Vannii conjunxit in unum corpus, quod Gregorius XV. confirmavit ſub appellatione *S. Mauri*, quæ hodie per omnem Franciam extenditur *S. Mauri &* (1). Hæc originem debet monaſterio S. Vincentii Silvanectenſis, auctoremque agnoſcit Carolum Faurium, quem cardinalis Rupifulcaldius (*Rochefoucaud*) Pariſios vocavit in ædem S. Genevievæ, ubi congregationem, per omnem Fran- *S. Genevievæ.* ciam patentem, formavit, ab Urbano VIII. an. 1655. confirmatam. Sunt etiam aliæ extra Franciam canonicorum regularium congregationes. Diſtinguuntur amictu candido, & linteo humerali, ut pateat, ipſos eſſe clericos.

auctoritate pontificis, VIII. Non ſine ſolemnibus ſuſceptæ ſunt hæ reformationes. Præter conciliorum decreta & regum conſtitutiones, quibus generatim commendantur, quælibet munita eſt ſingulari pontificis decreto ac regio edicto, poſt cauſſam cognitam mona-

(1) Hæc congregatio fervori pietatis literarum bonarum ſtudia conjunxit, exiſtimans, hæc cum illa omnino ſubſiſtere poſſe. Unde ex hac tanquam ex equo Trojano prodiere tot lumina egregia, quorum opera indefeſſa antiquitates imprimis illuſtratæ, quæ in tenebris jacebant, in lucem protracta, &, quæcunque ad ſolidam eruditionem facere poſſunt, magna cura exculta ſunt, quod oſtendunt opera Menardi, Acherii, Mabilonnii, Gerberoni, Ruinardi, Martenii aliorumque.

(a) *Seſſ. 25. ref. c. 1.*

(b) *Aurelian. art. 20. Melodunenſi art. 2. 6. 7.*

monaſteriaque viſitata prodito. Qui ex ſenibus religioſis colorem mutare detrectarunt, iis annuæ penſiones aſſignatæ fuerunt. Interim non uſquequaque reformatio ſuſcepta eſt. Congregatio S. Mauri locum habuit tantummodo in monaſteriis regulæ primævæ ſubjectis, nec in unum corpus coalitis; non autem inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes. Hinc plura ſuperſunt monachorum & canonicorum regularium clauſtra, quæ antiquum obtinent cum bonorum omnium offenſione.

CAPUT XXVII.

De Rectoribus Regularium.

Abbates & *Priores.*

I. PRO diverſis religioſorum ordinibus regimen eſt diverſum. Ex regula Benedicti *c.* 2. quodlibet monaſterium *abbatem* habet, qui non ſolum monachos omnes regit ratione morum & vitæ interioris, ſed inſtar boni patrisfamilias etiam temporalia omnia adminiſtrat. Monachi eum elegerunt, electumque Epiſcopus diœceſeos ordinavit benedictione ſolemni, quæ æmulatur conſecrationem Epiſcoporum (1) (*a*). Abbates ſæpe quidem, ſed non ſemper ordinati ſunt presbyteri. In cauſſis arduis abbas conſuluit monachos, quorum tamen ſuffragia non fuere deciſiva. *c.* 3. Potuit adſciſcere præpoſitum, laboris ſocium, &, ſi numeroſum cœtum habuit, denis fratribus decanum præficere *c.* 65. item, janitorem, cellarium, vel procuratorem conſtituere, ſed & pro lubitu deſtituere *c.* 21. Vixit ad morem aliorum monachorum, niſi quod onus univerſæ domus regendæ & ſeparatam menſam, cui hoſpites adhibere poterat, haberet *c.* 56. Ad prædia longius diſſita certos monachos emiſit adminiſtratores, qui oratorium ſibi ſtruxere, in quo regulam, ſpectante priore, ab abbate ſubmiſſo, æque ſancte obſervarunt: quæ loca cellulas, prioratus, vel *obedientias* vocarunt (2).

Abbatem unum Cluniacenſes; plures habent Ciſtercienſes.

II. Ordo univerſus Cluniacenſium ſervandæ uniformitatis cauſſa unum tantum *abbatem* habere voluit, ceteris monaſteriis, etiam ampliſſimis, *prioribus* commendatis. Ciſtercienſes, laxitatem diſciplinæ abſolutæ auctoritati abbatis Cluniacenſis imputantes, ſingulis monaſteriis ſingulos abbates præfecere, eorumque annuos conventus habuere, ut palam fieret, num uniformitatem tuerentur, regulamque fideliter obſervarent. Ciſterciæ (3) multum auctoritatis in quatuor filias majores; his tantumdem in ſuas filias; ut abbas matris Eccleſiæ regeret electionem abbatum filiarum, quos, adhibito quorumdam abbatum conſilio, ſi quid ſecus fecerant, deſtituere potuit.

III. Re-

(1) Niſi quod tantum *manus impoſitione* perficiatur, ſine *unctione*, quod non ad *ſacerdotium*, ſed ad *regimen monaſterii* conſtituatur. Si defectus canonicus in electo deprehenditur, *poſtulatio* ad epiſcopum dirigenda, qui pro *admiſſione electi* imploratur, æque ut in epiſcoporum electionibus obſervari ſolet, prout late tradit TAMBURINUS *de jure abbat.*

(2) De his conſulendus eſt MABILLON. *in act. Benedict. in præf. ad ſec. V.* §. 53. Dictæ ſunt *obedientiæ*, quod eſſent coloniæ monaſterii majoris, eique obedirent & ſubeſſent; *cellulæ* vero, quod eſſent *cellæ penuariæ*, unde paſceretur cœtus monachorum. Horum fuit, continere in officio ſervos, rem agrariam curantes, ceteroſque colonos, ac reditus monaſterio principali debitos, exigere.

(3) Quamvis reliquorum ordinum *Generales* Romæ degant, *Ciſtercienſium* tamen *Generalis* reſidet in ſolo hujus ordinis natali, vocaturque *Chriſtianiſſimi regis in Burgundiæ ſenatu primus conſiliarius natus*, *univerſi ordinis caput & ſuperior generalis*, id quod tamen Cardinalis de LUCA *tom. III. de regul. diſc.* 2. *n.* 25. reſtringit ad Ciſtercienſes in Gallia degentes. Diviſa enim hæc familia eſt in plures provincias, quarum ſingulæ *Generalem* ſuum habent.

(a) *Pontif. Rom. de bened. abbat.*

Hi olim electi, hodie nominantur a rege plerumque.

III. Rectura canonicorum regularium propemodum ad normam regiminis monaſtici fuit efformata, quum potiora clauſtra *abbatem*, viliora *priores* haberent, ac olim *præpoſitos* atque *decanos*, qui ſuperſunt in capitulis ſæcularibus. Monachi & canonici regulares, abbates & priores ſuos ipſimet longa conſuetudine elegerunt uſque ad an. 1516. quo in Francia per concordatum Franciſci I. cum pontifice initum (*a*) electiones iſtæ æque ac epiſcopales ſublatæ ſunt. Rex igitur nominat, quem abbatem, quem priorem eſſe vult: nominatum inſtituit pontifex eo modo, quem ſupra *de Epiſcopis* explicavimus. Nominandus eſt religioſus ejuſdem ordinis, XXIII. annos natus, ut intra annum presbyter fieri poſſit. Hoc cautum *ſtatuto Bleſenſi art.* 1. 9. aliiſque, quibus ſupponitur, monaſteriorum recturam conferri ſecundum regulam. Sed ſi *commendæ* ſint, prout hodie pleraque ſunt monaſteria, conferuntur clericis ſæcularibus, nulla ætatis ratione habita. De commendis autem dicendi locus erit *part. II. c.* 26. Jus tamen electionis ſartum tectum manſit monaſteriis totorum ordinum matribus & capitibus, veluti monachis Cluniacenſibus, Ciſtercienſibus, eorumque quatuor filiabus; Præmonſtratenſibus, Grandimontenſibus & nonnullis aliis: quod falſo inſtar *privilegii* habetur, quum hæ ſunt reliquiæ juris communis. (1)

Congregationum ſuperiores eliguntur, ut

IV. Recentiores *monachorum & canonicorum regularium* congregationes, a veteri inſtituto recedentes, reguntur prope ad modum mendicantium & aliorum ordinum recentiorum; Abbates habent, ſed tantum triennales, ne potentia creſcant; qui non a monaſterio, ſed in conventibus, ad quos ex omnibus provinciis, per quas congregatio extenditur, certi legati mittuntur, eliguntur, æque ac *officiales generales*, qui ſunt ſuperior *generalis*, hujus *aſſiſtentes*, *viſitatores* & *provinciales*. Monaſteriis, quæ *abbates commendatarios* (2) vel abbates regulares quidem, ſed non reformatos habent, præſunt priores triennales, & prioratibus, quæ *priores commendatarios* vel priores regulares quidem, ſed non reformatos habent, præſunt priores *clauſtrales*. Ceteri officiales clauſtrales in ſingulis domibus ab abbate vel priore *clauſtrali* inſtituuntur, & pro lubitu removentur. Hæc intelligenda ſunt de *prioratibus conventualibus* (3); non de ſimplicibus, qui monaſteria eſſe deſierunt.

mendicantium generales,

V. Mendicantium ordines ſinguli ſingulis generalibus parent; Franciſcani *miniſtrum*, Dominicani *magiſtrum*, ceteri *priorem* vocant (4); qui olim ſoli univerſos ordines rexerunt. Poſt ſingulis domibus ſinguli priores dati ſunt, quos Franciſcani *Guardianos* appellant. Quum domus brevi tempore immenſum creſcerent, ſecun-

(1) De his monaſteriis a *nominatione regia* exemtis plenius agit CHOPPINUS *in monaſt. lib.* 1. *tit.* 1. eiſque addit familias *Cæleſtinorum*, *S. Trinitatis*, *Mendicantium*, & maxime eorum, quorum officia ſunt temporalia ex inſtituto ordinis.

(2) Durant adhuc in Gallia commendæ *monaſteriorum*, quæ in perpetuum commendantur *clericis ſæcularibus* utplurimum. Hac commendatione hi quidem quoad titulum abbates fiunt, juriſdictionem tamen nullam in monachos de moribus Galliæ exercent, (ſi cardinales exceperis,) ſed hæc *priori Clauſtrali* (qui loco *abbatis* eſt, ejuſque vices gerit) debetur. Hic enim ob votorum emiſſionem & profeſſionem ad regimen monaſterii habilis eſt, non item *abbas*, qui ut plurimum *clericus ſæcularis*, ſine profeſſione & voto, & ſic tantum abbas non intuitu regiminis monaſtici, ſed redituum monaſterii eſt. ESPEN. *P.* 1. *jur. eccleſ. tit.* 31. *c.* 7. *§.* 45.

(3) Priores *conventuales* ſunt capita monaſteriorum ex inſtituto ordinis, quales habent Carthuſiani, Cœleſtini, aliique. Hæc monaſteria ſi commendantur, reguntur per *priores Clauſtrales*.

(4) Ab *abbatum* appellatione abſtinuere, quorum vitam luxurioſam, & plus juſto ſplendidiorem, imo omni humilitati repugnantem reformidabant, atque rectoribus monaſteriorum fugiendam judicabant. Et ne *nomen* mores ſucceſſorum eodem inficeret luto, illud tolerare inter ſe noluerunt.

(a) *Tit. 6. de elect.*

ecurdum *provincias* diſpartitæ ſunt, & ſingulis provinciis *miniſtri* ſeu *priores provinciales* præfecti. Atque hi officiales omnes eliguntur. Quorumdam ordinum generalis ad dies vitæ; quorumdam ad certum tempus conſtituitur: nec eadem omnibus conventuum generalium tempora. In his eligitur generalis; eliguntur reliqui generales officiales: in conventibus provincialibus provinciales & priores vel *Guardiani* (1), qui deinceps ipſimet *clauſtrales officiales* conſtituunt. *Provincialis* religioſos provinciæ e monaſterio in monaſterium pro arbitrio transferre poteſt, & *generalis* e provincia in provinciam, uni papæ ſubjectus. Generales aſſidue Romæ degunt, qui in Francia *vicarium*, natione Francum, habent, ne regis ſubditi ab *homine extraneo* e regno evocentur. Ad hunc modum mendicantes in univerſum reguntur, quem pleique religioſi recentiores æmulantur. Jeſuitis tamen aliud placuit.

Jeſ vitarum monarcha eſt generalis.

VI. Qui quum in electionibus & ſæpe repetitis conventibus generalibus factiones & ambitum gliſcere, multaque diſſidia inde per totum ordinem ſpargi viderent; *monarchicam* regiminis formam deperierunt. Summa enim ſemper & ubique penes generalem eſt auctoritas (2) (*a*). Ille tentat laudatque, qui ſocietati ſemet adjungere cupiunt. Ille ejicit, quos parum judicat idoneos. Ille cuncta diſtribuit munera. Habet enim unaquæque domus *rectorem*, procuratorem, miniſtrum & quoſdam alios officiales. Provincialis prope intuetur plures unius provinciæ domus. Generalis plurimum officia illa confert ad triennium, quod arctare & prorogare poteſt. Fundationes quoque acceptat & omnes contractus ſocietatis firmat; alienare tamen nequit ſine conſenſu conventus generalis, qui raro cogitur, ſed eligendi generalis cauſſa neceſſario convocandus eſt.

Equitum Melitenſium magnus magiſter.

VII. Plurima ſingularia in *ordinibus militaribus*, ſi vel ſolos equites *Joanniticos* ſeu *Melitenſes*, qui ceteris ſunt notiores, ſpectes. Non plures illis domus uni capiti parentes; ſed una domus, cujus membra ſunt per omnem orbem Chriſtianum diſperſa. Ob utilem bello ſacro navatam operam plurima prædia, templariorum ſpoliis aucta, nacti, ad horum adminiſtrationem emittunt, quos *commendatores*, i. e. *depoſitarios* vel *adminiſtratores* (3) vocant: quorſum etiam ſpectat *Ballivii* (4) vocabulum. In ſingulis provinciis *priorem* (5) habent, qui pinguiſſima

(1) Diverſa hæc ordinum inſtituta & regiminis jura plenius exponit PASSERINUS *de election.*

(2) Primus eorum generalis cum *abſoluta poteſtate*, ipſe ordinis conditor, IGNATIUS fuit, Romæ electus, a patribus hujus ſocietatis ex omni Italia collectis, ſub cujus præfectura monarchica tantos fecit progreſſus, ut intra paucos annos ſocietas in *duodecim provincias* diviſa fuerit. Equidem Generalis in regimine quinque *generalibus aſſiſtentibus* ſtipatus eſt, ſed hi ſuffragium non ferunt deciſivum, ſed conſultativum: vid. *hiſtoire du clergé tom. III. pag.* 113.

(3) Hæc vero *commendatio* & *adminiſtratio* non communis, ſed *qualificata* eſt, cum perceptione redituum conjuncta. Scilicet ab initio hic ordo mere *monaſticus* fuit, mox ejus ſodales ad formam *templariorum* efformati *militiæ* operam dederunt, & ſic magis *laici* quam *clerici* fuerunt. Inde dubitatum fuit, quo jure bona ordinis poſſidere eiſque frui poſſent, quæ *eccleſiaſtica* cenſebantur? Promta fuit deciſio, jure *tituli* eos hæc bona poſſidere non poſſe, eo modo ſolis *clericis* conferenda; bene tamen jure *commendæ*, quo etiam per illud temporis ſpatium monaſteria & prælaturæ laicis conferebantur. Inde his præbendis militaribus inditum nomen *commendaturarum*, quæ tamen ad inſtar ceterorum *beneficiorum* cenſentur.

(4) Balivius *præfectum* denotat, qui provinciæ præeſt, inde ipſa *provincia* Balivia dicitur; quia ordo hic in octo *nationes*, quas *linguas* vocant, diviſus eſt, ſub quibus ſunt Prioratus, Baliviæque.

(5) Ratio denominationis deſumta eſt ex moribus monaſticis. Habuere ab antiquo ſub ſe monaſteria plures *prioratus*, quos *obedientias* dixere, in quibus reſidebant pauci monachi ſub *priore*, redituum imprimis colligendorum gratia. Qui in ſingulis linguis *priores* conſtituuntur, iidem a capite ejus dependent, & ab initio unice *bonorum* cauſa conſtituta ſunt.

(a) *Conſtit. Soc. Jeſ. part.* 9. *c.* 3.

ſima provinciæ commenda gaudet. ac nonnumquam equitum provincialium conventus cogit. Uno omnes ſuperiore reguntur, *magno* videlicet *magiſtro*, qui Melitæ degit, totius communitatis metropoli. Ibi inſtar habet principis abſoluti; Papam tamen reverenter colit. Electioni dignitatem debet, non niſi cum ſpiritu dimittendam. Conſilium habet maximorum ordinis miniſtrorum & *balliviorum* ſeu *priorum* conventualium, qui omnes cruce maiore diſtinguuntur. Membra ſunt, vel capellani, vel equites vel fratres ſervientes. *Equites* oportet patrum, avorum, proavorum, abavorumque cum paternorum tum maternorum equeſtrium imagines oſtendere (1). *Fratres*, in quibus nec plebeii rejiciuntur, partim armis, partim officiis admoventur. Quilibet equitum alium adſciſcere poteſt, ſed a concilio provinciali confirmandum; nec niſi majores XXV. annis, & meritis in ordinem clari, ad profeſſionem religioſam admittuntur. Quum ad *commendas* obtinendas annis in militia exacti ſuffragentur; innumeri ſunt, qui ſine commendis degunt. Hi ſi in inſula degunt, in *hoſpitio ſuæ nationis* gratis aluntur; ſin minus, nihil accipiunt. Unde a parentibus & agnatis penſiones petere poſſunt.

CAPUT XXVIII.

De Religioſis Virginibus & Eremitis.

Virgines

I. FEminæ religioſæ reguntur ad modum *religioſorum*, (2) quorum regulam, quantum per ſexus imbecillitatem licet, ſequendam animum induxerunt: ratione arctioris cuſtodiæ & virilis imperii potiſſimum ab iſtis diverſæ. Primis temporibus virgines etiam eæ, quæ ſolemni ritu ab Epiſcopo conſecratæ, privatis in ædibus habitarunt, ſola virtute cuſtoditæ. Poſt gregatim vixere, donec arctiſſime occludendæ viderentur.

occluſæ

II. Igitur non niſi extrema neceſſitate urgente, incendium, peſtilentiam, hoſtem eluſuræ, vel aliam domum excitaturæ, aut inſtauraturæ, & his ſimilia auſuræ, ubi tamen ſcripta Epiſcopi venia opus eſt, e monaſterio excedere poſſunt (*a*). Mendicantibus permittitur ſtipem colligere. (*b*) Ne ſecretior vita turbetur, ſub pœna excommunicationis nemini (3), ne feminis quidem, ad eas penetrare licet (*c*). Monaſteria ruri incurſionibus expoſita in *civitates* transferre viſum. Habent *oratoria*, in quibus *venerabile & ſacrum oleum* cuſtoditur, & ſacra peraguntur. Cum exteris non niſi per tranſennam loquuntur, nec niſi per rotam quidquam edere aut accipere poſſunt. De quibus regulæ & conſtitutiones peculiares ſunt conſulendæ. Tanta circumſpectione imbecillitati ſexus ſuccurrere viſum, ut, quas pudor non poteſt, illas neceſſitas in officio contineat (4).

III. Ad

(1) Unde *ſedecim majores* naſcuntur ſecundum ſchema *tomo II. jur. Eccleſ.* præfixum. Præterea in Germania non aliis commendaturæ conferendæ, quam *Germanis*, ut diuturna obſervantia evictum eſt.

(2) Et in plurimis inſtituta virorum ſequuntur. Nam etiam in monaſteriis monialium ſunt *ſorores laicæ* ſeu *converſæ*, miniſterium corpore præbentes: & *ſorores choriſtæ* ſacris quotidianis inſervientes, quæ utplurimum illas a *conventu* & ſic quoque ab electione abbatiſſarum excludunt, vid. PELLIZZARIUS *de monial. c. X. n.* 89. Viliores habitæ ſunt ſororibus choriſtis, quæ ex ambitione quadam ſibi prærogativam quæſiverunt, id quod ſoli conſuetudini attribuit PELLIZZARIUS.

(3) Multo minus eas violare earumque pudicitiam attentare licet, id quod novam *ſacrilegii* ſpeciem conſtituit, illuſtratam a TAMBURINO *de jure abbatiſſ. & monial. diſp. XI.*

(4) Hæc ratio *veritati*, parum vero *rationi* & *regulis chriſtianiſmi* conformis eſt. Vita monaſtica unice propter *ſanctimoniam vitæ* eligitur & ſuſcipitur. Qualis vero

(a) *C. periculoſum X. de ſtatu regular. in 6. Concil. Trid. ſeſſ. 25. Ref. c. 5.*
(b) *Statut. Bleſ. art. 31.* (c) *Concil. Trid. ibid. ſtat. Bleſ. art. 4.*

III. Ad *verbi divini & ſacramentorum* adminiſtrationem virorum induſtria opus eſt. Eligunt ergo *ſacellanos*, qui ipſis a confeſſionibus ſunt, & ab epiſcopo probandi. Eligunt & *prædicatores*. Quotannis ter quaterve confeſſionarii extra ordinem mittuntur, (1) quibus conſcientiam liberius nudare valeant (a). *habent ſacellanos, confeſſores,*

IV. Parent *ſuperioribus & obediunt epiſcopo*, ſaltem, ſi exemtæ ſunt, qua pontificis delegato, qui ſingulis monaſteriis presbyterum, vel ejuſdem ordinis, vel ſæcularem, viſitatorem attribuit. Quæ in congregationes coiere, veluti Ciſtercienſes & mendicantes, reguntur ab horum ordinum monachis, &, epiſcoporum auctoritate ſpreta, *ſuperioribus* parent *generalibus*. *ſuperiores*

V. Interiora monaſteriorum ſi ſpectes, duorum generum ſuperiores habent; perpetuas alteras, alteras triennales. *Illius* generis ſunt *abbatiſſæ*, quarum poteſtas ex veteri inſtituto non niſi cum ultimo vitæ halitu exſpirat. Quæ olim electæ (2), hodie æque ac abbates, a rege nominantur (3). Quod jus cum *concordato* non nitatur, pontifex in literis confirmatoriis memorat, regem *commendaſſe*, majoremque conventus partem ſuffragiis ſuis ornaſſe hanc virginem: ut veteris electionis umbra colorque ſervetur. *abbatiſſas*

VI. *Hujus* generis ſuperiores, quæ vel abbatiſſæ, vel prioriſſæ vel aliter audiunt, vetera monaſteria reformata, & recentiores, etiam mendicantium, congregationes habent. Abbatiſſas *perpetuas* facilius ad vitium inflecti, atque ad imperium ſororibus grave impelli, compertum eſt. *Triennales* omnes eliguntur ſecretis ſuffragiis, præſente viſitatore, qui ad clatros appoſitus præſenſque electionem confirmat.

VII. Eligendæ ſunt XL. annos natæ & VIII. profeſſæ, vel minimum XXX. natæ & V. profeſſæ (b). Noſtro jure eliguntur, quæ vel X. annos profeſſæ, vel VI. annos officio quopiam clauſtrali functæ ſunt. Eliguntur præterea IV. aut VI. matronæ, annis & moribus graves, quæ ſuperiori in minoribus conſilium adſunt; de *majoribus* enim omnes conſultant. *Minora* officia janitricum, valetudinariarum, cellariarum, theſaurariarum a ſuperiore conferuntur, adimuntur, aut ſaltem cum ea exſtinguuntur.

VIII. In recipiendis virginibus ob ſexus infirmitatem ſumma cautio, ut voluntati integra conſtet *libertas* (4). Qui metu vel impellunt nolentes, vel volentes deterrent, in eos excommunicationis fulmen vibrant patres Tridentini (c). Antequam inveſtiuntur & ad profeſſionem admittuntur, a ſuperiore monendus *quo ritu recipiantur,*

vero devotio aut pietas ab his puellis ſperari poteſt, quas *pudor* non deterret, ſed *neceſſitas* conſtringit? Reluctantes hæ devotæ vivunt, quia ita vivere coguntur. Dimittendæ tales magis eſſent, quam vi ad votum ſervandum cogendæ.

(1) Quæ vero præcautiones circa confeſſionarios obſervandæ ſint, exacte rurſus tradit TAMBURINUS *cit. l. diſp.* 16.

(2) Poſt electionem, ſolemni *benedictione* inaugurantur, ſecundum ritum præſcriptum in *pontificali p.* 170. In hoc *p.* 184. illa notabilis regiminis monaſtici formula occurrit, quam recitat pontifex, poſtquam eam in ſede collocaverit: *accipe plenam & liberam poteſtatem regendi hoc monaſterium & congregationem ejus, & omnia quæ ad illius regimen interius & exterius ſpiritualiter & temporaliter pertinere noſcuntur.*

(3) Si exceperis Franciſcanæ ſectæ muliebria monaſteria, quæ a *nominatione regia* exemta ſunt, uti ex rebus judicatis probatum dedit CHOPPINUS *in monaſt. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 11.

(4) Datur tamen etiam profeſſio *coacta*, poſtquam vita monaſtica quoque inter *pœnas* relata. Quis ignorat, JUSTINIANUM in *Nov.* 134. *c.* 10. adulteram monaſteriis poſt fuſtigationem addixiſſe, ita, ut ſi poſt biennium maritus eam recipere nolit, invita tonderi & ad profeſſionem monaſticam cogi poſſit, ad *perpetuam pænitentiam* agendam.

(a) *Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *Ref. c.* 10.
(b) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 7. *C. indemnit. X. de election. in* 6.
(c) *Seſſ.* 25. *Ref. c.* 10.

nendus eſt epiſcopus, ut vel ipſe de vocatione initiandæ judicet, vel presbyterum deleget, qui vel per clathros vel extra clathros, prout uſus fert, cum ea colloquatur. Nonnumquam *Epiſcopus*, ſæpe *ſuperior*, plerumque ejus loco *presbyter* (1) virginem velat ſolemniaque vota ritu ſingulorum monaſteriorum recipit.

& conſecrentur ?

IX. Differt hæc cærimonia a ſolemni virginum *conſecratione* (2), quæ fere in deſuetudinem abiit, noſtra tamen attentione digna, quum ex ea appareat, quo fine religioſarum profeſſionem receperit Eccleſia (*a*). Solus Epiſcopus conſecrat virgines XXV. annis majores die feſto aut ſaltem dominico, quas ſingulas privatim interrogat de cauſſa propoſiti, de ſtatu conſcientiæ, de vita anteacta: debent enim eſſe intactæ (*b*). Quibus præmiſſis, monaſterio egrediuntur, comitibus duabus anibus cognatione junctis, & Epiſcopo poſt prælectam epiſtolam & graduale miſſaticum offeruntur ab archipresbytero nomine totius Eccleſiæ, ut benedicantur, conſecrentur & Chriſto deſponſentur. Epiſcopus ter rurſus interrogat (3) ſingulas de propoſito ſanctiſſimo; quo facto proſternuntur & Litaniæ recitantur. Epiſcopus benedicit amictui, quem ipſæ induunt; *velum* autem ex ejus manibus accipiunt. Quibus præmittitur oratio de excellentia virginitatis, de conjugii impari ſanctitate, de præcipuis virginum virtutibus. Poſt velum *annulum* porrigit, quo Chriſto deſponſantur, & in ſignum hujus connubii coronam capiti imponit, precibus interſertis, quibus virginum officia & præmia immortalia celebrantur. Poſtremo diras imprecatur, virgines haſce vel bona earum violaturis. Hoc ritu peracta eſt ſolemnis illa veterum conſecratio virginum, cujus exempla ſæculum XIII. adhuc vidit (*c*).

Eremitæ hodierni.

X. De *eremitis* paucis dicendum. Hi vero non amplius ſunt monachi, diuturno uſu vitæ communis ſubacti, quales veteres illi Anachoretæ; ſed homines ſuopte ingenio ſeceſſum petentes, ubi vel ſinguli ſoli, vel bini ac trini inſtar *monachorum* vivunt (4). Epiſcopi eſt, diſpicere, num vera devotione ad hoc vitæ genus impellantur. Nam neutiquam ferendi ſunt, qui ſola ſpe impudentiſſimæ mendicitatis & impunitæ licentiæ in abdita loca rapiuntur: quorum innumera in promtu ſunt exempla (*d*).

CAPUT

(1) Non idem conceſſum eſt abbatiſſis, quæ puellis velamen imponere vetantur, *c. ſtatuimus* 3. C. 20. *q.* 3. quamvis alias quidam abbates ordines minores conferre queant. Juriſdictionem tamen, etiam territorialem, quædam in Germania, quatenus immediate imperio parent, exercent, cum voto in comitiis curiatim dando.

(2) Hujus *conſecrationis* ritus ſedulo explicat, ſimulque antiquos ordines refert EDMUNDUS MARTENE, *de antiq. Eccl. ritibus tom. III. lib.* 2. *c.* 6. Jura conſecrationis vero illuſtrat TAMBURINUS *cit. l. diſp. XXVII.*

(3) Prima interrogatio, ſi plures conſecrandæ, in genere ad omnes dirigitur: *vultis in ſanctæ virginitatis propoſito perſeverare*? ſingulæ reſpondent: *volumus*: deinde ſingulas ſeorſim in genua coram eo procumbentes interrogat: *promittis te virginitatem perpetuo ſervare*? Reſp. *promitto*. Denique rurſus omnes interrogantur: *vultis benedici*? Reſp. *volumus*.

(4) A monachis tamen hodiernis in eo diſtinguuntur, quod voto *paupertatis* ſeſe non adſtringant, & inde ad *teſtamenti factionem* admittantur. Sed ut plurimum, eremitis mortuis, certatur de paupere regno, nec aliud relinquitur patrimonium, quam ipſa *paupertas*, in cujus ſolatium hæc vita eligi ſolet, ut pinguiores eleemoſynæ iis obveniant.

(a) *Concil. Mediol. IV. an.* 1576. *n.* 11.
(b) *Pontif. Roman. de conſecrat. virg.*
(c) THOMASS. *diſcipl. part.* 4. *l.* 1. *c.* 60.
(d) *Concil. in Trullo c.* 41. 42. *Concil. Tolet. IV. c.* 5.

CAPUT XXIX.

De Privilegiis Clericorum.

I. PErſonæ, vel *clericatu* vel *profeſſione* religioſa Deo conſecratæ, ſemper præ ceteris Chriſtianis plura præcipua habuerunt, præſertim iis temporibus, quibus cum horum hominum *ſtatu* (1) excellens virtus individuo vinculo ſociabatur. Gaviſi ſunt præcipuis honoribus, reditibus, exemtionibus, aliiſque juribus utilibus. De his poſterioribus, quatenus vel in certis reditibus, vel in retributionibus, vel in oblationibus incertis conſiſtunt, potiſſimum agemus *Part.* 1. *Privilegia clericorum poſita*

II. Tanto majori honore ſunt habiti, (2) quanto magis honores fugiebant, demiſſionis animi & ſummæ caritatis ſectatores. Primis ſæculis Chriſtiani ad eorum genua provoluti, pedes exoſculati, benedictionem flagitantes, *patres*, *dominos*, *venerabiles*, *amabiles Deo*, *ſanctos* appellabant: quæ vocabula deinceps, frigeſcente affectu, dicis cauſſa uſurpata, & regulares etiamnum *domini*, *patres*, *reverentiæ*, vocantur, titulis Epiſcoporum olim & presbyterorum propriis (*a*). *in honore præcipuo*,

III. Eccleſiaſtici vulgo in *Eccleſiis*, omnibuſque ſacris pompis, primum locum occupant, laicoſque omnes antecedunt (3). In conventibus politicis *corpus clericorum* præit corpora reliqua omnia, quod in conventibus regni *generalibus* & diætis *provincialibus* cernitur. Corpora clericorum, veluti capitula & collegia regularium cum inter ſe, tum ad corpora ſæcularium relata, veterem conſuetudinem ſequuntur, quod etiam de ſingulis Eccleſiaſticis obſervandum, niſi vel ob *beneficium*, quod habent, vel ob *officium* altius aſcendere datum (*b*). Lites de hac re in pompis ſolennibus aliiſque publicis cærimoniis oborientes componit Epiſcopus (*c*). In Francia quidem Epiſcopus vitandi ſcandali cauſſa interloquitur, ſed quia hæ controverſiæ habentur pro cauſſis *poſſeſſoriis* (4), judex laicus decidit. Injuriæ his illatæ habentur pro atrocioribus, &, ſi reales ſunt, excommunicationem operantur, & eam quidem *reſervatam* (5) (*d*).

IV. Exem-

---

(1) Status enim eorum a *laicorum* ſtatu adeo diſtingui cœpit, ut aliud genus hominum eſſe viderentur. Sanctior & integrior vita olim eos diſtinguebat: nunc vero magis *ſtatus* talis, qui indicat laicos eſſe *filios* ſeu *parentes*; clericos vero magis patres ſeu *imperantes*.

(2) Hoc honore omnino mactandi erant, qui tanto ſtudio ſingulorum ſaluti invigilabant, vel ipſo PAULO monente, 1. *Tim. V.* 17. Id tamen negari nequit, ſingularem hanc venerationem in ſæculis corruptis ambitionem plerorumque inflaſſe, ut de laicorum ſtatu ſupprimendo unice cogitarent, ut jam tempore SEVERI mores epiſcoporum & presbyterorum corruptos taxet SULPICIUS SEVERUS *dial. c.* 21. Ipſa concilia magis ambitionis ſtudium in clericis promoverunt, quos ad humiliorem vitæ uſum incitare debebant, ut vel ex *Matiſconenſi concil. anno* 585. celebrato *c.* 15. manifeſtum eſt.

(3) Nam etiam in imperio noſtro comitia iis ſcamnum in latere dextro aſſignant, & diætæ provinciales primam iis locum ante comites concedunt.

(4) Non ſine ratione, quia in his controverſiis omne fert punctum *obſervantia*, quæ ex *uſu* & *poſſeſſione* trahitur. Inde expedit, remediis *poſſeſſoriis* magis quam *petitoriis* uti, & cum *poſſeſſio* juris eccleſiaſtici in ſolo *facto* conſiſtat, & in poſſeſſorio unice *quæſtio facti* excutiatur, etiam judici ſæculari integrum eſt, de ea judicare.

(5) Ut a ſolo pontifice abſolutio obtinenda ſit. Non enim ſimplicem *injuriam*, ſed *ſacrilegium* enorme committunt, qui violant clericos, ut INNOCENTIUS III. paſſim in *epiſt.* ſuis inculcat, ne quidem exceptis

(a) *Vid. tr. de morib. Chriſtianor. c.* 25. 29.
(b) *Vid. Memoir. du Clergè part.* 1. *tit.* 2. *c.* 5.
(c) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 13. (d) C. 16. q. 4. c. 29.

in immunitatibus IV. Exemtiones ſunt duplicis generis. Aliæ perſonas potiſſimum afficiunt, tenduntque ad tranquillitatem Eccleſiaſticorum, ut ſacris vacare poſſint: aliæ bona reſpiciunt. Quum enim ex publico aluntur & laborum præmia capiunt; juſtum eſt, ut hæc conſerventur, ne altera manu eripiatur, quod altera datum eſt.

perſonalibus, V. In perſonalibus princeps eſt exemtio a *juriſdictione*. Nam vulgo nulla perſona eccleſiaſtica coram *judice ſæculari* conveniri poteſt: qua de re *Part. III.* porro exemtio a *muneribus municipalibus*, a tutelis, curatelis, niſi quas ſponte ſuſcipiunt (*a*). Inde a Cypriani temporibus ſtatutum eſt, ſi quis clericum in teſtamento tutorem nominaverit, pro ejus anima ſacrificium fieri non debere (*b*). Debitorum cauſſa non in *vincula* conjici, (1) nec in res mobiles eorum, quæ ad cultum divinum deſtinatæ & ipſis neceſſariæ ſunt, *executiones* fieri poſſunt (*c*). Immunes ſunt a *militia*, ad quam olim ob feuda, quæ poſſident, tenebantur, niſi in *ſequela*: nec alios milites ſubmittere, aut pretio id onus redimere coguntur. Immunes ſunt ab *excubiis*, *vigiliis*, *militum hoſpitationibus*, (2) pœna capitis ſancita in eos, qui in domos presbyterorum, aut in domus certis beneficiis affixas, aut a clericis habitatas, irrumpunt hoſpitandi cauſſa. Prohibitum etiam conſulibus & ſcabinis, ne militi hujus rei cauſſa teſſeras hoſpitales ſcribant; ne quid pro redimendo hoſpitii onere, pro utenſilibus, militumque alimentis a clericis exigant; exacta reſtituant (*d*). Eadem ratione ab onere alendi militem, muniendi civitates, conferendi ad ſubſidia cujuſcumque generis exemti ſunt (*e*).

cenſualibus, VI. In terris, quæ onerantur in capita, immunes ſunt clerici, nec onerari poſſunt, ſi vel maxime beneficia vel ipſi percipiant, vel patrimonia habeant, decimaſque teneant. Quæ privilegia noviſſime parum penſi habita. Pleriſque in locis ſubjecti ſunt *tributo negotiatorio*, quum provinciarum præfecti decimas conductas pro officio æſtiment, & incolæ oneris partem in eos devolvant. *Beneficiati* unius tantum beneficii intuitu immunes ſunt.

realibus, VII. In terris, quæ onerantur ratione fundorum, fundi eccleſiarum æque ac nobilium immunes ſunt, & qui alienati ſunt, ſi ad eccleſiam redeunt, illico e *cataſtro* delentur. Sed hæc immunitas reſtricta eſt ad veteres fundos, quos Eccleſiæ poſſederunt, antequam *cataſtrum* invaluit (3). In terris, quæ oneri *ſalinario* ſubjectæ ſunt, Eccleſiaſticis parcitur, nec domus eorum, prohibiti ſalis ergo, perquiruntur. Nec vini, quod ipſi ex fundis ſive patrimonialibus ſive beneficiariis hauriunt, *cenſum*; nec ſi id per averſionem vendunt, *viceſimam*; nec ſi ſigil-

---

ceptis parentibus, filios ſuos clericos verberantibus. HARDUIN. *tom. VI. P. 2. concil. p.* 1260. Videlicet clerici dicuntur *ſpirituales*; ſicuti vero rerum *ſacrarum*, ita quoque *perſonarum ſpiritualium* læſio ſacrilegium conſtituit.

(1) Quid vero ſi pacti adjecti indoles hoc poſtulet? Quid ſi ſub *pacto obſtagiali* vel' in *literis cambialibus* ſeſe obſtrinxerint? Rectius uſus utriuſque juris iis interdicitur ſub pœna, uti paſſim factum eſt: hoc non facto, vix a vinculo carceris liberari poſſunt, quippe quod in ejuſmodi obligationibus plane ſingularibus neminem facile excipit.

(2) Olim tamen non aliter, quam ſi ſpeciali privilegio eſſent muniti, quod formulæ diplomatum antiquorum teſtantur.

(3) Si fundos acquirit eccleſia, oneribus jam ſubjectos, eos non aliter quam cum ſua cauſa acquirere poteſt, quia grave reipubl. afferretur præjudicium, ſi prædia ab eccleſia acquiſita mox tributis liberarentur.

(a) *l. 52. C. de Epiſc. & cler. C. 16. q. 1. c. 40.*
(b) *Cyprian. ep. 1. al. 66. diſt. 88.*
(c) *Stat. Bleſ. art. 57.*
(d) *C. 4. X. de immun. Eccleſ.*
(e) *C. 29. C. 7. eod.*

ſigillatim, *octavam* vel *quartam* ſolvunt (1). Et iſta quidem ſumma eſt privilegiorum, quibus Eccleſiaſtici in Francia gaudent, potius, minus, pro temporum & locorum diverſitate: quod uſu addiſcendum. Communitates autem religioſorum & religioſarum corporibus Eccleſiaſticis annumerantur.

(1) Ex ipſis rerum argumentis, legibuſque regni Galliæ illuſtrat HENRICURTIUS *dans les loix eccleſ. dans leur ordre naturel. p. 655. ſeqq.*

INSTITUTIONUM

JURIS ECCLESIASTICI.

PARS ALTERA.

CAPUT I.

De Anno, diebus Feſtis & Abſtinentiis.

I. SAtis de perſonis: nunc ad res, quæ ſunt alterum juris Eccleſiaſtici objectum, deveniendum. Res ſunt vel *ſpirituales* vel *temporales*. *Spirituales*, quæ recta diriguntur ad animarum ſalutem, ut ſacramenta, ut prædicationes, preces, ritus ſacri (1). *Temporales* ſunt, quæ ad ſuſtentationem clericorum & pauperum, ad jugem ignem, ad cetera, ſine quibus publicus cultus peragi nequit, deſtinatæ; ut decimæ, oblationes, reditus ex beneficiis (2). Sunt etiam res *ſacræ* ſpiritualibus inferiores, (3) temporalibus potiores, ut vaſa ſacra, ornamenta ſacra, ædes ſacræ, cœmeteria. De ſingulis ſigillatim. *Rerum diviſio.*

II. De ſpiritualibus acturi non dicemus de *gratia*, *fide*, *caritate* ceteriſque virtutibus, quæ ſunt animæ religionis Chriſtianæ; ſed de iis, quæ incurrunt in ſenſus, & de quibus in judiciis lites agitari poſſunt. In his familiam ducit *officium divinum*, quandoquidem epiſcopo ante omnia diverſi generis preces publicas commendat Paulus (*a*). *Res ſpiritualis.*

III. Di-

(1) Diſtinguendum tamen eſt inter *res ipſas* & earum *ordinem* jure eccleſiaſtico introductum. Hic proprie *jura* conſtituit, ad juris eccleſiaſtici prudentiam ſpectantia, jure humano introducta, & rectius *eccleſiaſtica* quam *ſpiritualia* vocantur. Sed iure canonico quicquid *juris eccleſiaſtici* eſt, per abuſum *ſpiritualibus* accenſetur. Obſervat Auctor ipſemet in §. *ſeqq.* ſe magis de *ordine*, quam de *rebus* ipſis *ſpiritualibus* acturum eſſe.

(2) Quia tamen propter *ſpirituales* h. e. clericos introductæ ſunt, & *eccleſiarum* acceſſorium; a pluribus inter res *ſpirituales* referuntur ex abuſu jam notato. Nihil notius eſt, quam *oblationes* & *decimas* rebus accenſeri ſpiritualibus, & inde ipſis in conciliis contra laicos argumenta deſumi: vid. FILESACCUS *de ſacrilegio laico*.

(3) Parem tamen fere virtutem cum *ſpiritualibus* habentes ob *conſecrationem*, quæ iis virtutem ſpiritualem attribuere creditur.

(a) 1. *Tim. II. 1.*

Caput anni eccleſiaſtici.

III. Divinum officium pro dierum diverſitate per ſingulorum annorum decurſum eſt diverſum (*a*). Anni *eccleſiaſtici* caput non eſt Januarius, qui anni *civilis*; ſed *December*, & quidem dominica *adventus*, quæ eſt inſtar præparationis (1) ad *feſtum nativitatis dominicæ*. Ea proxima eſt ad anniverſarium Sant-Andreanum, quod XXX. vel ultimo Novembris die celebratur, inciditque vel in triduum præcedens vel in triduum ſubſequens, in tempus ſcilicet, quod inter XXVII. Nov. & III. Dec. interjectum; verbo, in primam dominicam, quæ eſt a tergo vigeſimi ſexti Novembris. Ob mutationem *literarum dominicalium* hoc inſtituto opus fuit, ut Adventui tres hebdomadæ integræ & quarta ſaltem inchoata detur.

Paſcha

IV. Dierum feſtorum celeberrimus eſt *paſchalis*, e quo pendent reliqui *mobiles* omnes; inde dicti, quod certis temporibus affixi ſunt. Paſcham præcedit *jejunium* quadragesimale, ad quod præparantur animi tribus hebdomadibus proxime antecedentibus, quarum caput eſt dominica *ſeptuageſima*, quæ eſt inſtar novi principii anni eccleſiaſtici. Paſcham quadraginta diebus *adſcenſio Domini*; quinquaginta, *Pentecoſte* ſubſequitur. Ceteræ dominicæ uſque ad Adventum & ab Epiphania uſque ad Septuageſimam numeris diſtinguuntur. Ergo in figendo die Paſchali præcipuus labor.

quomodo figenda?

V. In quo duo præcipiuntur, ut ſit *dominica*; ut ſit ea, quæ decimum quartum lunæ Martii proxime inſequitur: in quo non calculus *Aſtronomicus*, ſed *Eccleſiaſticus* ſequendus, qui non ſemper ad curſum lunæ apparentem directus eſt. Dominica ideo, eo quod Jeſus Chriſtus poſtridie Sabbathi, primo die hebdomadis, quo mundus creari cœptus, ex inferis redit. Dominica illa quantocyus poſt XIV. lunæ Martii h. e. poſt *Plenilunium* proximum æquinoctio vernali, ex inſtitutione primæva, quæ in XIV. illum diem incidit, (*b*) celebranda eſt; ſed non ipſo illo die XIV. etiamſi ſit *dominica*, quia conſtat, Chriſtum poſtridie Paſchæ Judæorum ab inferis fuiſſe ſuſcitatum: unde Paſcha noſtra non poteſt incidere in Paſcham Judæorum. Tribus prioribus ſæculis plures Eccleſiæ ex inſtituto Hebræorum ipſo XIV. Paſcham celebrarunt (2). Qua de re magni fluctus orti, quos compoſuit concilium Nicænum, damnataque obſervantia Hebræorum dominicam elegit (*c*).

olim difficile.

VI. Sed quum annus Aſtronomicus annum civilem, quo utimur, horis V. minutis XLIX. ſuperet; VI. horas completas computare placuit, ut quaternorum annorum, ultimo, qui biſſextilis eſt, dies integer intercalari poſſet, neglectis XI. illis minutis, quæ annus Aſtronomicus non habet. Sed ex his minutis duodecim ſæculorum ſpatio X. dies nati, qui Novilunia præcipitarunt. Qua de cauſſa an. 1582. GREGORII XIII. auctoritate faſti emendati, quibus, quoad ejus fieri poterat

(1) Sicuti ante Paſcha ab antiquo *quadrageſimale jejunium* receptum eſt, ita ſimile jejunium ante Nativitatem Chriſti a multis retro ſeculis *in adventu* obtinuit. Ejus initium olim a feſto S. MARTINI repetebatur, & per XL. dies ſervabatur juxta *capitul. regum Franc. lib. VI. c.* 187. ut adeoque olim laxius ſpatium *adventus domini* habuerit. MARTENE *de antiq. eccleſ. diſcip. in divin. offic. celebr. c.* 10. Videlicet quia Chriſtiani annos ab *incarnatione Chriſti* computarunt, in *ritualibus* divina officia inde auſpicanda fuerunt, initio facto ab *adventu Domini*, tanquam tempore, feſto natalis domini deſtinato, ejuſque præparationi inſerviente.

(2) Maxime in Aſia minore, traditione quadam ſuffultæ, a S. JOANNE Apoſtolo hanc obſervantiam ſibi præſcriptam eſſe. Traditione prorſus contraria, a S. Petro deducta, nitebatur eccleſia Romana cum aliis occidentalibus, quæ tamen hac in controverſia parum momenti habere poterat, cum neutra eccleſia traditionem prætenſam probare potuerit.

(a) Vid. *rubric. breviar. & miſſalis*.
(b) *Exod. XII. 6.*
(c) ATHANAS. *de Synod. p.* 873. EUSEB. *de vita Conſtant.* 3. *c.* 18.

terat, ſimili errori in poſterum obviam itum. Soluto Nicæno concilio patriarcha Alexandriæ, ubi Aſtronomorum principes floruere, quotannis diem veram indagavit, eamque Romano patriarchæ; Romanus longinquioribus ſignificavit Epiſcopis, *literis*, quæ a re *paſchales* appellatæ, (*a*) & ſolemni more in ſingulis cathedralibus ab archidiacono publicatæ, qui dominica *Epiphaniæ* indicavit omnia feſta mobilia (1) (*b*). Poſt reformationem Gregorianam ex faſtis perpetuis & calendariis, quæ ſingulis annis evulgantur, nemo non exactiſſimum cum anni civilis, tum eccleſiaſtici, ordinem addiſcere poteſt.

VII. Sunt feſti dies, omnibus per totum orbem Chriſtianum & omni tempore ſacri, ut Paſcha, Pentecoſte, dominicæque omnes; item jejunium quadrageſimale & *abſtinentia anteſabbathina*, (2) idque veteri traditione, quam ab apoſtolis profectam autumant (*c*). Ceteri maximam partem nec ſemper, nec ubique obſervantur, quippe a certis Epiſcopis certis populis traditi: Sic ſingulæ provinciæ celebrant *anniverſaria ſanctorum*, qui in iis plantarunt Eccleſiam, aut quorum reliquiis gloriantur. Sic ex certis cauſſis in certis locis vigent feriæ aut jejunia, ceteris omnibus ignorata. Summa hujus doctrinæ eſt, ut ſuæ quiſque in his rebus Eccleſiæ inſtituta moremque ſequatur (*d*).

Dierum feſtorum & feriatorum differentia.

VIII. Sunt *feſti* dies, qui in Eccleſia ſolum diverſo *officio* celebrantur; ſunt & *feriati*, veluti dominici, quibus nec ſerviles labores, nec cetera negotia expedienda, nec in ſacris aut ſæcularibus tribunalibus actus judiciales ſuſcipiendi, nec nundinandum aut commercandum (*e*). Sancte in his verſandum, nec ferendum, ut commeſſationibus & tripudiis tranſigantur (*f*). Urgente neceſſitate, veluti ſi fruges ingenti periculo expoſitæ, aut optima piſcandi occaſio, Epiſcopus veniam metendi & piſcandi diebus feſtis, imo etiam diebus dominicis, licet de jure divino (3) feriatæ ſint, concedere poteſt, quandoquidem Chriſtus auctor eſt, ſabbatum homini, non hominem ſabbato datum. (*g*)

Illi officio, hi ceſſatione a laboribus celebrantur, quam remittere

IX. Idem dicendum de *jejuniis* & *abſtinentiis*, a quibus epiſcopi ſingulos ex juſta cauſſa liberare, & *curatis* eamdem poteſtatem intuitu ægrotantium conferre poſſunt (*h*). Nonnunquam ob annonæ difficultatem univerſæ diœceſi indulgetur.

& ab abſtinentiis liberare poteſt epiſcopus.

---

(1) Er præterea etiam, diem ſynodo Diœceſanæ præfixum, inter ipſa feſta publicavit hac formula: *dominica ſecunda paſcha Diœceſana ſynodus habebitur*, quæ itidem propter ſynodum ſolennis erat, & *feſtis mobilibus* annumerabatur.

(2) Recte Auctor abſtinet ab appellatione *jejunii*, vocabulo *abſtinentiæ* uſus; feria enim VI. non tam jejunatur, quam abſtinentia a certo ciborum genere ſervatur, quæ duo antiquitus diſtincta fuere. Ceterum hæc *abſtinentia* ab ævo apoſtolico deduci nequit. Tempore TERTULLIANI *ſtationes* feria IV. & VI. ſeu *ſemijejunia* ſervabantur, ſed ex *libertate*, ipſo teſte *de jejun. c. XIII.* Paulatim libertas priſca, accedente conſuetudine, in *neceſſitatem* converſa, ſine omni tamen præcepto apoſtolico, ut fatentur AUGUSTIN. *in epiſt. ad Caſul.* & SOCRATES *lib. V. hiſt. eccl. c.* 22.

(3) Id tamen patres primitivæ eccleſiæ non admiſere, Chriſtianos a feriis Sabbathi liberatos judicantes. v. JUSTIN. martyr. *in Dial. cum Tryph. p.* 226. EUSEB. *lib. I. hiſt. eccl. c.* 4. IRENÆUS *lib. IV. adv. hæreſ. cap.* 30. TERTULL. *adv. jud. c.* 4. *Solis* quidem *diem* celebrarunt, ſed unice 1. ex inſtituto eccleſiaſtico: 2. in memoriam reſurrectionis dominicæ, non ex ſubſtitutione hujus diei in locum Sabbati: nec tamen 3. judaico more. Unde multa Chriſtianis *die dominico* permiſſa ſunt, quæ judæis interdicta. IGNAT. *epiſt. ad Magneſ. concil. Laodic. c.* 49. & 51. conf. *c.* 12. *de conſ. D.* 3.

(a) LEO *ep.* 64. *al.* 94. *c.* 24. *D.* 3. *de conſecrat.*
(b) *Pontif. Rom. part.* 3. *init.* (c) *c.* 6. 7. *D.* 3. *de conſecrat.*
(d) AUGUST. *ep.* 34. 35. *ad Januar.*
(e) *C.* 15. *q.* 4. *c.* 1. *C. ult. X. de feriis.* (f) *c.* 2. *D.* 3. *ex concil. Tolet. IV.*
(g) MARC. II. 27. *C.* 3. *X. de feriis.*
(h) *C.* 2. *X. de obſerv. jejun.*

tur. Dominica tamen die nullum jejunium (1), nec die, Chriſti natalibus ſacro, etiamſi ſit *anteſabbatinus*: quod eccleſia latina ceteris feſtis non dedit (*a*).

CAPUT II.

De divino Officio.

Series precum publicarum, I. PReces publicæ, quarum ſeriem *officium* (2) ſeu *cultum divinum* appellamus, ex traditione apoſtolica inde ab eccleſiæ incunabulis obſervatæ, pro provinciarum diverſitate diverſum habitum induerunt. Clerici omnes & omnes monachi pſalmos *memoriter* cantarunt, & ordine libros ſcripturæ, diverſis temporibus aſſignatos, legerunt, ceteraſque cærimonias, in majoribus obſervatas, peregerunt. Multo poſt obſervantia illa in regulas monaſticas, veluti in regulam Benedicti, qua *c.* 8. 9. *ſeq.* longo ordine omnis ratio Pſalmodiæ enarratur, & in libros publicos (3) eccleſiaſticos, veluti in *pſalterium*, *lectionarium*, *antiphonarium*, *ſacramentarium*, alioſque, relata eſt, in quibus paucis verbis literiſque *rubentibus* precum geſtuumque comitum ordo modusque notantur. Unde natæ ſunt *rubricæ*, hujus rei unæ, eædemque fideliſſimæ, indices. Quas particulatim cum cunctis cærimoniis deſcribere, longum foret, & juſti voluminis opus. Summos ſaltem apices attingere juvat.

abſolvit officium, vel publice, II. Inſtitutum autem eſt divinum *officium*, ut publice cum cantu & omnibus cærimoniis rei convenientibus celebretur. Igitur in ſingulis diœceſibus ſaltem unus locus patere debet, quo populus ſingulis diebus & horis ſingulis pro ſuo quiſque affectu & otio confluere poſſit. Talia loca ſunt eccleſiæ *cathedrales* & *collegiatæ*. Clericos, quippe in nullam vitæ civilis partem vocatos, aſſidue publico officio intereſſe decet, &, ſi per negotia eccleſiæ utiliora impediuntur, ſaltem privatim eaſdem preces recitare tenetur (*b*).

vel privatim recitandum, III. Unde naſcitur omnium clericorum, qui in ſacris ſunt, aut beneficia tenent, obligatio ad recitandum *officium* (4). Juſtum enim eſt, ut ſaltem id dent eccleſiæ, ut pro populo, præſertim pro iis, qui per negotiorum multitudinem nec ſæpe, nec diu, precibus immorari queunt, Deum orent (*c*). Noviſſime hæc obligatio diſertis conſtitutionibus inculcanda videbatur, condemnatis beneficiariis

(1) TERTULLIANUS refert Chriſtianos nefas duxiſſe, die dominico jejunare, vel de geniculis adorare. Etiam judæis Sabbata ſunt dies *lætiſſimi*; jejunia vero *triſtes*, unde nec Sabbato indici poſſunt, quem morem primi Chriſtiani ſecuti videntur.

(2) Ex græcorum diſciplina hoc vocabulum natum, qui cultum divinum λειτουργίαν appellarunt, eumque potiſſimum in ardentiſſimis precibus, non tamen *ſtatis* & *formulariis*, collocarunt. Paulatim tamen ordo certus non tantum in precibus determinatus, ſed etiam *ſtatæ preces* conſtitutæ, quibus tota liturgia fuit abſoluta: vid. Dn. PFAFFIUS *de liturgiis*, JO. FRIDERICI *de liturg. vet. & nov.* FRIDERIC. SPANHEMIUS *tom. II. oper. p.* 930.

(3) Horum ſeriem in latina eccleſia recenſuere NICOLAUS PETRUS SIBERN *de libris latin. eccl.* & Dn. PFAFFIUS *de liturg.* Ordines antiquos recenſuit EDMUNDUS MARTENE *de antiq. eccl. rit.* RENAUDOT. *in collect. liturg. orient.*

(4) Inde uſus *quotidianarum miſſarum* ortus, recitandarum etiam remoto omni populo, cui prodeſſe exiſtimantur, quem tamen morem inſtituto primævo non adeo convenire palam eſt. Simili ratione *horæ canonicæ* olim erant *publicum officium*, quibus etiam laici intererant, paulatim tamen ad ſolos canonicos, monachorum æmulos, tranſiere, poſtquam idioma latinum, quo celebrantur, parum laicis prodeſſe poterat.

(a) *Diſt.* 30. *c.* 7. *C.* 1. & 3. *X. de obſerv. jejun.*
(b) *C. ult. D.* 29. (c) *c.* 2. *D.* 91. & 9. *C.* 1. *X. de celebr. miſſ.*

Digitized by Google

ciariis, qui negligentiores eſſent, ad ratam fructuum reſtituendam (*a*). In pleriſque eccleſiis ob donationes ob animam interſerenda ſunt officia ſeu Miſſæ extraordinariæ, quas eos, qui his gaudent, fideliter peragere decet. Sed quum per tot ſæculorum decurſum, accumulatis piis fundationibus, id inſtitutum vix exitum habere poſſit, Concilium Tridentinum (*b*) Epiſcopis permiſit Miſſarum numerum arctare, ita tamen ut benefactorum memoria ſemper recolatur. Id quod aula Romana reſtringit ad fundationes ante concilium Tridentinum factas, & in poſterioribus auctoritatem papæ deſiderat.

in qua ſequenda obſervantia eccleſiæ loci,

IV. In cantando officio *publico* ſequenda eſt obſervantia eccleſiæ, in qua cantatur. Sed qui *privatim* id recitant, neque ad horas, neque ad corporis diverſos geſtus, ingeniculationem, vel erectionem, adſtringuntur. Sufficit enim XXIV. horarum ſpatio integrum perſtringere officium (1). Præſtat tamen anticipare, quam rejicere preces (*c*). Hinc omnes horas minores mane, & matutinas pridie ejus diei ab hora quarta pomeridiana recitare, permiſſum. Multo tamen præſtat, horis, quoad ejus fieri poteſt, ſtricte inhærere, ne ſanctiſſimi inſtituti fructum perdamus, qui eſt, ut ſubinde in Deum defixi aliquo modo aſſequamur præceptum divinum de jugiter orando (*d*). In his utendum officio diœceſeos, in qua domicilium; niſi *Romanum* (2) præferatur, cujus uſus per omnem eccleſiam latinam permiſſus. Correctum illud eſt ex decreto concilii Tridentini (*e*), & ab omnibus novarum congregationum presbyteris receptum. Adoptatum eſt etiam a pluribus Franciæ provinciis ſervandæ uniformitatis obtentu; ſed revera ob librorum inopiam, & quod correctu eſſent difficiles (*f*).

quum diverſarum eccleſiarum ſint ritus diverſi.

V. Quum Chriſtiana religio non conſiſtat in cærimoniis, nec ipſe Chriſtus præter eas, quæ ad ſacramenta pertinent, alias præſcripſerit; quidquid harum eſt, ab apoſtolis & eccleſiæ paſtoribus accepimus: qua in re pro temporum & locorum diverſitate maxima cernitur diverſitas. Principio officium *linguæ* cujuſque gentis *vulgatiſſima* latiſſimeque patente, quæ in occidente *latina* erat, celebratum. Quum iſtæ linguæ a vulgi uſu procedente tempore receſſerint; eccleſia, novationum (3) inimica, nihilominus publicum earum uſum retinendum cenſuit. Major eſt in ritibus diſcrepantia, quibus tamen unitas eccleſiæ haud atte-

(1) Vocant alias *curſum canonicum* vel *quotidianum*, cujus recitatio quotidiana ex *Breviario* monachis & clericis incumbit, ſi non poſſunt *publico officio* intereſſe. Idem officium privatum peragunt ordines militares, quod ſtatum quodammodo monachorum habeant. MENDO. *de ordin. milit. diſquiſ.* 13.

(2) Intelligit Auctor *miſſale Romanum ex decreto SS. concilii Tridentini B. Pii V. P. M. juſſu editum, Clementis VIII. ac Urbani VIII. auctoritate recognitum*, quod Romæ, Patavii aliiſque locis editum eſt.

(3) Ratio hæc parum ſtringit. Equidem alii hanc adjungunt rationem, ut per *linguæ latinæ* uſum unio cum eccleſia Romana & veneratio erga *religionem* ſeu potius ejus antiquos ritus conſervetur. Ipſe tamen Auctor *tom. XIII. hiſt. eccl. in diſc. prælim. §. XXIV. in f.* parum hac ratione tangitur, ſed eleganter de hoc more ita ediſſerit: *quod reliquum eſt, parum me movent rationes, quas plurimi hodie allegare ſolent, ut ſcilicet veneratio erga religionem conſervetur. Cæca hac veneratio falſis religionibus convenit, fabulis & frivolis innixis ſuperſtitionibus. Eo major erga veram religionem veneratio erit, quo magis cognita, ſicuti in contrarium, poſtquam populus intelligere non potuit, quæ dicuntur in eccleſia, deſiderium eorum notitiam acquirendi depoſuit amiſitque, & in tanta fuit ignorantia, ut nequidem inſtitutionem ſibi neceſſariam eſſe exiſtimaverit. Qui autem naturali ingenii bonitate pollent, in iſta ignorantia facile eo prolabuntur, ut de iis, quæ tanta ſollicitudine abſconduntur, ſiniſtras cogitationes alant.* Judicium Auctoris etiam adprobat LUD. ELLIES du PIN *dans la Biblioth. eccl. tom.* XIX. *p.* 118.

(a) *Conſtit. Pii V. n. 135. 1571.* (b) *Seſſ. 25. Ref. c. 4.*
(c) *Gloſſ. in c. presbyter. X. de celebrat. miſſ. verbo perſolvat.*
(d) *1. Theſſ. VI. 17. Luc. XVIII. 1.* (e) *Seſſ. 25. in f.*
(f) *Concil. Burdigal. 1583. c. 4. Aquenſ. 1585. Narbon. 1609. c. 40.*

atteritur, quum nec doctrinam, nec mores afficiant (*a*). Sic Græci aliique Chriſtiani orientales *rituali* a noſtro diverſiſſimo utuntur; & pleriſque in Francia cathedralibus, immo & Benedictinis, proprii ritus & propria ſunt officia. Eſt hæc pars libertatis eccleſiaſticæ a Gregorio M. profecta, qui *l.* 12. *ep.* 31. §. 3. diſcipulo ſuo, Auguſtino, auctor eſt, ut optimum quoque, ſive ſit ex Romana, ſive ex Francicis eccleſiis hauſtum, Anglis præcipiat (1). Vetus præceptum eſt, ut in ſingulis provinciis unum ſaltem obſervetur officium, eccleſiæ ſcilicet Metropolitanæ proprium (*b*).

Mutari poteſt ab epiſcopo; VI. Singulæ preces & cærimoniarum ſeries, quum ſit tantum inſtitutionis humanæ, ex juſtis & gravibus cauſſis, mutari poteſt, v. gr. ut fabulæ aut ſuperſtitioſi ritus, ſi quos ſuperiorum temporum ignorantia invexit, eliminentur (*c*). Sed ſola *ordinariorum* auctoritate, quibus multo magis novationes impedire, eiſque reſiſtere licet; qui devotionis obtentu, ſive per ignorantiam ſive per lucri cupidinem, divinum cultum alterare, & in ſacris novo ritu ineptire audent. Si ex certis cauſſis, veluti ob ſterilitatem agrorum, ob inclementius cœlum, ob hoſtium incurſionem, aliaſque calamitates, itemque ob victoriam ab hoſte reportatam, aliaque divina beneficia, extra ordinem Deus vel exorandus vel laudandus eſt; epiſcopus formulas præſcribit, tempuſque, & locum & formam indicat: qua in re nulla *judicum ſæcularium* auctoritas, (2) quibus cognitiones cauſſarum, ad officium divinum pertinentium, inter dictæ ſunt. (*d*) De prædicationibus aliiſque inſtitutionis generibus *part. I. c.* 12. quantum ſatis eſt. Nunc de ſacramentis dicendum. *non a judice ſæculari.*

CAPUT III.

De Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia.

Baptiſmus in eccleſia baptiſmali I. Baptiſmus, extra caſum neceſſitatis, publice in eccleſia, (3) ubi ſunt fontes baptiſmales, ſolemni ritu ſuſcipiendus eſt. Olim ipſi infantes non niſi tempore Paſchali & Pentecoſtali ſolemniter ſunt baptizati: unde his diebus etiamnum fontibus baptiſmalibus benedici ſolet (*e*), Poſt infantum baptiſmus, ne ſalus eorum periclitaretur, dilatus non eſt: ſed adulti etiamnum ſolemnibus die-

(1) Nec tamen illud obſervavit fideliter, poſtquam etiam uſum latinæ linguæ in liturgiis conſervavit, quod etiam BONIFACIUS in Germania fecit. Idem obſervat AUCTOR *cit. l.* utrumque tamen excuſat, quod veriti fuerint, ne Angli & Germani ſe a reliquis Chriſtianis plane ſeparatos crederent, niſi latina lingua eos quoque cum illis uniret, primario vera cum eccleſia Romana, ut centro unionis eccleſiaſticæ. Enimvero forſan ipſemet animadvertit, hanc rationem parum ſtringere, hinc novam addit, ſcilicet admodum periculoſum atque laborioſum fuiſſe, ſcripturam ſacram ceteroſque libros liturgicos in linguam vernaculam vertere, ad quod meo judicio, hi inepti erant. Iia vero in ſuo converſionia negotio parum profecerunt, niſi ut numerum ſubditorum eccleſiæ augerent.

(2) Reges Galliæ tamen, reportata victoria, archiepiſcopo Pariſienſi per literas ſolennes injungere ſolent, ut publice per hymnum Ambroſianum Deo grates agantur laudeſque dicantur.

(3) Non tam loci eſſet habenda ratio, quam cœtus fidelium, adeoque expediret, ut, congregata multitudine ſacrorum cauſa, baptiſmus perageretur, & ſic aſſiſtente tota eccleſia baptizandus in ejus gremium reciperetur.

(a) *C.* 14. *X. de offic. jud. ord.* (b) *Diſt.* 1. *c.* 31. *diſt.* 2. *c.* 31.

(c) *Concil. in Trullo c.* 43. *concil. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 25. *in f.*

(d) *Mem. du Clergè part.* 1. *tit.* 2. *c.* 5. *nu.* 6. 7. 8. *c.* 4. *n.* 18. *&c.*

(e) *Cl. un. de bapt.* SIRIC. *ep.* 1. *ad Homer.* LEO *ep.* 4. *de conſecr. diſt.* 4. *c.* 11. 12. 13. *Rubr. Ritual. Roman.*

diebus ab ipſo epiſcopo, ſi pote, baptizandi ſunt. Ordinarius hujus ſacramenti adminiſter eſt parochus, vel presbyter ab eo delegatus. Et ob hanc ſpiritualem nativitatem potiſſimum eccleſiæ paſtoribus *patrum* nomen datum (1).

immerſione vel infuſione aqua naturali

II. Baptizandum autem aqua naturali, & vel per immerſionem vel per infuſionem. Infuſio hodie uſitata eſt, quum aquam capiti infundamus; ſed veteribus immerſio placuit uſque ad ſæculum XIV. (*a*) quæ exacte reſpondet *baptizandi* vocabulo, quod lavacrum ſonat, meliuſque exprimit myſterium baptiſmi, in quo una cum Chriſto ſepulti ſumus; ut ad exemplum ejus reſurgentes novam vitam vivamus (2) (*b*). Inter immergendum vel infundendum pronuntianda ſunt verba, ex inſtitutione Chriſti in eccleſiam recepta: ***Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti.*** Si ex juſtis cauſis dubium ſit de baptiſmo, veluti infantis expoſiti; adjecta conditione baptiſmus fieri poteſt, dicendo: ***Si non baptizatus es, ego te baptizo*** &c. ne baptiſmum iterare videamur (3). Quæ tamen conditio præter neceſſitatem adjicienda non eſt (*c*).

adhibitis ſponſoribus

III. Opus eſt autem patre vel matre, vel ad ſummum uno patre & una matre luſtrica, non pluribus, qui infantem baptizandum offerant (*d*). Nomen, quod aliquis e ſanctis, ab eccleſia agnitis, geſſit, imponant, pro eo ſtipulentur, educationemque curent; quos propterea bene inſtructos & maturis annis eſſe decet. Baptizari poſſunt furioſi, qui ante uſum rationis baptiſmum flagitarunt; ſed invitus (4) nemo baptizatur (*e*). Licet adulti per ſe reſpondere poſſint, habent tamen & ipſi parentes luſtricos. Eſt autem hic actus inſtar adoptionis, operaturque cognationem ſpiritualem.

a quolibet Chriſtiano adminiſtrari poteſt;

IV. Urgente neceſſitate, miſſis his ambagibus, baptiſmus ſola aquæ affuſione & verborum divinorum enuntiatione peragi poteſt a quacumque perſona, modo & ipſa baptizata ſit: niſi quod nemo ſemet ipſum baptizare poteſt (*f*). Interim ſi electioni locus, etiam hoc caſu dignior indigniori, veluti diacono presbyter, clericus laico, vir feminæ præferendus. Quibus exemplis non palliandus eſt mos ille perverſus, quo infantes, qui non periclitantur, aqua adſperguntur, ſimulatque nati ſunt, ipſo baptiſmatis ritu ex frivolis cauſſis, veluti dum parentibus luſtricis commodius ſit, in longius tempus rejecto (*g*).

non iterari

V. Qui inter hæreticos baptizati ſunt in nomine ſanctæ Trinitatis, ii ſacro oleo tincti, per manuum impoſitionem, vel ſolam fidei profeſſionem, recipiuntur in gremium eccleſiæ (*h*). Baptiſmus autem ipſe non iteratur, unum baptiſmum credentibus (*i*). Qui id facit (5), excommunicationem incurrit, & reba-

---

(1) Id quidem negari nequit; optandum tamen eſſet, ut in hac ſola ratione hæc appellatio ſubſtitiſſet, nec ſub appellatione *patrum* ſimul imperium in laicos affectatum fuiſſet.

(2) Hac de cauſa *orientales* adhuc uſum *immerſionis* ſancte conſervarunt, occidentalibuſque, quos *adſperſos* vocant, vitio dederunt, quod eum transformaverint.

(3) *Intentionem* in baptizante præciſe deſiderant, qua deficiente, baptiſmum non conferri ajunt, ex quo principio hæc *formula conditionalis* nata eſt. Sed recte dicitur in *c.* 16. *de conſecr.* D. 1. *non monſtratur eſſe reiteratum, quod neſcitur factum.*

(4) Ergo nec judæorum reluctantium liberi: facilius parentibus Chriſtianis imponi poteſt, ut liberos ſuos baptiſmo offerant, quem ex errore quodam differre intendunt ad ætatem adultiorem. Cum enim legibus eccleſiaſticis ſint ſubjecti, his quoque vivere debent, non animi ſui ſententiam ſequi.

(5) Multum tamen refert, utrum hoc fiat

(a) MARTENE *de ritib. l.* 1. *c.* 1. *art.* 14. *num.* 6.
(b) *Rom. V.* 24. *Coloſſ. II.* 12. (c) C. 110. 111. 112. D. 4. *de conſecr.*
(d) *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *R. c.* 2. (e) C. 3. X. *de baptiſm.*
(f) *c.* 24. *D.* 4. *de conſecrat.* (g) *c.* 4. *X. de baptiſm.*
(h) *c.* 44. *D.* 4. *de conſecrat.* (i) *Epheſ. IV.* 5.

rebaptizatus, ſi vel maxime per ignorantiam, irregularis fit (*a*). Baptiſmus tantum effectus ſupernaturales producit; ſed ſtatum hominis externum non mutat (1) (*b*).

æque ac confirmatio. VI. Nec confirmatio iteratur, cujus adminiſter ordinarius eſt epiſcopus. Adhiberi hic quoque poteſt pater luſtricus: quod tamen fere in deſuetudinem abiit (*c*).

Miſſa frequentanda VII. Euchariſtia dumtaxat inter ſacrum miſſaticum ritibus ab eccleſia approbatis conſecranda eſt. Hujus materia eſt *panis & vinum*. Ex traditione eccleſiæ latinæ vino paullulum aquæ affundendum, & panis azymus ſumendus eſt (*d*). Quemque fidelium, ſingulis diebus dominicis, & feſtis præceptis, toti officio aſſiſtere decet, & quidem in ſua parochia Miſſæ ſolemni, ut a paſtore ſuo doceatur, & preces ſuas conjungat cum cœtu eorum, cum quibus ipſe Deo volente conjunctus eſt (*e*). Qui tribus diebus dominicis continuis deſunt officio, ii a paſtore epiſcopo denuntiantur, &, qui inter ſacrum profanis ſpectaculis aſſident, ii ſacro fulmine feriuntur (*f*). *ſaltem minus ſolemni.*

VIII. In caſu neceſſitatis ſufficit, miſſæ minus ſolemni devota attentione aſſiſtere. Miſſa conventualis ſeu *ſolemnis* celebranda eſt poſt Tertiam; *minus ſolemnes* ab aurora ad medium diem (*g*). Euchariſtia exhibetur inter ſacrum miſſaticum ſtatim poſt communionem presbyteri. Olim cuncti fideles ter quotannis, ſcilicet tempore Paſchali, Pentecoſtali & natali domini, ad euchariſtiam accipiendam acceſſere (*h*). Sed concilio Lateranenſi ſufficere videbatur, ſi ſemel id fieret per quatuordecenne Paſchale. (*i*) At ſacerdotes toties, quoties ſacrum faciunt, communicant (*k*). Hodiernis Eccleſiæ latinæ moribus ſolus presbyter ſacrificans ſub utraque; ceteri ſub ſola ſpecie panis (2) communicant. Sed pontifex, prout id expedit eccleſiæ, integris gentibus permittere poteſt etiam calicis uſum (*l*).

IX. Pro

---

fiat ex *errore* intellectus, an *dolo malo* quæſtus cauſa? Poſterius judæi converſi, ut vocantur, nonnunquam attentare ſolent, qui crimen *ſtellionatus* committuut, & ſic etiam *criminaliter* puniendi.

(1) Id vero admitti nequit. Poſt baptiſmum tinctus dicitur, *fidelis* & *Chriſtianus*. Quis vero neſcit, ex hoc ſtatu plures fluere effectus externos? Finge judæum baptizatum eſſe, annon ſtatum externum mutat? Macula, quæ ei adhæſit, deletur, ut ad officia publica, a quibus ob maculam excluſus erat, admitti poſſit. In poſterum inter honeſtos refertur: poteſtati eccleſiæ, cujus ſubditus ſit, ſubjicitur: cœmeterii Chriſtianorum communionem nanciſcitur: matrimonium cum Chriſtiana inire poteſt, denique commercio omnium jurium ſacrorum & civilium frui poteſt. Plenius hanc doctrinam exponit RICCIULLIUS *de jure perſon. extra grem. eccl. exiſt.*

(2) Quod ſæculo XIII. demum ea potiſſimum de cauſa introductum, ne ullum *effuſionis* vini conſecrati periculum ſupereſſet, aliique caſus circa illud contingerent, ut nonnullis teſtimoniis probatum dederant P. de MARCA *dans l'hiſtoire de Bearn, lib. V. c. 10. n. 3. ſeqq.* Card. BONA *lib. II. rerum liturg. c. 28.* MABILLON. *in muſeo Ital. tom. II. comm. in ord. Rom. p. 61.* Cum enim Euchariſtia, ægrotantium cauſa, ſemper in promtu eſſe debeat, nihil facilius, quam ut vinum conſecratum, quod non æquali cura, ut panis, cuſtodiri poteſt, effundatur.

(a) *Concil. Trident. ſeſſ. 7. c. 9. c. 107. 108. D. 4. de conſecrat.*
(b) *Ibid. c. 117. 118. 1. Cor. 17. 20. 24.*
(c) *Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 3.*
(d) *Concil. Trident. ſeſſ. 21. c. 5. c. ult. X. de celebrat. Miſſ. c. 2. D. 2. c. 64. 65. D. 1. de conſ.* (e) *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 4.*
(f) *Concil. Senon. 1528. c. 11. vid. Ritual. Pariſ. de P. S.*
(g) *c. 48. c. 66. D. 1. de conſecr.* (h) *Ibid. c. 19. D. 2.*
(i) *C. omn. utriuſque X. de pœnitent. & remiſſ.*
(k) *c. 11. 12. D. 2.* (l) *Concil. Trid ſeſſ. 22. c. fin.*

IX. Pro ægrotis in ſingulis Eccleſiis parochialibus in ciborio puro & ſolido, tabernaculo incluſo, aſſervandæ ſunt conſecratæ particulæ, quatuordenis diebus renovandæ (*a*). Si ægroti Euchariſtiam flagitant, ea deferenda ad ipſos cum ſumma reverentia, ut populus ad eam adorandam invitetur. Si eſt ultimum viaticum, competit hoc munus parocho, aut presbytero ab eo delegato (*b*). Publicis peccatoribus & perſonis infamibus denegatur Euchariſtia. *Venerabile* autem non niſi juſtam ob cauſſam & Epiſcopo permittente exponi (1) debet (*c*). *Euchariſtia ægrotantibus deferenda.*

CAPUT IV.

De Pœnitentia, extrema unctione, ordine.

I. PŒnitentia fidelibus omnibus, qui peccata mortalia (2) commiſerunt, ſaltem ſemel quotannis eſt ſubeunda, cui rei apprime convenit tempus quadrageſimale (*d*). Confitenda ſunt peccata parocho, ſeu ejus delegato, aut pœnitentiario aut Epiſcopi delegato presbytero (*e*). Quamvis omnes presbyteri ordinati accipiant poteſtatem *abſolvendi*, non poſſunt tamen eam exercere injuſſu Epiſcopi, qui vel beneficium cum cura animarum conjunctum, vel ſine beneficio poſt prævium examen, conſenſum concedit (*f*). Hæ permiſſiones ad certas perſonas, ad certa loca & ad certos caſus reſtringi poſſunt. Ut plurimum enim eximuntur abſolutiones monacharum, quibus exquiſito confeſſore opus, & nonnulli caſus atroces, quos ſibi reſervat Epiſcopus (*g*). Etiam *Regulares*, & in his ipſi *mendicantes*, tot privilegiis ornati, his regulis circumſcribuntur (*h*). Sunt caſus veteri obſervantia, conſentiente Eccleſia, *pontifici reſervati* (3): quorum *Abſolutio impertitur a presbyteris.*

(1) Peperit hunc morem *exponendi*, tum ſolemni more deferendi *venerabile* ad ægrotantes, doctrina de *tranſubſtantiatione*, quamvis hic mos a veteris Eccleſiæ diſciplina alienus ſit, ſecundum quem euchariſtia haud aſſervata eſt. *c.* 23. *de conſ.* D. 2.

(2) Et quidem *occulta* pœnitentia privata tantum luenda ſunt, nequis ſemetipſum prodere teneatur, quem in finem etiam *ſigillum confeſſionis* inventum eſt, ſancte colendum & obſervandum; *publica* vero pœnitentia publica plectenda. Hæc in primitiva Eccleſia tantum in uſu erat, quod non diffitetur JACOBUS SIRMONDUS *in hiſtor. pœnit. publica c. II.* nec ratione deſtituta, quia unicum refugium erat, quo mediante ejecti & deſertores cum Eccleſia in gratiam redire, & curſu pœnitentiæ peracto, in priſtinum ſtatum reſtitui poterant. Non ejectis illa haud ſubeunda erat, quia de *reconciliatione cum eccleſia* iis haud cogitandum, cujus pace & communione adhuc fruebantur. Paulatim quidam de *occultis* ultro publicam ſubierunt pœnitentiam, obſervante SIRMONDO *cit. l.* C. V. quo ipſo in ſtatum *ejectorum* revera ſemet conſtituebant; pœnitentes enim *communione Eccleſiæ* haud perfecte fruebantur. Quod vero ultro ab initio ſuſceptum, tandem in neceſſitatem tractum, ut de occultis non quidem *publica*, privata tamen pœnitentia eſſet ſubeunda.

(3) De his *caſibus pontifici reſervatis* ſpeciali tractatu agit JO. GEORG. KIENE, eoſque *Part.* 1. recenſet atque illuſtrat, docetque, quoſdam in *bulla cænæ domini* reſervari, quorum ſeriem ſiſtit *cap. II.* quoſdam *jure* communi eſſe reſervatos, de quibus *c. III* agit.

(a) *c.* 93. *D.* 2. *concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 6.
(b) *Ibid. c.* 29. *C.* 10. *X. de celebr. miſſ.*
(c) *Ibid. c.* 95. *ex Cyprian. decr. congr. concil.* 164.
(d) *C. omn. utriuſq. X. de pœnit. & remiſſ.*
(e) *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *ſ.* (f) *Seſſ.* 23. *c.* 15.
(g) *Seſſ.* 14. *c.* 7. *ſeſſ.* 23. *c.* 15.
(h) *Arret d'Agen.* 4. *Mars* 1669. *Mem. du Clergè part.* 1. *tit.* 2. *c.* 8.

quorum cauſſa abſolutionis ergo Romam olim eundum fuit. Hodie indulgentia papæ Epiſcopis & nonnullis presbyteris de iis mandata dare ſolet.

Caſus papæ reſervati. II. Caſus papæ reſervati, indice *Rituali* Pariſienſi, ſunt: 1. Incendium Eccleſiarum & locorum non ſacrorum, ſi incendiarius publice denuntiatus eſt. 2. Simonia ordinum & beneficiorum publica & realis. 3. Occiſio ſeu mutilatio hominis in ſacris. 4. Verbera epiſcopo vel alii prælato inflicta. 5. Arma infidelibus ſuppeditata. 6. Adulteratio bullarum & brevium pontificis. 7. Invaſio & deprædatio terrarum Eccleſiæ Romanæ. 8. Violatio interdicti a ſede apoſtolica prolecti. Caſus *epiſcopo reſervati* (1) ſunt: *Epiſcopo reſervati.* 1. Verbera atrocia homini religioſo aut clerico, qui in ſacris eſt, illata. 2. Incendium voluntarium. 3. Furtum in loco ſacro cum effractione commiſſum. 4. Homicidium voluntarium. 5. Duellum. 6. Inſidiæ vitæ conjugis ſtructæ. 7. Abactio partus, 8. Verbera patri vel matri inflicta. 9. Sortilegium & veneficium ſeu divinatio, 10. Profanatio Euchariſtiæ & ſancti olei. 11. Violenta ſanguinis in templo effuſio. 12. Fornicatio in Eccleſia. 13. Stuprum religioſæ illatum. 14. Stuprum a confeſſore confeſſionariæ illatum. 15. Raptus. 16. Inceſtus in ſecundo gradu. 17. Sodomia, aliaque ſimilia peccata. 18. Latrocinium ſacrilegum. 19. Crimen falſi, falſi teſtimonii, falſæ monetæ, adulteratio epiſtolarum Eccleſiaſticarum. 20. Simonia perſonata & occulta. 21. Aſſumtio falſi tituli & nominis in examine, recipiendorum ordinum cauſſa.

qui non attenduntur in articulo mortis. III. Pro diverſis diverſarum diœceſium moribus reſervationes ſunt diverſæ, quarum manifeſta utilitas in eo poſita, ut homines, perpenſa abſolutionis difficultate, ab his criminibus abhorreant. Pœnitentiarius potiſſimum ad id datus eſt, ut de his cognoſcat abſolvatque. In articulo mortis nec caſus reſervati, nec confeſſores attenduntur, ſed quilibet presbyter abſolvere poteſt quemlibet agonizantem, quædam pœnitentiæ ſigna edentem. Sed ne fraudi locus ſit, ægroti ante omnia ad hoc ſacramentum confugere, nec prius medici opem implorare poſſunt, quam hoc factum ſit: quod concilii Lateranenſis decretum (*a*) per Italiam & alibi obſervatum, in Francia negligitur. De cetero hoc ſacramentum nemini mortalium, ac ne iis quidem, quibus capitale ſupplicium ſubeundum, denegatur (*b*).

confeſſio peccatorum edenda. IV. Quum autem pœnitentiæ h. e. opera ſatisfactoria (2) ſint peccatis metienda; opus eſt, ut diſtincta fiat ſingulorum peccatorum confeſſio, cujus ſecretum tam inviolabile, ut presbyter, qui id infauſto omine revelat, e gradu ſuo deji-

(1) Olim epiſcopi de quovis crimine publico inquirebant, non ad effectum puniendi delinquentes criminaliter, ſed pœnitenciam iis imponendi, id quod potiſſimum in viſitationibus Eccleſiaſticis expediebatur. Sed tunc deerant confeſſiones, ſtato tempore, parochis faciendæ, quibus ab INNOCENTIO III. introductis, ex more antiquo epiſcopi in gravioribus delictis abſolutionem reſervarunt. Ceterum de his caſibus rurſus ex profeſſo agit prælaudatus KIENE *cit. tr. de caſibus pontif. Epiſcopis & prælat. reſerv. P. II.* *

* Synodus OEcumenica XII ſub Innocentio III. habita Sacramentalem Confeſſionem non ipſa primum præcepit, ſed a Chriſto præceptæ tempus præſtituit. Videatur Cardinalis Cajetanus in Opuſculis *tract.* 5. *de Confeſſ. quæſt. I.*

(2) In hoc unice tota ratio *pœnitentiæ* collocatur, licet, ut ex antea dictis liquet, hæc ſententia praxi primitivæ Eccleſiæ conformis non ſit. Enimvero quam periculoſa quoque hæc enumeratio peccatorum ſit, quantiſque abuſibus obnoxia, ſi indiſcreti confeſſionarii inquiſitionem formalem formant & per captioſas quæſtiones incautam plebem inducere conantur, ut alios ſua confeſſione gravent, oſtendit Doctor quidam Sorbonicus in *tr. du ſecret de la confeſſion* Pariſ. anno 1708. edito: ex quo manifeſtum redditur, admodum lubricum eſſe *confeſſionis ſigillum*.

(a) *c.* 13. *X. de pœnit.* (b) *Cl. de pœnit. c.* 1.

dejiciendus ſit & perpetuo carceri mandandus (*a*). Sane quingentis abhinc annis pœnitentiæ canonicæ, ſingulis peccatis præſtitutæ, in deſuetudinem abierunt; quas tamen utile eſt nolle; ut ſatisfactiones peccatis adæquatæ injungi & vetus diſciplina reſuſcitari poſſit (*b*). (1) Sunt etiam caſus, in quibus etiamnum pœnitentia publica injungi poteſt, ſi epiſcopo id utile videatur ad reparandum ſcandalum crimine publice commiſſo datum (*c*). Huic rei dies *cinerum*, quemadmodum publicæ abſolutioni dies *viridium*, convenientiſſimus judicatur *in pontif. Rom.*

V. Indulgentiis vel partim, vel plene remittuntur pœnitentiæ, prout illæ vel *particulares* ſunt vel *plenariæ*; quarum tamen effectus pendet ab affectu pœnitentium. Concedendæ autem ſunt *gratis*, & ab epiſcopo curandum, ut ſuperſtitio aliique abuſus, quibus hoc inſtitutum expoſitum, procul ſint (*d*), Cave tamen *pænitentias* confundas cum *pœnis* canonicis. Nam pœnitentiæ injunguntur *volentibus* reſipiſcere & mutare animum. Pœnæ infliguntur *invitis* (2) ut vel emolliti redeant ad frugem, vel indurati ejiciantur ex Eccleſia. Quod quum in foro externo fiat, *part. III. c.* 18. explicabitur. *Abuſus indulgentiarum.*

VI. Extrema unctio ex diſerto ſcripturæ præcepto (*e*) a ſolis presbyteris, & ex traditione Eccleſiæ, a parocho, vel ejus delegato, adminiſtrari (3) debet (*f*). Sanctum oleum ad hoc ſacramentum & ad baptiſmum neceſſarium in ſynodo, vel alio tempore præſtituto, quotannis ab epiſcopo die *viridium* conſecratum, vaſis puris argenteis, vel ſtanneis, bene munitis, ne ſacrilegio violari poſſit, aſſervandum (*g*). *Extrema unctio.*

VII. Poſtea, quæ *Part. I.* diximus, de Sacramento *ordinis* pauca dicenda reſtant, videlicet, hoc ſacramentum, æque ac baptiſmum, imprimere characterem (4). Unde iterari nequit (*h*). Si tamen dubium, num valida ſit prior ordinatio, repeti poteſt, ſed *ſub conditione*, ſi prior ſit invalida (*i*). Unde porro ſequitur, presbyterum non poſſe fieri laicum, & ob crimina e gradu dejectum valide adminiſtrare ſacramenta, licet ipſe peccet, & epiſcopi, qui in hæreſin prolapſus, deſtitutus & excommunicatus eſt, ordinationes, quamvis illicitas, validas tamen eſſe, quia non *poteſtatem*, ſed *poteſtatis excercitium* amiſit (*k*). *Ordinatio.*

C A-

(1) Id nec ſperandum, nec optandum. Ipſemet AUCTOR *tom. XIII. hiſt. Eccl. in diſc. prel. §.* 5. 10. & 16. plures *antiqua pænitentiæ* abuſus refert, qui evitari non poterant, poſtquam clerus a prima modeſtia deſciverat. Epiſcopi regibus perpetuas imponentes pœnitentias, effecerunt, ut ſolium relinquere coacti fuerint, ut Regum Vambæ & Ludovici pii exempla docent. Antiqua tempora pœnitentiarum quæ opinionum monſtra pepererunt! Creditum enim fuit, toties tempora multiplicanda eſſe, quoties unum idemque delictum eſſet reiteratum; inde vero rationibus ſubductis, eveniebat, ut ſæpe quis ultra mille annos pœnitentiam agere coactus fuerit, h. e. ultra vitam, in purgatorio. Hæc doctrina rurſus novas in doctrina de *indulgentiis* produxit concluſiones, ut antiqua *Calendaria indulgentiarum* docent.

(2) Et tamen pœnitentiæ inter genera *pœnarum* referuntur, per ſententias infliguntur, & invitis imponuntur; ut vel JUSTINIANI lex de *adulteris* docet, & infra plenius enucleandum eſt.

(3) Et quidem in *remiſſionem peccatorum*. Si vero hoc, cur tantum ægrotantibus applicatur: eis vero denegatur, qui ultimo ſupplicio afficiendi ſunt, quibus tamen uſus reliquorum ſacramentorum non denegatur?

(4) Militibus olim *characterem*, quo cognoſci poſſent, impreſſum fuiſſe, teſtis eſt AUGUSTINUS in *c.* 97. C. 1. *q.* 1. qui

(a) *C. omn. utriuſque §. caveat. X. de pænit.* (b) *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.*8.
(c) *Ibid. ſeſſ.* 24. *c.* 8. (d) *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 8. (e) *Jac. V.* 14.
(f) *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 3. *Catech. Rom. part.* 2. *c.* 6. *n.* 13.
(g) *c.* 8. *D.* 95. INNOC. I. *ep. ad decent. Ritual. Roman.*
(h) *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 4. *Diſt.* 68. *c.* 4. *t.* 2.
(i) *c.* 107. *D.* 4. *de conſ.* (k) S. THOM. *ſupplem. q.* 38. *art.* 2.

CAPUT V.

De Matrimonio & cauſſis Matrimonium impedientibus.

Conſenſus matrimonialis debet eſſe 1. legitimus, quem impedit.

I. MAtrimonium potiſſimum conſiſtit in *conſenſu*, hoc eſt, in unione voluntatum, tamquam imagine (1) affectus Chriſti in Eccleſiam. Conſenſus ille debet eſſe *legitimus* (2), hoc eſt, inſtitutioni divinæ, legibuſque, cum eccleſiaſticis, tum civilibus, conformis. Nam in re tanti momenti, cui omnis ſocietas civilis ſuperſtruitur, conſultum non eſt, ut ſuo quiſque ſenſu abundet, ſuum quiſque affectum, ſuum ſequatur ingenium, ſuam libidinem. Inſtitutionis divinæ præceptum eſt, ut unus uni individuo vinculo jungatur, ne affectus ſit diviſus aut incertus, ut communi cura ſobolis educatio promoveatur. Quod ut omni modo obſervetur, jure *eccleſiaſtico* & *civili* multa impedimenta indicata, multaque ſolemnia in hac conjunctione obſervanda, præſcripta ſunt.

vel natura,

II. Impedimenta matrimonii vel a *natura*, vel a *lege*, vel a *facto* nubentium oriuntur. *Naturale* impedimentum eſt ætas immatura *impuberum*, maſculorum infra XIV. femellarum infra XII. annos: quamquam jure canonico habitus corporis magis, quam anni, ſpectandus (*a*). Item, *impotentia* continua & immedicabilis (*b*). *Legale* impedimentum eſt *cognatio* & *affinitas*, reſpicitque inter perſonas, inæquali gradu conjunctas, *diſparitatem ætatis* (3), & *reverentiam* naturalem, *cum licentia nuptorum vix conciliandam*; inter perſonas æqualis gradus *periculum corruptionis*, cui perſonæ in eadem familia educatæ aut continuo converſantes, ſi matrimonii ſpes foret, expoſitæ eſſent. His prohibitionibus Deus vincula ſocietatis humanæ multiplicanda, & caritatem hominum erga homines extendendam & dilatandam eſſe cenſuit (*c*).

vel lex divina

& humana,

III. Eccleſia inhæſit omnibus legis divinæ (*d*) prohibitionibus, quæ excludunt in linea recta in infinitum omnes conſanguineos vel cognatos; in collaterali materteras ſolum, fratreſque & ſorores (*e*). Sed pridem creditum, prohibitionem illam extendendam eſſe ad omnes conſanguineos, qui ſibi mutuo ſuccedere poſſent, h. e. ad ſeptimum gradum, (4) ultra quem non amplius parente-

---

qui ejus erat efficaciæ, ut deleri non poſſet. Uſum loquendi inde mox deſumſit, & ad militiam ſacram eundem applicavit allegorice, in quo ſcholaſtici poſtea ingenia ſua exercuere.

(1) Sicuti ſpiritualia ſub *imagine* aliarum rerum terreſtrium, quæ ſenſus feriunt, a Salvatore adumbrata ſunt, ita convenientior imago *adfectus Chriſti in Eccleſiam* deſumi non potuit, quam ab *unione voluntatum conjugali*, quæ imago tamen matrimonio nihil *ſpiritualitatis* addit.

(2) Nihil verius dici potuit. Ita vero non quivis *conſenſus clandeſtinus*, *privatus*, minuſque ſolennis matrimonium conſtituit, quod tamen jus canonicum cenſet, conſtituendo in ſponſalibus *de præſenti* adeſſe *verum matrimonium*, quod conſenſus in illud editus ſit, licet clandeſtinus & occultus.

(3) Diſparitas ætatis parum ad rem facit, quæ nec inter extraneos impedimentum conſtituit. Decori ratio plus operatur, quæ efficere poteſt, ut inter certas perſonas nuptiæ prohibeantur.

(4) Quam abſurda vero hæc ratio ſit, quilibet facile animadvertit. Etenim olim tantum ex *jure prætorio* cognatis, jure civili excluſis, uſque ad *ſeptimum gradum* jus ſuccedendi datum erat, cum agnatorum ſucceſſio in infinitum extenderetur, qui tamen æque vinculo ſanguinis cohærebant, ac quidem cognati. A jure vero ſuccedendi ad rationem conſanguinitatis in genere nulla valet conſequentia.

(a) *C. 3. X. de ſponſal. impub.* (b) *tot. tit. X. de frigid.*
(c) AUGUST. *XV. de div. c. 16.* (d) *Levit. XVIII. 6. XXII. 11.*
(e) *Vid. Gloſſ. in c. literas 13. X. de reſtit. ſpoliat.*

rentela attenditur (*a*). Concilium Lateranenſe tamen eam cum ratione conſanguinitatis, tum ratione cognationis, ad *quartum*; ratione affinitatis ad *primum* gradum, qui eſt inter conjugem & conjugis conſanguineos, reduxit; quum in hac etiam *ſecundus* inter ſecundum conjugem & prioris conjugis conſanguineos, immo & *tertius* inter ſecundam conjugem ſecundæ conjugis & primæ conjugis conſanguineos olim attenderetur (*b*): quæ duo affinitatis genera dicto concilio ſublata ſunt (*c*).

gradibus prohibitis, IV. Concilium Tridentinum reſtrinxit etiam alia hujus generis impedimenta (*d*) e crimine orientia. Nam ſecundum canones illicita conjunctio operatur affinitatem cum conſanguineis ſtupratæ, (*e*) quam concilium reduxit ad gradum *ſecundum*, qui ſit impedimentum *dirimens* (1), & eam, quæ ex validis ſponſalibus oritur, quæve *honeſtatis publicæ* dicitur, ad gradum *primum*; *c.* 3. reſtricta etiam cognatione ſpirituali, in baptiſmo ſeu confirmatione contracta, quæ non ultra parentes luſtricos, baptizantem, baptizatum, baptizatique parentes extenditur. *c.* 2. Quam ob rem plures parentes luſtricos adhibere prohibuit. His reſtrictionibus opus videbatur, quia multi per ignorantiam tales nuptias contrahunt, quas ſine peccato non continuare, nec ſine ſcandalo rumpere queunt.

qui canonice computandi. V. Gradus numerantur *computatione canonica*, quæ unicuique generationi unum tantum gradum adſignat, etiam collaterali, ſic ut pater & ſoror ſint in primo, fratrum liberi in ſecundo, nepotes in tertio gradu. In inæqualium computatione numerantur generationes longius diſtantis perſonæ uſque ad ſtipitem communem. Sic patruus & neptis ſunt in ſecundo, filia patrui in tertio gradu. Hæc computandi ratio in uſu fuit temporibus (2) Gregorii (*f*). In materia ſucceſſionum ſequimur computationem juris civilis, quod alterum tantum graduum inter eaſdem perſonas interjicit.

quis diſpenſet? VI. Qui per ignorantiam in gradu prohibito nuptias contraxere, iis diſpenſatio haud denegatur (*g*). Sed ante matrimonium contractum raro, nec ſine prægnante cauſſa, conceditur. In gradu ſecundo ſolus pontifex & quidem *publicæ ſalutis* cauſſa, inter principes; in quarto autem, vel ſi pauperes ſint, in tertio, etiam Epiſcopi, partim longa conſuetudine tuti, partim pontificis auctoritate muniti, diſpenſant. Quæ diſpenſationes omnes ex concilii præſcripto debent eſſe gratuitæ (3).

VII. Im-

---

(1) Quatenus ante matrimonium contracta eſt: ſuperveniens affinitas non dirimit matrimonium jam contractum, ſi innocens nocenti gratiam facere, eique injuriam remittere velit. Claudicans tamen matrimonium fieri cenſent, ut nocens *debitum conjugale* petere non poſſit, id quod non adeo rationem habet.

(2) Id vero admodum dubium eſſe, docuit idoneis argumentis SCHILTER *de libert. eccl. German. lib. III. c.* 10. *§.* 7. Ceterum *canonica* in eo differt a *civili*, quod fundamentum computandi in *ſtipite communi* quærat, & tantum inquirendum eſſe decernat, quouſque uterque deſponſatorum a *ſtipite communi*, ut *cognationis fundamento*, diſtet? quod in linea *æquali* ſatis tutum eſt, in *inæquali* vero pauliſper impeditum, quod duntaxat denominatio gradus ſit facienda linea *remotiori*, cum tamen æque facile, prout res ipſa poſtulat, ab utraque fieri queat, imo etiam debeat, cum de utraque proximitate deſponſatorum, quouſque a communi ſtipite diſtet, quæſtio moveatur.

(3) Sed debebant eſſe, cum praxis curiæ Romanæ contrarium doceat, oſtendatque diſpenſationes fere venales eſſe, ut MARCUS ANTONIUS de DOMINIS cum aliis fatetur.

(a) PETR. DAM. *Opuſc.* 8. *de par. grad.*
(c) *C.* 8. *X. de conſanguin.* (b) *Ibid. C. non debet.*
(d) *Seſſ.* 24. *Ref. c.* 4. (e) *tot. tit. de eo qui cogn. conſanguin.*
(f) *lib. ult. ep.* 31. *ad Auguſt. c.* 6.
(g) *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5.

vel crimen VII. Impedimenta ex *facto* nubentium orientia ſunt: præcedens conſenſus in aliud matrimonium futurum; ſolemne votum caſtitatis; adulterium ſub promiſſione matrimonii (1) in caſum morientis conjugis perpetratum, aut cum inſidiis prioris conjugis vitæ ſtructis conjunctum (*a*).

ſi liber VIII. Nec ſufficit, impedimenta nulla eſſe. Oportet præterea conſenſum eſſe *liberum*. Ergo furioſus; ergo qui erravit; qui coactus eſt, matrimonium non contrahit. Qui erravit, inquam, in *perſona*, ut Jacob in Lea, aut in *conditione perſonæ*, veluti ſervæ (2). Metus talis eſto, qui in hominem conſtantem cadere poteſt: hinc rapta raptori nubere nequit (3) (*b*).

eorum, qui ſunt ſui juris. IX. Qui ſunt in poteſtate alterius, ut filii familias & minores, ii matrimonium coutrahere non poſſunt ſine conſenſu eorum, in quorum poteſtate ſunt. In hoc negotio arduo potiſſimum ex præſcripto legis divinæ parentes ſunt honorandi. Hinc jure noſtro prohibentur talia matrimonia, & paſtores, qui ea benedicunt, habentur pro raptus ſociis, exheredandis, qui ita convenere, liberis (*c*). Quin *per declarat.* 1639. liberi, ex matrimoniis uſque ad finem vitæ ſecretis, vel ex feminis, quibus patres in articulo mortis demum juncti ſunt, nati, ſuccedere nequeunt, quum hujuſmodi conjunctiones turpitudinem *concubinatus* magis ſapiant, quam *connubii* honeſtatem (4).

CAPUT VI.

De Nuptiarum Solemnibus earumdemque Diſſolutione.

1. Solemnia I. UT certum fiat, non eſſe impedimentum matrimonio libere contracto, & ut ſemper probari poſſit; plures legibus eccleſiaſticis & civilibus cærimoniæ ſunt ſancitæ.

declaratus inter ſponſalia, II. Principio nupturi poſt pacta dotalia in diœceſibus, in quibus id uſus fert, ad matrimonium præparantur per *ſponſalia*, quæ ſunt *promiſſio* ſolemnis & jurata in Eccleſia facta de matrimonio, quandocumque alteri id placuerit, ineundo. Parochus, antequam eam recipit, interrogat deſponſandos, num ſint ex parochia? an re verbiſque ſint liberi? num votum continentiæ emiſerint? annon conſanguinei ſint, norintque, quod impedire poſſit matrimonium? Quibus præmiſſis ſubjungit inſtitutionem de natura hujus ſacramenti, & quam ſancte ad id adgrediendum (*d*). Talis promiſſio diu ante matrimonii celebrationem, immo inter

(1) Quid ſi promiſſum matrimonium ſine adulterio, an matrimonium, defuncta uxore, maritus inire poteſt valide? Id quidem haud negandum, puto tamen talia ſponſalia eſſe illicita nec obligatoria, quæ in mortem conjugis viventis ineuntur, ut inde agi non poſſit. *c. f.* X. *de eo qui duxit.*

(2) Aut in *qualitate ſubintellecta*, ut ſi quis corruptam ab alio ignorans duxerit. *c.* 2. *C.* 32. *q.* 6.

(3) Si tamen ſuis reſtituta, vel in libero conſtituta loco; poſtea in conjugium conſenſerit, permittitur.

(4) Effectus ergo civiles tali matrimonio ſubtrahuntur, quamvis hæc edicta regia efficere non potuerint, ut in *foro eccleſiaſtico* quoque pro nullo haberi debeat. Quin potius etiam tale conjugium *ratum* eſſe dixere, quoad vinculi indiſſolubilitatem, licet non eſſet *legitimum*. Idem judicium formant de conjugiis illuſtrium ſine regis conſenſu contractis. Conf. LAUNOIUS *de regia in matrim. poteſt.*

(a) C. 3. *q.* 1. *c.* 3. 4. 5. *C.* 3. *X. de eo quo dux. in matrim.*
(b) *C.* 24. *X. de ſponſal. C.* 29. *q.* 1. *c.* 2. & 4. *X. de conjug. ſecul. Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. (c) *Stat. Bleſ. art.* 40. *Melodun. art.* 25. *it. ed* 1556.
(d) *Ritual. Pariſ.*

inter impuberes, fieri poteſt, modo infantiam egreſſi conſentire poſſint (*a*). Effectus ſponſaliorum, ſi promiſſio reciproca vel ſcriptis peracta ſit, is eſt, ut pars deficiens coram judice eccleſiaſtico conveniri, & ad pœnam *canonicam* (1) condemnari poſſit (*b*). Judex autem eccleſiaſticus competens eſt etiam in diœceſibus, ubi ſponſalia non ſunt in uſu. Poſt coram judice ſæculari ad *reſarciendum damnum* & ad *intereſſe* agitur. Solvuntur autem ſponſalia mutuo conſenſu (2), matrimonio cum tertia perſona contracto, profeſſione religioſa, morbo immedicabili vel contagioſo alterutrius partis, & ſtupro a ſponſa poſt ſponſalia admiſſo (*c*).

prævia proclamatione

III. Matrimonium celebrandum *publice*, quod ut publicum fiat, tria requiruntur; proclamatio ſeu bannus, præſentia parochi, teſtes. Proclamationes olim in Francia uſitatæ natales debent concilio Lateranenſi (3), quod voluit, ut presbyteri publice in Eccleſia indicent contrahenda matrimonia, terminumque præfigant, intra quem impedimenta allegari poſſent (*d*). Clarius (*e*) ſancitum, ut tribus diebus dominicis vel feſtis continuis intra ſacra ſolemnia miſſæ parochialis utriuſque partis tres proclamationes fiant. Epiſcopus tamen, præſertim ſi nupturi majorennes ſunt, unam alteramque proclamationem remittere poteſt, ſi maligna metuitur contradictio (*f*).

præſentibus teſtibus perficiendus

IV. Celebrandum præſente paſtore alterius partis (4), vel presbytero a paſtore vel Epiſcopo delegato, itemque tribus quatuorve teſtibus præſentibus (*g*). Paſtoris & teſtium præſentia tam eſt neceſſaria, ut ſine ea actus nullus reputetur. Clandeſtina enim matrimonia, ſæpe prohibita, denique irrita fuere declarata (5). Quæ ſi eſſent valida, deficientibus teſtibus, contingere poſſet, ut pars partem deſereret, & utraque in continuo adulterio viveret.

effectus matrimonii.

V. Effectus matrimonii ſunt, ut alter conjugum in corpus alterius nanciſcatur poteſtatem (*h*), cumque in jure convenire poſſit, & maritus quidem petitionem adhæſionis inſtituere, h. e. ut femina ipſi cohabitet; femina, ut conjugali affectu ipſam proſequatur. In Francia ſi hæ actiones inſtituuntur in foro contentioſo,

---

(1) Non vero ut para refractaria *abſolute* cogi poſſit, quod nequidem jus canonicum permittit. Ceterum admodum convenienter condemnatio in id quod intereſt cum pœna conjungitur, ne *duplici judicio* opus ſit.

(2) Si vel maxime ſponſalia *pura* & *jurata* fuerint, cum alter alteri juramentum remittere queat, per *c.* 2. X. *de ſponſal.* ANTON. DESPEISSIUS *tom. I. oper. de matrim. ſect. IV. ſ. 2. p.* 280.

(3) Hoc vero ſe fundat in antiquiſſimo more eccleſiaſtico, jam tempore TERTULLIANI uſitato, ſecundum quem conjugia apud eccleſiam indicanda & manifeſtanda erant, alioquin pro *illegitimis* habita, ut prælaudatus Auctor *de pudic. c.* 4. indicat. Eſt hæc proclamatio inſtar *provocationis ad agendum*, adeoque pœna *præcluſi*, ut juris eſt, munita.

(4) Vel potius ſponſæ, qui merito præferendus, quia apud pleraſque gentes uſitatum fuit, ut poſt nuptias peractas ſponſa demum ad *domum mariti* deduceretur.

(5) Huc pertinent *matrimonia conſcientiarum*, clandeſtine ſine præſentia parochi contracta, quæ tamen in Gallia non infrequentia ſunt, ſed effectibus civilibus deſtituta, & revera a *concubinatu* non differunt. Nata autem ſine dubio ſunt ex principio, indiſcrete a patribus adhibito, *quod conſenſus faciat matrimonium*, quod tamen non de conſenſu quovis modo, ſed legitime declarato demum accipiendum eſt. Hoc vero poſito, ſponſalia *de præſenti* pro matrimonio minime eſſent habenda.

(a) *C. 1. X. de ſponſal. impub. in 6.*
(b) *c. 2. & 6. X. de ſponſal.*
(c) *C. 15. & 22. X. de ſponſal. C. 2. X. de converſ. conjug. C. ult. X. de conjug. lepros. C. 25. X. de jurejur.*
(d) *C. 3. X. de clandeſt. ſponſal.* (e) *Concil. Trident. ſeſſ. 24. Ref. c. 12.*
(f) *Statut. Bleſenſ. art. 40.* (g) *Concil. Trid. ibid. ſtat. Bleſ. ibid.*
(h) *1. Cor. V. 1. 4.*

ſo, judex *ſæcularis* cognoſcit, (1) neque Eccleſiæ cognoſcere permiſſum, niſi in foro pœnitentiali. Afficit porro matrimonium ſtatum liberorum, qui ſi ſunt legitimi, præter emolumenta civilia, quæ hic ſeponimus, ordinum, beneficiorum & dignitatum eccleſiaſticarum fiunt participes.

Matrimonium ſolvitur morte; VI. Chriſtianorum conjugium morte tantum ſolvitur. Jeſus Chriſtus legem divortii, judæis ob duritiem cordium indultam, abrogavit, connubiaque reduxit ad inſtitutionem primævam (*a*). Infideles, qui conjugati converſi ſunt, conjuncti porro eſſe poſſunt, nam baptiſmus remittit peccata, ſed matrimonia non rumpit (*b*). Sed ſi alteruter conjugum nolit cohabitare ei, qui converſus eſt, vel alterum exponit periculo peccati mortalis; converſus declinare poteſt & conjungi cum alia (*c*). Chriſtianorum connubia nonnumquam diſſolvi videntur, licet revera non ſolvantur; ſi v. gr. matrimonium apparens a judice nullum declaratur; ſi perſonæ vero matrimonio vinctæ ſeparantur thoro (2).

nullum declaratur; VII. Nullitatem matrimonii accuſare non permiſſum eſt omnibus. Si impotentia aut conſenſus defectus accuſatur, perſonæ contrahentes ſolum; ſi præcedens matrimonium, pars læſa ſolum audiuntur. Si inceſtuoſum vel alio modo illegitimum, actori probanda eſt ignorantia (3), niſi pro complice haberi velit. Impedimenta, quæ matrimonium nullum reddunt, quæve propterea vocantur *dirimentia*, ſupra attulimus. Votum ſimplex pariter impedit h. e. cauſſam declinandi matrimonii ſuppeditat, vel contrahenti pœnitentiam conciliat; ſed non inducit nullitatem. (*d*)

ſeparatio conjugum. VIII. Separatio conjugum vere talium vel *mutuo conſenſu*, veluti ex voto continentiæ, vel *judicis auctoritate* fit (*e*). Votum autem ſolemne ſit oportet, ut vel ambo religioſam profeſſionem edant, vel maritus ſacros ordines recipiat. Si matrimonium nondum conſummatum eſt, alter invito altero, cui aliud deinceps conjugium eligere liberum, religioſam vitam amplecti poteſt (*f*). In quo plus valet religioſa profeſſio, quam ordinatio, quæ non rumpit matrimonium, licet nondum conſummatum. Separatio *involuntaria* injungitur a judice, ſi adulterium commiſſum, quem caſum notavit jus divinum (*g*). Si alter conjugum in hære-

ſin

---

(1) En juris antiqui veſtigium evidentiſſimum! Quis neſcit, olim judices ſæculares in genere de cauſis matrimonialibus jus dixiſſe? Multum ex veteri libertate contra auſus eccleſiaſticorum ſibi conſervavit Gallia, ut LAUNOIUS *cit. tr.* evicit, & vel hoc exemplum docet. Neque enim laicorum cauſæ tribunalibus epiſcoporum ſacris olim ſuberant, niſi ut pœnitentia iis imponeretur, id quod *voluntariæ juriſdictionis* eſſe dicebatur, quia tantum *volentes*, ut cenſebant, pœnitentiæ ſubjiciendi. Inter contendentes *judice ſæculari* opus erat. Quocirca non abſolute admitti poteſt ſententia ESPENII *P. III. jur. eccl. tit. 2. c. 1. §. ſeqq.* cauſas matrimoniales in Gallia ſimpliciter foro eccleſiaſtico eſſe relictas, ſed tunc demum, quando de *validitate matrimonii* quæſtio movetur. Quin quod ſi ad *divortium* quoad thorum & menſam agitur, ut plurimum cauſæ civiles huic actioni ratione bonorum &c. incidunt, & ſic ut plurimum ad magiſtratum ſæcularem itur in Gallia, teſte HERICURTIO in *tr. des loix eccleſ. dans leur ordre naturel p. 427. §. 29.*

(2) Doctrinæ hujus, quod tantum matrimonia diſſolvi debeant quoad thorum & menſam, auctor primarius eſt AUGUSTINUS, ut optime demonſtravit SCHILTER *in hiſtor. jur. circa dogma eccleſ. de diſſolut. matrimonii quoad vinculum*. In tantum vero valuit ejus auctoritas, ut poſt ejus mortem in conciliis approbata & juris communis facta fuerit.

(3) Maxime quod tribus bannis eccleſiaſticis evocati fuerint, qui contra matrimonium hoc impedimentum adferrre voluerint, unde ſuſpicio gravis contra actorem naſcitur.

(a) *Matth. XIX. 2. ſeq.*
(b) *1. Cor. VII. 12. 13. ſeq. C. 8. X. de divort.* (c) *C. 7. 8. eod.*
(d) *C. 6. X. qui matr. accuſ.* (e) *C. 4. 5. X. de converſ. conjug.*
(f) *C. 2. eod.* (g) *Matth. V. 32. XIX. 9.*

ſin prolabitur, vel alia ratione profeſſioni Chriſtianæ fidei renuntiat (*a*). Si alteruter in morbum incidit contagioſum; ſi maritus atrociter ſævit in uxorem; ſi denique ſine periculo vitæ & ſalutis una eſſe nequeunt (1). In Francia *judex ſæcularis* (2) cognoſcit, ſive de adulterio criminaliter agatur, ſive de ſævitiis atrocibus, ſive de morbo contagioſo. Femina actrix pendente lite ſequeſtranda eſt vel a parentibus, vel in monaſterio, vel in alio loco tuto & honeſto (*b*). His caſibus ſeparari poſſunt conjuges *a thoro & menſa*; ſed renubere non poſſunt. Redire enim queunt, ſimulatque conſentiunt. Durante ſeparatione ſunt in eo ſtatu, quo conjuges, altero abſente vel ægrotante, eſſe ſolent.

IX. Soluto per mortem matrimonio, ſuperſtes conjux ad ſecunda, immo ad ulteriora vota, tranſire poteſt, quoniam Apoſtolus, hujus auctor libertatis illimitate loquitur (*c*). Ut ne femina quidem annum luctus obſervare teneatur (*d*). Sed viduæ ad ſecunda vota properantes non iterum benedictionem nuptialem h. e. preces ſuper ſponſa fundendas, nanciſcuntur, quam una vice impetraſſe ſufficit (3) (*e*). Ante omnia autem conſtare debet de morte prioris mariti vel uxoris idoneis auctoritatibus; alias nulla vel longiſſimi temporis præſcriptio, nec cauſſa ignorationis ſecunda vota excuſabit (*f*). *Matrimonium iteratur.*

X. Magni refert etiam in vita civili, ad ſtatum liberorum quoque noſſe, quo die quiſque baptizatus, quo nuptus ſit. Qua de cauſſa ex præſcripto canonum (*g*) & juris noſtri (*h*), Paſtoribus ſolemne eſt, liberorum, quos baptizant, nomina certis libris notare, quibus inſcribitur natalis (4), nomen infantis, parentum, parentum luſtricorum & duorum teſtium. Idem ſit in conjugatis, quorum & quatuor teſtium nomina conſignantur: nec alias matrimonii promiſſiones, præter eas, quæ ſcriptæ ſunt, judici audire licitum. Sunt & libri, quibus nomina morientium, addito die mortis & ſepulturæ, inſcribuntur. Qui libri, ſi ex præſcripto legum conſignantur, plenam vim probandi habent in omnis generis tribunalibus. *quomodo probetur?*

XI. Ceterum de ſacramentis generatim notandum, validitatem eorum non a fide & virtute miniſtri pendere, licet magis conſentaneum ſit, ut hi digni ſint mini- *Sacramenta ſancte habenda.*

(1) De cauſis divortii legitimis prolixius agit JCtus Gallus ANTON. DESPEISSIUS *tom. I. oper. de matrim. ſect.* 4. eaſque potiſſimum ad praxin Galliæ applicat.

(2) Addit HERICURTIUS *cit. l.* hanc rationem, quod vix ſeparatio talis concipi poſſit, in qua quæſtio civilis ratione alimentationis, & ſeparationis bonorum in commune collatorum non omne ferat punctum. Ex hoc fundamento Galli hanc praxin, juri canonico contrariam, ut plurimum defendunt, ut mirandum ſit, Proteſtantes ſegniores Gallis fuiſſe in reducenda fori ſecularis libertate antiqua.

(3) Magis colorem quam veram cauſam hæc ſapit ſententia; cur enim non eſſet reiteranda benedictio, novis nuptiis contractis? Vera deſumenda eſt ex doctrina antiquæ eccleſiæ, quæ ſecundas nuptias adeo odio habebat, ut indignas eas crediderit, quibus benedictio impertiretur. Paſſim id docent canones conciliorum per priora ſæcula, ex quibus adhuc plures aliæ concluſiones ſuperſunt in vita civili, quæ *pœnas ſecundarum nuptiarum* reſpiciunt, de quibus ex Gallis JCtis agit ANTONIUS DESPEISSIUS *tom. I. oper. P. I. ſect. VI. de matrim. p.* 315. *ſeqq.*

(4) Interim *natalis* non præciſe ex his libris probari poteſt, ſed duntaxat *baptiſmi dies*. Quoad hunc parochus teſtatur de *proprio facto*, in quo ei fides habenda: aſt intuitu illius fidem facit tantum, ex *aliorum relatione*, & ſic magis teſti de *auditu* alieno æquiparandus.

(a) *C.* 2. 7. *X. de divort.* (b) *C.* 8. 13. *X. de reſtit. ſpoliat.*
(c) 1. *Cor. VII.* 8. 39. (d) *C.* 4. 5. *X. de ſec. nupt.*
(e) *C.* 1. 2. *eod.* (f) *C.* 19. *X. de ſponſal.*
(g) *Concilii Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 1. 2.
(h) *Statut.* 1539. *ſtat. Bleſ. art.* 181.

miniſterio. Sed miniſter tamen intentionem habere debet, ſacramentum conferendi, h. e. ſerio peragere debet, ſaltem externe, actus ab Eccleſia imperatos: (1) nam de occultis & interioribus non judicamus mortales (*a*). Inter adminiſtrandum populus lingua vernacula de natura ſacramenti deque cærimoniis erudiendus eſt (*b*). Quæ inſtitutio actioni juncta mire auget reverentiam & devotionem. Adminiſter habet ſaltem unum clericum aſſiſtentem, qui reſpondeat precibus, cærimoniarumque partem peragat. Ubi clerici deſunt, laici, veluti in pagis ludimagiſtri, id faciunt.

CAPUT VII.

De Eccleſiis Ædificandis & Conſecrandis.

Sacrorum cauſſa eccleſiæ ædificantur

§ I. Res *ſacræ* ſunt Eccleſiæ & quidquid ad cultum publicum eſt neceſſarium. Eccleſiæ autem hoc loco non *cœtum fidelium*, ſed *locum* ſignificant, in quem fideles ſacrorum cauſſa confluunt. Licet enim in omni loco preces fundi poſſint, ſacrificium tamen Miſſæ non niſi in loco ſacro & in menſa conſecrata offerendum (*c*). Quod inde a ſæculo IV. obſervatum, ut ex Iſchyræ exemplo (2) patet (*d*). In longinquo tamen itinere & in caſtris ſola ſufficit menſa conſecrata, quod eſt *altare portatile* (*e*). Sed in oratoriis privatis inſalutato Epiſcopo Miſſam celebrare ac baptiſmum adminiſtrare prohibitum (*f*).

quæ ſint cauſſæ?

II. Ad novam ædem ſuſcitandam, vel ædem, aliis uſibus adhuc deſtinatam, conſecrandam, *cauſſa* opus eſt & *Epiſcopi* auctoritate. Cauſſæ legitimæ ſunt: 1. neceſſitas, ſi natio quæpiam ad Chriſtianam fidem adducta; ſi cœtum omnem una non amplius capit Eccleſia; ſi ad ædem ob itineris difficultatem & longinquitatem cuncti non commode confluere poſſunt (*g*). 2. Monaſterium vel alia nova congregatio inſtituta. 3. Devotio peculiaris ex voto vel ad certarum reliquiarum cuſtodiam (3). Nam primis ſtatim temporibus Romæ & in aliis civitatibus majoribus magnus ædium ſacrarum fuit numerus, licet fideles ſemper in unum

(1) Admodum temperat ſententiam communem de *intentione miniſtri Sacramenti* Auctor, quæ eo ſenſu admitti poteſt. Etenim ſi conſtat, eum non ſerio agere, ſed per *jocum* ritum in Sacramentis uſitatum expedire, quis diceret, Sacramentum ab eo celebratum eſſe? quamvis ob tam ſacrilegum facinus merito puniendus ſit graviſſime.

(2) Imputatum erat ab Euſebianis ATHANASIO, ejus juſſu in ædibus Iſchyræ, cui ille uſu ſacrorum interdixerat, *calicem myſticum* a Macario eſſe fractum, *menſam ſacram* ſubverſam, & *libros ſacros* combuſtos. Sacrilegio hæc imputatio adſcripta fuit, tantoſque motus dedit, ut concilii Tyrenſis patres Athanaſium deponerent, teſte SOZOMENO *lib. II. hiſt. eccleſ. c.* 25. Negari nequit, ex hoc exemplo jam quodammodo *rerum ſacrarum* colligi poſſe veſtigia. Id vero nondum evictum eſt, vaſa ſacra & menſam ſolenni ritu conſecrata fuiſſe, cum *ſacra* vel ab *uſu* & deſtinatione dici potuerint, æque ut *librorum ſacrorum* in hac hiſtoria ſit mentio.

(3) Hæc ratio originem capellis dedit. Magnates iter facientes, maxime peregrinantes ad locum religioſum vel ad terram ſanctam, reliquias ſanctorum ſecum ferebant, aſſervatas in repoſitorio ſeu conditorio, quod *cappas* & *capellas* dixere. vid. MATTHÆUS Pariſ. *ad ann.* 1242. *p.* 525 Domum reverſi mox *oratoria* exſtruxere, in quibus eæ in poſterum aſſervarentur, quæ inde *capellæ* dictæ, ſicuti in itinere in *capellis* aſſervatæ fuerant.

(a) *De conſecrat. diſt.* 4. *c.* 25. 26. *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *c.* 11. 12.
(b) *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *Ref. c.* 7. (c) *C.* 1. 12. *D.* 1. *de conſecr.*
(d) ATHANAS. 2. *Apol. p.* 781. *Hiſt. Eccl. l.* 11. *n.* 49.
(e) *C.* 30. *D.* 1. *eod.* (f) *C.* 33. 34. *D.* 1. *eod.*
(g) *C.* 3. *X. de Eccleſ. ædif.*

unum cœtum modo in hac, modo in alia æde, coirent (*a*). Ex cauſſis contrariis ædes vel inutiles aboleri, vel ſuperfluæ aliis inſeri poſſunt (*b*). Priuſquam Eccleſiæ conſtructionem concedat Epiſcopus, idoneis inſtrumentis docendum, eam eſſe ſatis ***dotatam***, h. e. certis reditibus ad fabricam, luminaria, & ſtipendia clericorum inſtructam, ut cultus publicus decenter peragi poſſit (*c*). Qui vero novæ fabricæ intercedendi cauſſam habet, audiendus eſt.

III. Atrio deſignato, Epiſcopus in loco, in quo altare fabricandum, crucem figit, lapidemque angularem inter preces, quibus Chriſti, tamquam *lapidis angularis* mentio fit, benedicit, myſteriaque per hanc conſtructionem ſignificata explanat (*d*). Ædificium autem ita ſtruendum, ut ſacerdos ad altare conſiſtens ***Orientem*** proſpiciat: itaque ab aliis ædificiis ſeparandum, ut circumiri poſſit, inſtructum *porticu* & *atrio* convenientibus. Simulatque perfectum eſt, ædis *dedicatio* (1) ſuſcipienda, quæ omnium cærimoniarum eccleſiaſticarum eſt longiſſima ac maxime ſolemnis. Jam ATHANASII temporibus officium divinum, excepto neceſſitatis caſu, non niſi in Eccleſia conſecrata celebrari potuit (*e*). *quomodo ædificandæ?*

IV. Dedicationem præcedunt *jejunium* & *vigiliæ* coram reliquiis, altari immittendis, cantandæ (2). Die præſtituto horis matutinis Epiſcopus novam ædem conſecrat variis benedictionibus & adſperſionibus extus & intus, adhibita aqua, ſale, vino, cinere, rebus ad purgationem factis. Suffitum addit, muroſque interiores hinc inde ſacro oleo inungit. Altare, quod eſt tabula ſaxea, conſecrat, in eoque reliquias condit. Denique ipſe Miſſam celebrat. Dedicationis ſolemnia per octiduum protrahuntur, ejuſque memoria quotannis recolitur (3). Tantam populo erga loca, precibus & divinorum myſteriorum celebrationi deſtinata, reverentiam incutere viſum. *quomodo conſecrandæ?*

V. Conſecratio, quoad ædes permanet, non iteratur; ſed cultu impio, ſanguine effuſo, vel enormi crimine polluta Eccleſia per aquam cum vino, ſale & cinere benedictam reconciliatur, precibus adiectis, quibus dæmon abigitur & remiſſio peccatorum impetratur (*f*). Reconciliatio (4) Eccleſiæ pollutæ, æque ac novæ ædis dedicatio ac altaris conſecratio, a ſolo Epiſcopo ſuſcipienda (*g*). Altare proprie loquendo eſt ſola tabula ſaxea, conſecrata, quæ ſi confringitur, conſecrationis vim amittit (*h*). Uſque dum Eccleſia conſecratur, benedici poteſt *quomodo pollutæ reconcilandæ?*

teſt

(1) Non *ſimplex*, ſed quæ *conſecrationem* denotat. *Simplex dedicatio* eſt ſolennis quædam loci deſtinatio ad uſum ſacrum aliumve, ejuſque in actum deductio per ritus quoſdam arbitrarios. Enimvero plus efficit *conſecratio*, qua res profanæ ex cenſu earum ita tranſeunt, ut juris divini prorſus fiant, & per actum *conſecrationis* divinam qualitatem accipiant, ut ad rem divinam faciendam adhiberi poſſent. Hanc igitur novam qualitatem ut accipiant res conſecratæ, tanto apparatu opus eſſe creditum fuit.

(2) Pridie enim illius diei, quo Eccleſia conſecranda eſt, Epiſcopus cum clero & populo proceſſionem inſtituit, reliquiaſque deportari curat ad tentorium, quod ante Eccleſiam pro aſſervandis per noctem reliquiis erectum eſt. Ipſe Eccleſiæ clerus illa nocte vigilias ante SS. reliquias celebrat, & ita ſeſe ad actum ſolennem præparat.

(3) Verum feſtum hoc anniverſarium maxime in pagis in *bacchanalia* & *mercatus* converſum eſt, ut pro eo abolendo magis quam propugnando laborandum ſit.

(4) Multus admodum atque ſubtilis in hac materia eſt PETRUS FRANCISCUS PASSERINUS *de pollut. Eccleſiar.* in quo tractatu de cauſis *pollutionis* magis quam de *reconciliatione* loci agit. Ipſe concedit, pollutionem magis *imaginariam* quam *veram* eſſe, ergo *imaginaria* quoque erit *reconciliatio*.

(a) *Hiſt. Eccl. l. 36. n. 16.* (b) *Concil. Trid. ſeſſ. 21. Ref. c. 7.*
(c) *C. 9. D. 1. de conſecr.* (d) *Pontif. Rom. de benedict. prim. lapid.*
(e) ATHANAS. 1. *Apol. p. 682. hiſt. eccl. l. 13. n. 40.*
(f) *C. 3. X. de conſecrat. Eccl.*
(g) *C. 9. X. de conſecrat. Eccl.* (h) *C. 1. ibid.*

teſt per presbyterum ab Epiſcopo delegatum, ad celebrandum officium, & ſi polluta eſt ante conſecrationem, a presbytero reconciliari poteſt.

non profanis uſibus adhibenda. VI. Eccleſia, orationis domus, profanis uſibus permitti non poteſt (*a*). Ergo nec in iis, nec in cœmeteriis, nundinandum, nec commercandum, nec jus dicendum, nec quidquam negotiorum humanorum, licet in ſe bona & honeſta ſint, peragendum (*b*). Neque in iis convivandum aut pernoctandum, niſi in tranſitu & urgente ſumma neceſſitate; nec merces aliæque res deponendæ, niſi in incendiis & hoſtium incurſione. In quo præſertim ſacrorum locorum conſiſtit immunitas, ad quam tuendam ne quidem opus eſt ut ædes conſecrata ſit (1), dum ſufficit, in ea celebrari divina myſteria (*c*).

Eccleſiarum immunitas. VII. Sed per immunitatem eccleſiaſticam vulgo indigitatur *jus aſyli* (*d*). Religionum enim reverentia ſacris locis refugii tutelam conciliavit, ut nemo vi adhibita ex iis extrahendus ſit, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit. Adigebantur quidem tales homines ad reparationem damni facti, & ad ſubeundam pœnitentiam, ſed non tradebantur quærentibus, niſi juraſſent, vitam ſalvam, membraque ſalva fore. Hoc aſyli jus vetuſtiſſimum (*e*) extenſum eſt ad cœmeteria, Epiſcoporum habitationes, monachorumque & canonicorum clauſtra, intra XXX. paſſus in circuitu, ad cruces in via regia fixas (*f*). Sed quum jure divino homicidæ etiam ab altaribus abripi poſſint ad ſupplicium (*g*), crimina atrocia exemta ſunt. Quia tamen etiam in his peccatum; aſyla omnia in Francia cum in cauſſis *civilibus*, tum in *criminalibus*, ſublata ſunt (2), ſimulatque *arreſtum* decernitur (*h*). In Italia tamen & in Hiſpania etiamnum viget hæc

(1) Obſervatione ſedula opus habet hæc ſententia, quæ in jure canonico quidem fundata, ſed admodum ſingularis eſt. Nam 1. inde fluit, conſecrationem talem, quam præſcribunt, magis ſuperfluam quam neceſſariam eſſe: 2. locum etiam ſacrum fieri poſſe ex ſola ſacrorum celebratione, & ita 3. ſanctitatem non minus denominari ex *uſu* & *deſtinatione*, quam ex peculiari eidem ſuperaddita divina qualitate per actum *conſecrationis*. Talis vero *ſanctitas*, quæ loco ex *uſu* & *deſtinatione* conciliatur, magis eſt *externa*, immunitatem externam habens, quam *interna*. Hæc enim denotat *ſingularem loci cujuſpiam ſeparationem, reſpectu divinæ peculiaris præſentiæ, dominii divini, & gratiæ ibi collocatæ, & per conſecrationem acquiſitæ*. Interim utplurimum talem ſanctitatem attribuunt locis conſecratis. Poſſes forſan dogma hoc ſingulare ita in concordiam deducere, ut loca *conſecrata* ſanctitatem internam quidem accipiant, non conſecrata vero, in quibus tamen divina celebrantur, tantum *ſanctitatem externam* ſeu immunitatem ab omni injuria, violatione, & ſtrepitu mundano.

(2) Varia hujus *aſyli* fata fuere, cujus ratio unice ab imperatorum & regum Francorum liberalitate pependit. Quia vero Epiſcopi hujus juris cauſam & determinationem ad ſe trahere conati ſunt, illudque ultra modum extenderunt, ſatis prudenter decretis regum Galliæ hiſce auſibus obviam itum, & ita libertas regni ab imperio epiſcoporum etiam in hoc jure incolumis & ſalva conſervata eſt. Non ergo eam ſtringit decantata illa GREGORII XIV. bulla *d.* 12. *Maii* 1591. edita, ſed in Gallia nunquam publicata, utpote quæ non potuit publicari ſine *placito regio*, ut loquuntur. Quamvis enim MICHAEL ANGELUS DONATUS *de aſylis reſ.* 210. hanc conſtitutionem etiam eas ligare terras, contendat, in quibus uſu haud recepta, parum tamen ei, ut homini Romano, fidem habebunt Galli, libertati ſuæ plus tribuentes, quam reſolutioni tali parum fundatæ. Ceterum, præter DONATUM, cujus tract. Romæ 1652. editus, de hoc jure copioſius etiam ſcripſere FARINACIUS & MYLERUS ab EHRENBACH.

(a) *Matth. XXI. 12.*
(b) *C. 2. & 5. X. de immun. Eccleſ.* (c) *C. 9. eod.*
(d) *C. 6. X. de immun. eccl. C. 17. q. 4. c. 6. 7. 8. &c.*
(e) *C. 23. q. 8. c. 28. ex concil. Sardic. an. 347.*
(f) *L. 3. C. Th. de his qui ad eccl. confug. tom. 3. Concil. pag. 1233. hiſt. eccleſ. l. 25. n. 32. l. 29. n. 26.* (g) *Exod. XXI. 14.* (h) *Statut. 1539. art. 166.*

hæc immunitas *localis*: præter quam ſuppetit *realis* quoque & *perſonalis*, illa *bonorum*, hæc *perſonarum* eccleſiaſticarum: de quibus *Part.* I. dictum.

CAPUT VIII.

De reliquiis, vaſis & libris ſacris.

I. RES in ædibus ſacris aſſervatæ vel ita comparatæ ſunt, ut a laicis tangi non poſſint, vel ad divinum cultum dumtaxat ſint deſtinatæ. *Res ſacræ*

II. Quæ a ſolis presbyteris tractari poſſunt, ſunt *eucharistia*, & *ſacrum oleum*; ſive id ſit chriſmatis, ſive infirmorum, ſive catechumenorum. Quod oleum die viridium inter ſacrum ab Epiſcopo conſecratur, & præſtituto die ac loco a paſtoribus accipitur, qui veteris reliquias luminaribus Eccleſiæ affundunt, & recens vaſis minimum ſtanneis aſſervant (*a*). Huc quoque ſanctorum pertinent *reliquiæ*; vaſa ſacra, ut *calices*, & *ſcutellæ*, quæ debent eſſe argenteæ vel ſaltem ſtanneæ, ſacro oleo ab Epiſcopo conſecratæ; nec non lintea altaris ab Epiſcopo vel mandatario presbytero benedicta (*b*). Quæ cuncta non niſi clericis, minimum ſubdiaconis, quadam ſacramentorum reverentia, tangenda ſunt. *a ſolis clericis tractandæ.*

III. Benedicuntur etiam *mappæ* ac omne altaris inſtrumentum, amictus, humerale, cinctura, manipulus, ſtola, caſula, tunica, veſtis dalmatica; cruces quoque, & imagines beatæ virginis & ſanctorum, quæ publicæ adorationi exponuntur. In quibus curandum Epiſcopo, ne qua ſint mutilæ, aut indecoræ, quæ ſcandalum dare poſſint; neve exponantur non approbatæ; propoſita earum utilitate, quæ conſiſtit in eo, ut vel *opus redemtionis* ob oculos, vel *ſanctorum virtutes* ad imitandum (1) nobis proponantur (*c*). Benedicuntur & capſulæ reliquiarum, inter preces, quibus flagitatur, ut præſentibus reliquiis fideles ſint a dæmonum inſidiis, cunctiſque tuti periculis cum ſpiritualibus, tum corporalibus. *cruces, imagines ſanctorum.*

IV. Reliquiæ antiquæ *extra capſam* non ſunt oſtendendæ, nec recens inventæ venerandæ, niſi prius auctoritate Epiſcopi ejuſque conſilii fuerint approbatæ (*d*). In omnibus videndum, ne quæſtui habeantur, vel commeſſationibus, tripudiis & profanis lætitiæ demonſtrationibus dedecorentur (*e*). Sancti novi non abſque auctoritate *Romanæ Eccleſiæ* (2), prævioque rigido teſtium & documentorum examine (*f*), quod judicium *canonizatio* audit, colendi ſunt. *reliquiæ,*

V. Omnium autem rerum, quæ in Eccleſia ſunt, nulla ſolemnius benedicitur (1), quam *campana*

(1) In hoc non videtur ſubſiſtere cultus vel *imaginum* vel *martyrum*. Bulla *canonizationis S. Udalrici* apud MABILLON. *in act. Bened. ſec. V. p.* 471. hanc ea de re prodit ſententiam: *Sic adoramus & colimus reliquias martyrum & confeſſorum, ut eum, cujus martyres & confeſſores ſunt, adoremus: honoramur ſervos, ut honor redundet in dominum, qui dixit: qui vos recipit, me recipit, ac proinde nos, qui fiduciam juſtitiæ noſtræ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementiſſimum Deum jugiter adjuvemur.*

(2) Hoc ius demum ſæculo X. natum, & antiqua diſciplina, qua Epiſcoporum auctoritas idem præſtabat, abrogata. S. UDALRICUS primus fuiſſe videtur, qui a JOANNE XV. a. 982. Sanctorum catalogo adſcriptus eſt, a quo tempore deinceps hoc negotium, ut *majus* & *arduum*, ſedi Romanæ appropriatum eſt. PAPEBROCH. *diſſ. de ſolemnium canonizat. initiis ac progreſſ.* FABRICIUS *in bibliogr. antiq. c.* 8.

(a) *c.* 4. *D.* 95. *c.* 1. *X. de cuſtod. euch.* (b) *Pontif. Rom. part.* II.
(c) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *fin.*
(d) *C.* 2. *X. de reliq.* (e) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *C.* 2. *X. de reliq.*
(f) *C.* 52. *X. de teſtib. C.* 1. *de reliq.*

(1), quam campanæ (*a*). Cantantur plures pſalmi, quibus partim auxilium divinum imploratur, partim Deus celebratur. Epiſcopus vel presbyter eas aqua benedicta lavat, iterumque atque iterum oleo infirmorum & chriſmatis inungit, ſuffitque thure & myrrha. Precibus explicatur campanarum uſus in excitanda fidelium devotione, in repellendis dæmonum inſidiis, & in tempeſtatibus diſſipandis.

veſtes, VI. In Eccleſiis porro ſunt veſtes ſacerdotales (2), pluvialia, altarium tegumenta varii coloris pro diverſitate miniſtrorum & altarium: item libri hymnorum, veluti, pſalteria, antiphonaria; gradualia, proceſſionalia, lectionaria, ſeu breviaria, miſſalia, ritualia vel manualia. Libri veteris & novi Teſtamenti olim in ſacriſtia ad uſum miſſaticum aſſervabantur; ſed hodie in habitationibus pres-*libri ſacri,* byterorum. Sunt autem libri iſti, ex traditione Eccleſiæ catholicæ, ſequentes: Et veteris Teſtamenti quidem Moſis Pentateuchus, ſcilicet Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Joſua; Judices; Ruth; Quatuor libri regum; duo Paralipomenon; Eſdras; Nehemias; Tobias; Judith; Eſther; Job; Pſalterium CL. hymnorum; Proverbia Salomonis; Eccleſiaſtes; Canticum; Sapientia; Eccleſiaſticus; Quatuor prophetæ majores, nimirum Jeſaias, Jeremias cum lamentationibus & Baruch, Ezechiel, & Daniel; Duodecim minores, videlicet, Hoſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michas, Naum, Habbacuc, Zephanias, Haggai, Zacharias, Malachias; Prior & poſterior Maccabæorum. Novi Teſtamenti; quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; Acta Apoſtolorum; Epiſtolæ Pauli XIV. una ad Romanos, quæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, una ad Hebræos; Epiſtola Jacobi una; Petri duæ; Joannis tres; Judæ una; Apocalypſis (3).

eorum verſio latina. VII. Quum officium divinum *latina lingua* inter nos peragatur, præ cæteris electa fuit *verſio*, quæ vocatur, vulgata (4), inde a ſæculo VII. fidelium ma-

nibus

(1) *Benedictionem* hunc ritum magis, quam *baptiſmum* appellandum eſſe cenſent ſaniores. Interim expediret quoque, ne ſchemata baptiſmi adhiberentur, quæ hunc loquendi uſum introduxere. Revera enim iidem ritus, qui in baptiſmo infantum adhibentur, hic deprehenduntur, ut *lotio*, *unctio* per oleum catechumenorum & *chriſma*, denique etiam ſolenni *patrinorum* aſſiſtentia, cum impoſitione *nominis*.

(2) De his veſtibus earumque ſignificatu myſtico, ex mente Romanæ Eccleſiæ, prolixe agit ANDREAS du SAUSSAY *de panoplia ſacerdotali ſeu de venerando ſacerdotum habitu*.

(3) Quæ ad hiſtoriam horum librorum pertinent, cum variis obſervationibus criticis erudite perſecutus eſt LUDOVICUS ELLIES du PIN peculiari tractatu, cui titulus: *diſſertation prèliminaire ou prolegomenes ſur la bible*, in quo tum in genere de S. Scriptura, tum in ſpecie de ſingulorum librorum auctoribus, auctoritate aliiſque copioſe egit.

(4) Hoc ipſo ſtudium linguarum orientalium, pleriſque ab hoc tempore neglectum, verus Scripturæ S. ſenſus ſæpe poſthabitus, pluribuſque erroribus anſa data fuit. Quis neſcit *Sacramentum* matrimonio aſſignari potiſſimum, ex *Eph. V. in f.* ubi loco *myſterii*, qua voce utitur textus græcus, ſubſtituta hæc ſunt: *hoc ſacramentum eſt magnum*, alia ut non tangam. Sed forſan *mendicantum* interfuit, ne a *vulgata*, quam unice callent, vel quoad ſyllabam recederetur, ut innuere videtur ERASMUS *in colloq.* cui titulus: *concio*. Mollius quodammodo concilii Tridentini ſententiam, *vulgatæ* auctoritatem authenticam tribuentem, interpretatur du PIN. *cit. tr. lib. I. c. 7. §. 2.* ut tantum primatum gerere debeat inter omnes *latinas verſiones*, quibus prælata duntaxat fuiſſe dicitur, non textui originali. *

* Notandum eſt illuſtrem Commentorem utpote a Romana Eccleſia aberrantem, Matrimonium negare Novæ Legis Sacramentum; cui minime adhærendum eſſe, non eſt hic locus ut probem.

(a) *Pontif. Rom. de campan. benedic.*

Digitized by Google

nibus trita, & pro *authentica* declarata, h. e. ut ea inter ſacra, orandum, prædicandum, diſputandum, cunctoſque actus publicos, adhibeatur, ita ut nemo eam, tamquam aliquid, quod fidei & moribus adverſum, continentem rejicere poſſit. Nihilominus Eccleſia agnoſcit veteris Teſtamenti verſionem græcam, qua Eccleſiæ orientales utuntur; neque induſtriam eorum, qui textum originalem pro ſuo quiſque modulo rimantur, condemnandam cenſet.

VIII. Sed verſiones in linguas vernaculas inde a ſæculo XIII. ſuſpectas habuit Eccleſia, eo quod Albigenſes aliique hæretici, ſpreta auctoritate Eccleſiæ, divinos libros ad ſuos ſenſus (1) detorquendos ſibi ſumſerunt (*a*). Unde Epiſcopis mandatum, ne promiſcuum talium verſionum uſum cunctis permittant, niſi qui a paſtoribus idonei reputentur ad fructum ex eis percipiendum: nec ulla nova verſio ſine Epiſcopi auctoritate divulganda (*b*). *damnatis vernaculis*

CAPUT IX.

De Sepulturis.

I. Cadavera fidelium, qui in communione Eccleſiæ deceſſerunt, quoad ejus fieri poteſt, in terra ſancta in cœmeteriis vel prope Eccleſias (2) ſepelienda ſunt, ut eorum propinqui & alii fideles, quoties ad ea ſacra loca veniunt, nec non ſancti, qui in iis adorantur, pro eis domino preces fundant (*c*). Cœmeterium propterea benedicendum hoc modo: Epiſcopus (3), poſtquam in eo quinque cruces ſolo defixit, ad potiorem in genua provolutus, Litanias recitat, totum locum aqua benedicta adſpergit, pſalmis pœnitentialibus recitatis, & coram ſingulis crucibus preces effundit, quibus ſpes remiſſionis peccatorum & beatæ reſurrectionis ingeminatur.

II. Sepulturæ non in Eccleſia, ſed in atrio vel porticu, vel in exedris, quæ extra Eccleſiam eſſe cenſentur, fieri debent (*d*). Interim inde a ſæculo X. contrarius uſus invaluit, eo quod Epiſcopi interdum aliique ſancti homines in Eccleſiis ſepelirentur (4) (*e*). Sepeliendus eſt quiſque in cœmeterio parochialis Eccleſiæ ſuæ, ubi euchariſtiam ſumſit, vel decimas ſolvit & oblationes. Liberum quoque eſt, more ſanctorum patriarcharum, ſepulchra majorum, liberum cui- *non in eccleſiis*,

(1) Ita confundendi hæretici, qui ſenſu ſuo abundare dicuntur, quoties ea, quæ ad interpretationem vel grammaticam vel logicam pertinent nolunt ſubmittere judicio Eccleſiæ h. e. dominantium Clericorum. Et tamen utraque interpretatio non eſt tale negotium, quod legibus ſubjici poſſit.

(2) Docent antiquitates, uſque ad ſæculum IX. fere ſepulturam liberam fuiſſe, ut quilibet in ſuo loco mortuum inferre potuerit. Sed nimius pruritus, cadavera circa eccleſias terræ mandandi, tandem effecit, ut omnium deſideriis ſatisfieret, & cœmeteria prope eccleſias erigerentur.

(3) Inde *erectio cœmeterii* ad iura epiſcopalia refertur, nec magiſtratui ſeculari conceditur. Ceterum qui a tali benedictione abſtinent, cœmeterium non aliter conſiderare poſſunt, quam *rem univerſitatis*, cujus erectio cuivis univerſitati permittenda eſt.

(4) In choro tamen eccleſiæ non alii ſepeliendi quam parochi, patroni, & domini juriſdictionales, quibus *honor ſepulturæ* datus eſt. v. FRANCISCUS de ROYE *de jurib. honorif. in eccleſ. lib. I. c. 9.* HERICURTIUS *de LL. eccleſ. ſecund. ordin. natural. p. 506. §. 6.*

(a) *Concil. Toloſ. 1229. c. 14.*

(b) *de libr. probib. reg. 4.*

(c) *C. 13. q. 2. c. 17.*

(d) *Concil. Braccar. c. 36. Tribur. c. 17. Nannet. c. 6. C. 13. q. 2. c. 15.*

(e) *C. 18. ibid.* THEODULF. *c. 9.*

cuique, quam velit, ſepulturam eligere, (1) ut nec uxor neceſſario ſit in ſepulchro mariti condenda (*a*).

fidelium cadavera ſepelienda

III. Mortui poſt certum ſpatium, ut de morte nullum dubium, ſepeliendi ſunt, poſtquam veteri more coram cadavere Miſſa celebrata eſt (*b*). Pompa funebri, accenſis cereis, inter cantum Pſalmorum pœnitentialium pro remiſſione peccatorum defuncti cadaver efferendum (2). Presbyteri & cuncti clerici, amictum & ornamenta ordinis induti, in præcipuo cœmeterii loco, condendi ſunt. Eſt & ſuus infantum, quorum ſalus indubia, locus, quorum funera cantu encomiaſtico celebrantur. Sepultorum corpora, niſi gravi de cauſſa & diſerta Epiſcopi venia, non effodiuntur.

gratis.

IV. Omnium canonum præceptum eſt, ne quid pro ſepultura vel obtentu aperiendæ terræ, vel luminarium, aliorumque ſumtuum cauſſa, quibus bona ſuppetunt eccleſiaſtica, muneris exigatur, ne ſacerdotes terram (3) vendere aut de mortibus, ſi ex cadaveribus certum compendium, gratulari videantur (*c*). Permiſſum tamen & laudabile eſt, *eleemoſynam* legari Eccleſiæ, ad quam ſepelimur (*d*). Quæ oblationes quum medio ævo maximæ eſſent, ægris oculis reſpectæ ſunt ſepulturæ in ædibus monaſteriorum, quibus cathedrales & parochiales Eccleſiæ tanto fructu privabantur (*e*). Unde ſtatutum eſt, ut, quemcumque quis ſepulturæ locum elegerit, Eccleſiæ parochiali ſemper *quarta* pars *funeralium* omnium & quarumcumque obventionum relictarum, inſtar legitimæ, danda ſit, quam *portionem canonicam* adpellamus, cujus pars quota pro locorum diverſitate eſt diverſa.

conſuetudo Franciæ

V. In Francia portio canonica exulat: ſed quocumque quis loco ſepeliatur, parochus cum clero ſuo cadaver domicilio effert ad portam Eccleſiæ monaſterii, in quo ſepeliendum: ubi poſtquam religioſis aſſeveravit, defunctum in communione Eccleſiæ deceſſiſſe, recedit (4), luminariumque dimidiam capit. Ita inter parochos & religioſos Pariſiis conventum (*f*). Parochorum *honorarium* pro diverſitate diœceſium, præſertim ruri degentium, qui certis reditibus deſtituuntur, varie definitum: unde prohibitio de non exigendo reſtringitur ad pactum præcedens, & ne qua pauperes, qui nihil ſolvere poſſunt, ſine ſolemnibus ſepeliantur (*g*).

quibus ſepultura denegetur?

VI. Sepultura eccleſiaſtica ſolis fidelibus conceditur; deneganda itaque infantibus non baptizatis, adultis infidelibus, hæreticis, excommunicatis, in manifeſto pec-

(1) Id in favorem *mendicantium* introductum, apud quos plerique eligere ſolent ſepulturam, adeo ut corpus ſuum inter eos dividant, quod hiſce ordinibus admodum lucroſum fuit.

(2) Inde ritus funebres partem *liturgiæ* conſtituunt, quæ *juris publici* cenſetur, ſingulorum diſpoſitioni haud ſuppoſita, ut pro lubitu eam negligere non poſſint, niſi venia impetrata.

(3) Quæ cum *benedicta* ſit, ſpiritualitatis quid alit, ut parum a Simonia abeſſe videantur, qui pro ſepulchro pecuniam exigunt. Quodſi cœmeterium, ut *locum univerſitatis*, conſideramus, etiam tunc jura non permittunt, ut pro ſepulchro aliquid exigatur, cum res univerſitatis in ſingulorum uſus & commoda cedere debeant.

(4) Si parochus cadaver domicilio defuncti efferre recuſat, deſuper a religioſis, penes quos ſepeliendus, admonetur, quo facto, ſi in contumacia perſeverat, integrum eſt religioſis, cadaver e domicilio ad ſuum monaſterium efferre, ut parlamenti Arreſtis probatum dedit HERICURTIUS *de LL. eccleſ. Gallia ſecund. ord. natural. p.* 506.

(a) *C.* 1. 7. *X. de ſepult.*
(b) *Ritual. Rom.* (c) *C.* 13. *q.* 2. *c.* 12. 13. 14. 15. *C.* 9. *X. de ſimon.*
(d) *C.* 9. 10. 11. *ibid.*
(e) *C.* 8. 10. *X. de ſepult. Cl.* 2. *eod. C.* 9. *X. de ſepult. Concil. Trid. ſeſſ. V.* 25. *Ref. c.* 51. (f) *Arret du* 27. *Mars* 1647. *Mem. Clergè part.* 1. *tit.* 2.
(g) *Ritual. Rom.*

Digitized by Google

ſto peccato, veluti in duello vel propria manu interemtis, uſurariis, concubinariis publicis, ſacramenti paſchalis contemtoribus, verbo, cunctis peccatoribus impœnitentibus (*a*). Hi omnes privantur ſepultura & precum fructu, (1) & ſi in loco ſacro conditi, effodiendi ſunt ac projiciendi (*b*), ut defuncti memoria infamia oneretur, & viventibus terror incutiatur. Qui ultimum ſupplicium paſſi ſunt, ſepeliri poſſunt, ſi condignam pœnitentiam egerint (*c*).

C A P U T X.

De Bonis eccleſiaſticis in univerſum.

Bona eccleſiæ neceſſaria,

I. DEvenimus ad res *temporales*, quæ Deo conſecratæ uſibus Eccleſiæ deſtinatæ ſunt. Nulla univerſitas ſine bonis communibus ſubſiſtere poteſt, quum vel in ſingulos conventus & in ſtipendia miniſtrorum publicorum ſit aliquid impendendum. Hinc a primis Eccleſiæ incunabulis ſymbolam contulere fideles, noctu quippe convenientes, ad luminaria, ad vaſa ſacra, ad panem vinumque eucharisticum, toties ſumtum; ad agapas, ad libros aliaque utenſilia comparanda. Alendi fuere præterea Epiſcopi, presbyteri, diaconi, qui, ut Eccleſiæ ſervirent liberius, plerique ad voluntariam paupertatem redacti erant. Curanda erant funera, hoſpitalitaſque exercenda in omnes Chriſtianos viatores. Providendum fuit virginibus Deo conſecratis, viduis, orphanis, infirmis, cunctiſque pauperibus fidelibus, (2) præſertim martyribus & confeſſoribus, vel in carceris ſqualore degentibus, vel ad metalla atque ad alia opera publica damnatis.

olim res mobiles

II. Non de primitiva Eccleſia Hieroſolymitana, in qua fideles cuncta habuere communia; ſed de ceteris omnibus loquor, quarum nulla fuit, quæ non pro facultatum modulo his ſumtibus ſuppeditaret, qui in tenui illa & laborioſa Chriſtianorum vita facile ſuppetebant, omni plura habendi deſiderio & lucri cupidine perſecutionum æſtu diſſipata (*d*). Unde bona Eccleſiæ illis temporibus conſiſtebant in rebus mobilibus, quæ facile aſportari, abſcondi vel diſtribui poſſent: veluti in pecunia aut rebus ad victum & amictum neceſſariis, in frumento, vino, oleo, veſtibus pro pauperibus (*e*).

ex 1. oblationibus

III. Judæi, Deo decimas & primitias fructuum, nec non varia ſubſidia ad ſacrificia & vota offerre ſoliti, quum Chriſtiani fierent, idem inſtitutum ſub Evangelio urgendum eſſe cenſuerunt. Pagani autem, ad Chriſtum converſi, maximos ſumtus in ſacrificia idolorum & in profana ſpectacula facere conſueverunt.

Quid-

(1) Species hæc nova *banni eccleſiaſtici* eſt nata ex regula juris antiqua: *quibus vivis non communicavimus, iis nec mortuis communicare debemus*, *cap.* 1. 3. C. 24. *q.* 2. Communicatio cum defunctis conſiſtit in oblationibus pro iis & precum ſubſidio, imo & in loci benedicti uſu, quibus prærogativis extra eccleſiæ communionem degentes privantur. Inde cognitio de *ſepultura eccleſiaſtica* eſt *fori eccleſiaſtici*.

(2) Ab hoc primario fine, in quem *oblationes* fiebant, dicta ſunt bona eccleſiaſtica *patrimonium pauperum*, ceu ex antiquis documentis erudite evicerunt THOMASSINUS *de vet. & nov. eccleſ. diſcipl. P. III. lib.* 3. *c.* 26. *ſeqq.* & LAUNOIUS *de cura eccleſiæ pro miſeris & pauper.* Horum in tantum curam habebant antiqui epiſcopi, ut bona immobilia promiſcue alienarent, & pretium in pauperes dividerent, & hac de cauſa eo juſtiores cenſebantur oblationes, quo alieniores ab omni ſuperſtitione erant, qua poſtmodum infectæ ſunt, ubi *imaginarii* & *affecti pauperes* invaluerunt.

(a) *C.* 2. *de hæretic. in* 6. *C.* 2. *de uſur. in* 6. *C. omn. utriuſque X. de pœnit.*
(b) *C.* 12. *X. de ſepult.* (c) *C.* 13. *q.* 2. *c.* 30.
(d) *Mor. Chriſt. c.* 28. 50. JUSTINUS 1. *Apol. in fin.*
(e) TERTULL. *apol. c.* 39. *vid. Acta Colon. Cirtb.*

Quidquid hujus eſt, id ſane conſtat, inde a principio (1) fidelibus ***decimarum*** & ***primitiarum*** oblationes fuiſſe commendatas (*a*).

volunta-riis. IV. Oblationes iſtæ *voluntariæ* fuere, ad quas antiſtites populum exhortabantur: Fideles autem quid, quale, quando & quantum vellent, vel in hebdomadas, quod Paulus ſuadet (*b*), vel in menſes vel aliter offerebant (*c*). Relatæ ſunt ad Epiſcopum, vel in certum locum, ubi diaconi oblationes acceptas aſſervarunt, & pro re nata ex nutu Epiſcopi diſpenſarunt (*d*). Epiſcopus nullam rationem reddidit, quippe haud ſuſpectus (*e*). Non enim electus fuiſſet, ſi non de animis, multo ſane pretioſioribus, Deo rationem eum reddere poſſe, certum fuiſſet (*f*).

Poſt im-mobilia eccleſiis data. V. Pace poſt perſecutiones redeunte, quum imperatores & principes Chriſtiani fierent, libere donatum Eccleſiis; nec cuiquam nimiæ donationes videbantur, quæ tanta cura diſtribuebantur (*g*). Habuere quidem jam antea Eccleſiæ bona *immobilia*, quod ex edicto CONSTANTINI & LICINII manifeſtum, quo an. 313. eorum reſtitutio urgebatur (*h*); ſed poſtea numero creverunt. Nam & in civitatibus domus & ruri prædia, h. e. pagi cum omnibus habitatoribus, qui ſervi erant, donabantur, tanta munificentia, ut v. gr. Eccleſia Romana terras haberet prope Euphratem, e quibus thus & ſuffitum capiebat (*i*). Ad quas adminiſtrandas ſubdiaconi vel alii clerici emittebantur (2) (*k*).

a diſpen-ſatoribus admini-ſtrata; VI. Iis igitur temporibus duplicis generis bona habuere Eccleſiæ; *fundos*, e quibus certi reditus; & *oblationes* quotidianas, quæ parcius quidem, ſed tamen fiebant. Sanctiſſimus quiſque Epiſcoporum, priores exoſi, maluiſſent obventiones iſtas fortuitas, ſi ſuffeciſſent, quam ſatraparum more a conductoribus rationes exigere, alioſque labores, ſine quibus annui reditus colligi nequeunt, ſuſcipere (*l*). Quod onus vel in *archidiaconos*, vel in *œconomos* devolverunt (3), qui in omnibus Eccleſiis, inſtituti (*m*), & e corpore clericorum lecti ſunt; Epiſco-

(1) Enimvero idoneo teſtimonio id nunquam probabit AUCTOR, nec ei præſidium faciunt *conſtitutiones Apoſtolicæ* ſæculo V. fabricatæ, quo *decimarum* & *primitiarum* doctrina potiſſimum inculcari cœpta. Ad minimum ante ſæculum VI. per concilia *decimarum* tributum nemini impoſitum legitur. Neque enim patrum quorundam privata doctrina praxin eccleſiæ univerſalem oſtendit.

(2) Sic etiam in Gallia eccleſia Romana fundos quoſdam per teſtamenta vel donationes fidelium poſſidebat, quos *ad firmam* conceſſerat colonis, de quibus hi quotannis eccleſiæ Romanæ cenſum ſolvebant. GREGOR. *lib. V. epiſt.* 5. MAIMBURGIUS *in hiſtor. Gregor. M. lib. III. in f. p.* 314. *ſeqq.* Pro lubitu de his bonis diſponendi eaque alienandi retinuit libertatem eccleſia Romana uſque ad ſæculum VI. vid. JUSTELLUS & VOELLIUS *in biblioth. jur. can. antiq. p.* 761.

(3) Optime hoc illuſtrat MORINUS *de SS. ordinib. P. III. ex.* 16. *c.* 5. §. 3. *Cum bona tam immobilia quam quotidianæ fidelium oblationes ad omnem clerum pertinerent, nec eſſet deſignata aliqua pars, quæ hujus vel illius clerici, his bonis curandis, adminiſtrandis & diſtribuendis deputatus erat a clero aliquis, quem œconomum canones appellant, ne ſi epiſcopus ea ſola adminiſtraſſet, excepiſſet, diſtribuiſſet, ſuſpectus aliquando fieret rei communis male adminiſtratæ, ſurreptæ, ſibi vindicatæ, atque eo nomine apud clerum & laicos male audiret.* His præmiſſis œconomorum officia ſpeciatim delineat & ex antiquitate illuſtrat.

(a) *Conſt. apoſt.* 2. *c.* 25. (b) 1. *Cor. XVI.* 2. 2. *Cor. IX.* 1.
(c) TERTULL. *apol. c.* 39. (d) *Can. Apoſt.* 3. 4. 5.
(e) *C.* 12. *q.* 2. *c.* 34. (f) *Can. apoſt.* 41. (g) *Mor. Chriſt.* 39.
(h) EUSEB. 10. *hiſt. c.* 5. LACTANTIUS *de mortib. perſecut. n.* 45.
(i) *Hiſt. eccl. l.* 9. *n.* 46. *l.* 35. *n.* 15.
(k) GREGOR. 1 *ep.* 70. 73. 7. *ep.* 17. 18.
(l) CHRYSOSTOM. *in Matth. hom.* 85. POSSIDON. *vita Auguſt. c.* 23.
(m) *Concil. Chalced. c.* 26.

piſcopo tamen rationem reddituri (*a*). Optimi Epiſcopi, qui bona ſua omnia pauperibus erogarunt, bona Eccleſiæ omni modo augere ſategerunt (*b*).

VII. Bona illa erant *communia*, diſtribuebanturque ex nutu Epiſcopi inter clericos & pauperes. Mos generatim fuit, ut *quatuor* partes fierent, quarum una *epiſcopo* & familiæ ejus propter hoſpitalitatem exercendam, altera *clero*, tertia *pauperibus*, quarta *Eccleſiis reparandis* ceſſit (*c*). Quod negotium non fuit diviſio quæpiam fundorum, ſed nuda redituum aſſignatio, quæ e re nata mutari poterat (*d*). *diſtributio redituum.*

VIII. Clericis non communiter viventibus, vel quod uxores ſortiti eſſent, vel aliis de cauſſis, ſtipendia vel *hebdomadalia* vel *menſtrua* vel in pecunia numerata, vel certa cibariorum portione, quæ proinde *præbenda* audit, ſuppeditabantur (*e*). Quæ pro opera navata augeri, minui, ſupprimive poterant. Sed hi Eccleſiæ miniſtri, qui ex Eccleſia alendi erant, ut populo exemplum perfectionis Chriſtianæ oſtenderent, jure ſuo ſæpe neglecto, pauperibus cuncta admenſi, ſuo patrimonio, vel labore, Pauli exemplo (*f*) & canonum præcepto, (*g*) vitam ſuſtentarunt (*h*). Communiter viventes, quos poſterior ætas *canonicos* vocavit (1), omni rerum humanarum cura ſoluti, paupertatem veluti monachi coluere (*i*). Hæc bonorum Eccleſiaſticorum primis octo ſæculis facies, hic uſus fuit. *Origo præbendarum.*

C A P U T XI.

De Bonis Eccleſiaſticis continuatio.

I. Inde a ſæculo IX. præter oblationes voluntarias & patrimonium Eccleſiarum (*k*) nova bonorum Eccleſiaſticorum ſpecies occurrit, decimæ videlicet, quæ ex eo tempore inſtar *tributi* exigi cœperunt. Antehac Chriſtiani de decimis & fructuum primitiis æque ac de ceteris eleemoſynis in pauperes conferendis monebantur, & ſingulorum pudori relinquebatur, vellentne dare, an non dare, ſic ut parem rationem haberent cum oblationibus quotidianis (*l*). Exeunte ſæculo VI. quum frigeſceret hoc officium (*m*), Epiſcopi in negligentes excommunicationis pœnam ſanxerunt (*n*). Quæ exactiones tamen in oriente inde a JUSTINIANI temporibus prohibitæ leguntur (*o*). *denique 3. decimæ.* *in oriente prohibitæ.*

II. Po-

(1) Intelligit Auctor ſine dubio eos, quos efformavit CHRODOGANGUS. Quis vero diſceret, eos in *paupertate* vixiſſe, quibus menſa communis quotidie ſtrata erat, ut de ſubſidiis vitæ ſolliciti eſſe non deberent? Nam ſæculo VII. & VIII. monaſteria jam bonis abundabant. Nec eccleſiæ cathedrales aut collegiatæ reditibus ſufficientibus carebant; quod tot diplomata donationum evincunt demonſtrantve. Ceterum id non nego, ex hac *vita communi* natam eſſe ſententiam, canonicos paupertatem profiteri, & titulo *paupertatis* ex penu eccleſiæ ali, quæ tandem anſam dedit, bona eccleſiaſtica generatim clericis adſignandi, quod hi inter omnes *paupertatem* profiterentur. Ita tandem *pauperum quarta* iis quoque ceſſit, & antiqua diviſio abolita eſt.

(a) *C.* 16. *q.* 7. 2. 21. *&c.* (b) *C.* 12. *q.* 1. *c.* 12.
(c) *C.* 12. *q.* 2. *c.* 30. (d) *c.* 23. *ibid.*
(e) *C.* 12. *q.* 1. *c.* 8. CYPRIAN. *ep.* 14. (f) *Act.* XX. 15.
(g) *c.* 3. 4. *D.* 91. (h) *C.* 12. *q.* 1. *c.* 25.
(i) *C.* 12. *q.* 1. *c.* 10. 11. *Hiſt. eccl. l.* 24. *n.* 40. (k) *Conſt. apoſt.* 2. *c.* 25.
(l) *Caſſ. coll.* 21. *c.* 5 6. 7. (m) AUGUST. *in Pſ.* 146. n. 17.
(n) *Matiſc. II. c.* 5. *an.* 685. *Cabilon. ſub Carolo M. c.* 1. *an.* 813.
(o) PHOT. *Nomoc. tit.* 6. *c.* 1.

In occidente impetrantur. II. Populi caritate ſæculo IX. magis frigeſcente, priſtinum cenſurarum rigorem auxerunt pœnæ a principibus adjectæ (*a*). Fortaſſis illa bonorum Eccleſiaſticorum diſſipatio anſam dedit incruſtando juri, quod ex lege divina (1) colorari poſſe videbatur. Bella enim civilia & Normannorum excurſiones regnum Francorum tum miſere lacerabant. Interim non ſine maximis fluctibus jus decimarum per ſeptemtrionem introductum eſt, parumque abſuit, quin Poloni L. annis poſt, quam ad Chriſtum converſi erant, hujus rei cauſſa fidem dimitterent (*b*). Thuringi an. 1373. Moguntino archiepiſcopo negarunt decimas, non niſi per vim exigendas (*c*). S. Canutus, Danorum rex, ſubditos ad decimas ſolvendas coacturus, rebellionem ſuſcitavit, in qua interiit (*d*). Et Friſia etiamnum decimas ignorat.

quia juris divini eſſe creduntur; III. Sunt, qui decimas *juris divini* eſſe cenſent (2) (*e*), omnemque cenſuum & tributorum exactionem, decimarum ſolutionem, nec deducta cultura & ſemente, præcedere volunt (*f*). Quum enim Deo deberi videantur in ſignum dominii univerſalis, cunctis debitis humanis præferuntur. Unde porro ſequitur, nullam terram his exemtam, & laicos, decimarum poſſeſſores, uſurpatores eſſe ſacrilegos (*g*). Ex eodem fonte manarunt decimæ perſonales ſeu induſtriales, ex arte factis, omnique honeſto lucro ſolvendæ, ne quis immunis eſſet (*h*).

quod negatur. IV. Thomas tamen Aquinas (*i*), & doctiſſimi Theologi decimas viderunt non eſſe *juris divini* (3), niſi quatenus ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ ſunt neceſſariæ. Lex enim Moſaica in moralibus ſolum obligat, obligavitque omnes

(1) Auctor, in *§. anteced.* aſſeruit, inſtar *tributi* cujuſdam exactas fuiſſe decimas. Hoc extra controverſiam poſitum eſt, olim decimas regibus fuiſſe ſolutas inſtar *tributi*, ut obſervat CLERICUS *in comm. ad Gen. XIV.* 34. & *XLVII.* 26. Theocratia a Deo erecta, *decimarum* jus certis legibus circumſcriptum fuit; quod Deus morem inter gentes receptum conſervandum, atque ſibi, ut ſummo in hac republica imperanti, hoc *tributum* reſervandum eſſe, conveniens exiſtimaret. Merito itaque in *republica judaica* hoc tributum ad *regalia divina* referendum erat, cujus commoda ex *ceſſione divina* ſacerdotes & Levitæ percipiebant. Inde vero ſimul liquet, 1. decimarum tributum ad *jus publicum reipublicæ judaicæ* pertinuiſſe, & hac destructa ceſſare debuiſſe: 2. clericos N. T. illud ſibi nullo jure vindicare potuiſſe, titulo *ceſſionis* deſtitutos, nec in tali republica viventes: 3 multo minus *jure regalium* hodie imperantes hoc tributum ſibi aſſerere poſſe, aliunde tribute pinguiſſime percipientes. Quæ ſi accurato perpenduntur judicio, facili evincunt negotio, *decimas* ab eccleſiis hodie poſſeſſas non alio jure cenſeri poſſe aut debere, quam ceterarum rerum eccleſiaſticarum reditus, id quod tamen, ut plurimum, negari ſolet.

(2) Facile ex rationibus ab AUCTORE adductis liquet, eum non alienum fuiſſe a ſententia, quam in nota præcedente tradidi, utut paulo timidius rationes ſubduxiſſe videatur. Liberius de hoc tributo adiſſerit PAULUS SARPIUS (vel potius, qui ſub hoc nomine latitat, M FULGENTIUS Brixienſis, Monachus Servita) in *tr. de benefic eccl. art.* 21. *qu.* 1. qui optime de hoc themate diſſerit.

(3) Inde etiam IDEM colligit, etiam a laicis decimas has poſſideri & percipi poſſe, hac tamen ſub reſtrictione: *poteſt laicis eccleſia concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant, jure accipiendi miniſtris eccleſiæ reſervato.* Inde diſcernit jus decimarum ab ejus *exercitio* ſeu *actu ſecundo*. Illud ſoli eccleſiæ tribuit, hoc vero etiam laicis communicari poſſe concedit. Enimvero ſi decimæ jure divino non debentur clericis, naturam ceterorum bonorum eccleſiaſticorum habent, quæ in perpetuum, etiam quoad jus ipſum, ab eccleſia alienari & a laicis præſcribi poſſunt.

(a) 5. *Capitul. c.* 46. (b) DUGLOSSUS *an.* 1022.
(c) LAMBERT *Schaffnab. an.* 1073. *hiſt. eccl. I.* 61. *n.* 18. *I.* 63. *n.* 73.
(d) SAXO *Gramm. l.* 11. *p.* 194.
(e) ZYPÆUS *jur. pontif. l.* 3. *decim. n.* 10.
(f) *C.* 33. *X. de decim.* (g) *C.* 19. *eod.*
(h) *C.* 20. *X. de decim. C.* 28. *eod.* (i) *C.* 2. *q.* 89.

omnes ante, quam ſcriberetur, quippe cordibus hominum inſcripta. Ad cærimonias autem & ad politiam Hebræorum referendum eſt, quod ſacerdotibus & Levitis, nulla hæreditatis portione mactatis, a ceteris tribubus decima redituum pars erat ſolvenda. Si igitur Chriſtiani aliunde clericis proſpicerent, hoc onere ſuperſedere poſſent. Præterea ſi in his legem veterem ſectari vellemus, Eccleſiæ nec immobilia, nec clerici patrimonia habere poſſent. Quare Græci ac ceteri per Orientem Chriſtiani *decimarum* exactiones numquam admiſerunt. Nihilominus hodie nos conſuetudine DCCC. annorum & conſtitutione humana, exemplo legis divinæ poſitivæ innixa, ad decimas tenemur (*a*).

V. Interea temporis bona eccleſiaſtica pederentim diſcerpta ſunt & in particulas illas abierunt, quas *beneficia* adpellamus. Monaſteria ſemper propria bona habuere, quorum, ob exemtionem, nulla umquam Epiſcopo ratio reddita. Circa ſæculum X. *menſa canonicorum* ſeparari cœpit a *menſa Epiſcopi*, & canonici ipſi, prout longius a communione receſſerunt, ſua bona ſeparatim poſſederunt: quum tamen in his plurimæ veteris communionis veſtigia obſerventur. Parochis autem ruralibus Epiſcopi vel decimas territorii permiſere, vel decimas ſibi ſervantes, ſalaria aut alios reditus aſſignarunt (*b*). *Reditus partiti originem dedere*

VI. Partitiones iſtæ, pro temporum & locorum diverſitate diverſæ, particulatim indicari non poſſunt. Id generatim conſtat, eo denique deventum eſſe, ut ſinguli officiales Eccleſiarum ſeparatos redditus nanciſcerentur, de quibus nemini ratio reddenda. Hujuſmodi reditus, officio eccleſiaſtico junctus, *beneficium* appellatur, quoniam Epiſcopi olim clericis, qui vitam in officio eccleſiaſtico exigunt, nonnumquam portionem quandam aſſignarunt, qua fruerentur, quæve ab ipſorum obitu rediret ad Eccleſiam. Quale quid in præmiis militum Romanorum obſervatum, quæ *beneficia* (1) vocantur, a quibus nonnulli *feudorum* noſtrorum origines derivant. Quidquid hujus ſit, *beneficiorum* eccleſiaſticorum exempla jam ſæculo VI. occurrunt (*c*), & jam ſæculo XII. *beneficii* vocabulum ſenſu hodierno acceptum (*d*). *beneficiis,*

VII. Partitio illa non fuit tam æqualis, ut non plures ſemper clerici eſſent quam beneficia, præſertim quum multi ordinarentur *ſine titulo*. Hi igitur vel ex oblationibus quotidianis, quæ adhuc vigebant, vel ex præmiis, pro functionibus diverſis præſtitis, vixere. Equidem Concil. Lateran. ſub Alexandro III. habitum horribilis ſimoniæ damnavit, qui pro clericis introducendis, pro ſepulturis & exſequiis mortuorum, pro benedictionibus nubentium, ſeu aliis ſacramentis aliquid exigunt (*e*). Quod autem ſponte offertur, accipere non prohibuit. Diſtinguendum ergo videbatur inter *pacta & exactiones coactas* & inter *retributiones voluntarias*, quæ præſtito demum officio offerebantur & accipi potuerunt, modo mini- *Clerici ſine beneficiis vivunt ex 4. bonorariis retributionibus.*

(1) Dubitandum non eſt, quin ab inſtitutis feudorum appellatio *beneficiorum eccleſiaſticorum* derivanda ſit. Antiquitus feuda quævis *beneficia* dicta fuiſſe noto notius eſt, quæ inſtar *ſalarii* ob ſervitia militaria vaſallis & militibus dabantur. Clerici etiam *militiam ſacram* exercere, *c.* 19. *C.* 23. *q.* 8. *c.* 1. *X. de cler. agrot.* MABILLON. *tom. II. analect. p.* 248. *ſeq.* & hujus intuitu reditus ex bonis eccleſiaſticis percipere credebantur, quia beneficium datur propter officium. Proinde ſicuti vaſalli certa bona fruenda accipiebant, ita clericis pariter propter officium ſacrum certa bona aſſignantur, adeo ut in his primævam feudorum, quæ itidem tantum ad vitam durabant, indolem perſpicere liceat. Conf. ESPEN. *P. II. jur. eccl. tit.* 18. *c.* 1. *§.* 2. *ſeqq.*

(a) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *Ref. c.* 12.
(b) *C.* 29. *X. de decim.* (c) *C.* 16. *q.* 1. *c.* 61.
(d) *Concil. Agath. c.* 22. *t.* 4. *Concil. Hiſt. eccl. l.* 31. *n.* 54. *l.* 32. *n.* 1.
(e) *C.* 9. *X. de ſimon.*

miniſtri ſincerum animum habeant, præmiaque illa non pretium ſacramentorum ac rerum ſpiritualium, ſed vitæ humanæ neceſſaria ſubſidia reputent (*a*).

ex lege pendendis, VIII. Retributiones iſtæ ad ultimum in conſuetudinem abierunt, ab Eccleſia adprobatam. Sed Albigenſes, presbyterorum & clericorum hoſtes jurati, calumniandi anſam inde arripuerunt, & plures catholici, Albigenſium veneno infecti, obtentu veterum canonum, retributiones conſuetas clericis denegarunt. Hinc concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. habitum *exactiones quidem prohibuit; ſed pias conſuetudines* (1) *obſervandas præcepit, ſtatuendo, ut libere conferantur eccleſiaſtica ſacramenta; Epiſcopi tamen locorum, veritate cognita, compeſcant, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare* (*b*).

etiam in Francia. IX. Hoc jure poſthac viximus, ſtatutis noſtris confirmato (*c*). In quibuſdam diœceſibus viſitatum eſt cataſtrum, ſecundum quod hæ retributiones, ſi de his litigetur, exiguuntur. Parochi civitatum, quippe decimis deſtituti, vix quidquam certi habent, quo ſemet ac collaboratores presbyteros exhibeant, ſi has retributiones amputaveris (2).

X. Hodierno jure igitur quatuor ſunt bonorum eccleſiaſticorum ſpecies: *oblationes* prorſus liberæ; *fundi* aliaque immobilia; *decimæ*; *retributiones* fortuitæ, ſed *exigibiles*. De immobilibus autem & decimis eſt, quod ſeorſim exhibebimus.

CAPUT XII.

De bonorum Eccleſiaſticorum alienatione & acquiſitione.

Immobilia I. Eccleſia bona immobilia nec libere acquirere, nec libere alienare poteſt. Deo enim conſecrata, in neminis proprietate ſunt, (3) & qui in iis præter præſcriptum canonum verſantur, *ſacrilegium* committunt (*d*). Principio quum ſatis perſpecta eſſet probitas Epiſcoporum, & ſervos manumittere, & vaſa ſa-

(1) Neque hæc conſuetudo *Simoniam* aut aliud vitium revera ſapit. Si Simoniæ labem incurreret, qui pro *officio ſacro* aliquod commodum percipit, beneficia quævis, quæ pro *officio* dantur, poſſidentur, & utilitatem præſtant, hoc vitio infecta forent, id quod citra calumniam dici nequit. Parum autem referre videtur, utrum cleri[c]i aliquid accipiant *in genere* per officio eccleſiaſtico, an in ſpecie pro *certo officio*, quod in gratiam certæ perſonæ præſtatur, modo præcaveatur, ne nimis acerbe & amare talia *jura Stolæ* exigantur. Denique ſi laici in ſubſidium ad ſuſtentationem clericorum conferre debent, quorum gratia eccleſiis inſerviunt, non adeo improbandum eſt, ſi ſingulis per legem eccleſiaſticam imponitur, ut pro certo actu ſacro, nomine eorum ſuſcepto & peracto, aliquid honorarii nomine præſtent.

(2) Eo æquiora cenſenda hæc honoraria in civitatibus, quo rariores ſunt in illis hi reditus, qui extra civitates percipiuntur, adeo ut primaria pars ſalarii in *juribus Stolæ* intuitu horum clericorum conſtitui debeat. Denique eo minus hæc jura iis ſunt amputanda, quo magis hodierno tempore cogitandum eſt, de ſalario paſtorum augendo, quam minuendo.

(3) Quantum ex hac ratione colligi poteſt, Auctor in communi opinione ſubſtitiſſe videtur, alienationem harum rerum *ex interna qualitate* interdictam fuiſſe. Enimvero quis ignorat, LENEMO primum in eccleſia Conſtantinopolitana per *l.* 14. *C. de SS. eccl.* hoc jus prohibitivum introduxiſſe, JUSTINIANUM vero in *nov.* 7. idem ad omnes eccleſias extendiſſe? Liberæ ergo erant ante hæc tempora alienationes, nec citra calumniam dici poteſt, ante hæc tempo-

(a) S. THOM. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. 3.

(b) *C.* 42. *X. de ſimon.*

(c) *Bleſ. art.* 51. *Melodun. art.* 27.

(d) *C.* 12. *q.* 2. *c.* 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

ſa ſacra, redimendorum captivorum cauſſa, diſtrahere, & reditus miniſtris Eccleſiæ aſſignare, & monaſteria condere potuere (*a*). Quibus quum nonnulli abuterentur; res ad concilia delata eſt, e quibus prodiere canones quibus Epiſcopis, aliiſque bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratoribus, omnis alienatio interdicitur, ne miniſtri & pauperes languerent (*b*). Succenturiantur principum conſtitutiones. LEO enim (*c*) alienationem bonorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ prohibuit, quod edictum ad omnes Eccleſias extendit JUSTINIANUS (*d*). Tales conſtitutiones neceſſario fuere poſtmodum renovandæ, quia Eccleſiaſtici, ſolum uſumfructum habentes, nonnumquam magis emolumenta e bonis haurienda, quam ſucceſſorum utilitatem ſpectarunt, præſertim noviſſimis temporibus, quum non ſeligerentur optimi. Per alienationem autem intelligitur donatio, venditio, permutatio, oppignoratio & ſiqui ſunt alii actus dominii translativi (*e*).

II. Sunt tamen & utiles Eccleſiæ alienationes (1), veluti ſi ædes ruinoſæ in emphyteuſin dantur, vel ſilveſtria loca aut aliæ terræ incultæ colonis permittuntur (*f*). Si terræ prope poſitæ cum longe poſitis commutantur (*g*). Jure veteri in his ſola Epiſcopi auctoritas & cleri conſenſus deſiderabatur (*h*). Exemtiones autem recurſum ad pontificem aperuerunt iis, qui Epiſcopo non ſunt ſubjecti: ſed id fere hodie negligitur, modo nulla ſubſit colluſio, quæ omnem alienationem vitiat. In Francia regis auctoritas accedat oportet, qua protectoris Eccleſiarum & canonum cuſtodis. *alienantur*

III. In alienandis igitur bonis eccleſiaſticis, ſi v. gr. capitulum ad æs alienum diluendum terram tenuis proventus diſtrahere cupit, in Francia hic ordo ſervatur, ut capitulum faciat ſenatus conſultum, quod Epiſcopus adprobat, & rex, a capitulo implorandus, confirmat (2), permiſſa alienatione. Reſcriptum regium a capitulo offertur homologationi ſenatus ſupremi, quem *parlamentum* vocant, qui, antequam petitioni ſubſcribit, perſpecta procuratoris generalis oratione, reſpondet, ſe diſpecturum de commodo & incommodo: quod judici regio in illa *ab epiſcopo conſentiente capitulo,*

tempora tot ſacrilegia, quot alienationes factæ ſunt, commiſſa fuiſſe, id quod tamen dicendum foret, ſi ex *interna qualitate* alienatio foret prohibita. Videlicet e re eccleſiæ fuit, tandem alienandi libertati modum præſcribere, poſtquam epiſcopi eadem abuterentur, & hac ipſa magis ſibi ſuiſque, quam illis, qui ex reditibus eccleſiæ alendi erant, conſulerent, ut AUCTOR ingenue fatetur. Sane admodum notabile eſt, quod SYMMACHUS papa in *concilio anno* 502. Romæ coacto tantum ſibi & ſucceſſoribus ſuis hanc legem de non alienando ſcripſerit, reliquis autem eccleſiis eam obtrudere noluerit, ut acta ejus, DIONYSII exigui collectioni adjecta, docent apud JUSTELLUM *in bibliot. jur. can. ant. p.* 261.

(1) Si res ab antiquo in emphyteuſin dari ſolita eſt, h. e. ſi ſub ea qualitate ab eccleſia acquiſita, facilius eodem modo aliis rurſus concedi poteſt, ubi ad eccleſiam revertitur, quia hoc modo antiquus rerum ſtatus non immutatur per *c. ambitioſæ. extravag. de reb. eccleſ. non alien.*

(2) Provide admodum reges Galliæ hoc jus ſibi reſervarunt, quod *jure reipublicæ* ſinguli principes merito ſibi aſſerere deberent, niſi eo jure in aliis regnis atque provinciis excidiſſent. Nec imperatoribus in imperio noſtro hoc jus denegandum, ſi inveſtituram per *annulum & baculum* ſibi reſervaſſent, quæ iis per injuriam extorta eſt.

(a) *Ibid. c. 66. c. 73.*
(b) *Ib. c.* 18. 19. 20. 21. 25. *C.* 41. *c.* 6. *X. de reb. eccl. alien.*
(c) *l. jubemus C. de ſacr. eccleſ.* (d) *Nov.* 7. *Nov.* 120.
(e) *C.* 5. *X. de ren. eccl. alien.* (f) *Nov.* 7. *c.* 3. *Nov.* 120. *c.* 6.
(g) *C.* 12. *q.* 2. *c.* 53. *Nov.* 128. *c.* 7. *C.* 1. *X. de rer. permut.*
(h) *C.* 12. *q.* 2. *c.* 51. *c.* 52. *in f.*

illa provincia demandatur. Cunctis rite peractis ſub haſta publica poſt conſuetas publicationes auctioneſque terra plus licitanti addicitur (*a*). Hæc ſolemnia ſi negliguntur, alienatio nulla eſt, neque vel primus acquirens, vel ejus heredes vel longiſſimi temporis præſcriptione, vel poſſeſſione tuti ſunt. Sed ſi titulus vitioſus non amplius appareat, & res ad tertium bonæ fidei & juſti tituli poſſeſſorem pervenerit, XL. annis præſcribi poteſt. Etiamſi autem Epiſcopi ſufficiat auctoritas, ſæpe tamen pontifex, ut acquirens eo tutior ſit, pro permittenda vel confirmanda alienatione adiri ſolet (*b*). Cujus auctoritas ad alienationes illas generales, quas ſæculi XVI. infauſta fata flagitarunt, acceſſit, adjectis ſolemnibus particularibus (*c*). Procerarum arborum exciſiones, quum alienationis ſpecies ſint, non niſi rege volente fieri poſſunt, cautione addita, pretium utiliter locatum iri.

& locantur. IV. Nec alienationibus ſolum, ſed & deteriorationibus, quibus ſucceſſorum conditio durior redditur, obviam itum eſt, prohibitis bonorum eccleſiaſticorum locationibus per ***anticipationem*** h. e. ſemeſtri ſpatio ante, quam poſſeſſio prædiorum urbanorum, & duobus annis ante, quam poſſeſſio prædiorum ruſticorum vacua ſit (*d*). In Francia extraneis, nobilibus, & magnatum miniſtris conductiones tales interdictæ ſunt, quia haud facile ad ſolvendum compelli poſſunt (*e*). Proſpectum eſt etiam reparationibus, quibus regii procuratores invigilant.

Immobilium acquiſitiones in Francia interdictæ, V. Tanta cura quum bona Eccleſiarum obſervarentur, lapſu plurium ſæculorum compertum eſt, Eccleſias plurima prædia poſſidere, in quibus multa uſurpata. Unde metuendum erat, ne Eccleſia, ſemper acquirens, numquam alienans, omnium immobilium vel majoris partis domina fieret. In rempublicam, cujus intereſt, ut multi fundi ſint in commercio, multum incommodi; in magnates & in regem, ob cenſus & tributa, maxime realia, ingens detrimentum redundavit, præſertim quum olim ob feuda poſſeſſores tenerentur ad ſervitia perſonalia. Quare clericis & præſertim communitatibus regio edicto generatim omnes acquiſitiones fuerunt prohibitæ; neque rex diſpenſat, niſi domino prius ***indemnitas***, & regi ***amortizationis*** jus præſtitum (1).

niſi domini indemnitas; VI. ***Indemnitas*** eſt conventio cum domino de certa pecuniæ ſumma ſolvenda pro jactura commodorum, quæ ex prædii tributis, cenſibus, operis, venditionibuſque in poſterum ſperare poſſet: Vel, ſi dominus nolit pretium, de homine vivente & moriente ſubſtituendo, quo moriente cenſus in tali mutatione debiti ſolvantur, aliuſque homo ſubſtituatur. ***Amortizatio*** eſt pretium regi ſolvendum de prædio; quod devenit in ***manus mortuas***, (2) hoc eſt, in proprietatem clericorum,

regi jus amortizationis præſtitum.

(1) In aliis quoque rebuſpublicis idem jus ſancte ſervatur, ut conſtitutiones paſſim editæ docent. Ad manus jam eſt *ſanctio pragmatica* Imperatoris glorioſæ memoriæ LEOPOLDI *de anno* 1679. *d.* 17. *nov.* quam in *comitatu Tyrolenſi* publicavit, quamque, ni me omnia fallunt, inviſtiſſimus Cæſar CAROLUS VI. renovavit & aliis quoque terris hæreditariis præſcripſit. Ex profeſſo de AMORTIZATIONE ſcripſit PETRUS PECKIUS, quod jus, ut vel ipſa denominatio indigitat, primum in Gallia natum, & ad alia quoque regna provinciaſque traductum eſt.

(2) *Manus mortua* denotat *poſſeſſorem immortalem*, qualis eſt eccleſia, ut non diffitetur PETRUS BELLUGA *in ſpec. princ. rubr. XIV.* Quæ enim ſemel in manus *eccleſiæ* pervenerunt, per leges eccleſiaſticas reddi non poſſunt, ſicut *manus mortua* nullam potentiam aliquid reddendi habet. Inde vero manifeſtum eſt, legem, de bonis eccleſiæ aliarumque piarum cauſarum non alienandis, iis quidem proficuam utilemque, ſed tandem reipublicæ damnoſam atque ſumme noxiam fuiſſe, adeoque vel hanc unicam obſervationem oſtendere, quantum rerumpublicarum interſit, ne ſupremam

(a) *Mem. du Clergé part.* 5. *tit.* 6.
(b) *Cl.* 1. *de reb. eccl. al.*
(c) *Mem. du Clergé part.* 4. *tit.* 6.
(d) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 11.
(e) *Statut. Bleſ. art.* 48.

torum, qui publicis oneribus non conferunt, ut laici. Si hoc negligitur, detentores obnoxii ſunt cenſui, novis acquiſitionibus ſubinde impoſito, tamquam mulctæ eorum, qui legibus regni neglectis nova prædia ſibi compararunt.

VII. Eſt & alia reſtringendi acquiſitiones Eccleſiarum ratio in Francia excogitata, dum univerſa *beneficiariorum* hæreditas, nulla ratione habita proventuum ex reditibus eccleſiaſticis, ad conſanguineos eorum defertur (*a*).

CAPUT XIII.

De Decimis.

I. QUantumvis maximo ſtudio ſequiora ſæcula in decimis ubique commendandis deſudarint; variis tamen limitibus hoc jus moribus circumſcriptum legitur. *Perſonales* ſeu induſtriales in plerisque parochiis exoleverunt, & *reales* non amplius de fructibus *civilibus*, veluti ædium locationibus & penſionibus ſolvunt, quippe ad ſolos fructus *naturales* reſtrictæ. *Decimæ,*

II. Nec ſtrictim *decima* pars ſingum; ſed plerumque minus præſtatur, veluti duodecimus quiſque vel quintus decimus; nonnullibi viceſimus vel triceſimus manipulus. Diſtinguuntur etiam decimæ *majores* a *minoribus*; *veteres* & *novales*. *Majores* penduntur de frumento omnique genere granorum; de vino & omnis generis potionibus, de fœno ac ceteris fructibus diſtentioribus pro ſoli natura: *Minores* de leguminibus & oleribus. Sunt & decimæ nutrimentorum, quibus animalia veſcuntur, veluti vitulorum, agnorum, ſuculorum; quæ proprio cujuſque provinciæ jure nituntur. *Novales* ſunt, quæ ex agris recens ad cultum redactis (1) (*c*), vel fructibus, qui decimæ ſubjecti ſunt, conſitis penduntur. Novitas circumſcribitur XL. annis ante, quam decimæ petuntur (*b*). *majores* *minores*

III. Decimæ invaluere, ut ſit, unde victus ſuppeditetur iis, qui alimenta ſpiritualia nobis ſubminiſtrant. Solvendæ igitur ſunt *paſtoribus*, qui populo decimanti doctrinam & ſacramenta adminiſtrant. Unde in quibuſdam provinciis Epiſcopi, tamquam paſtorum principes, omnes decimas; in aliis capitula cathedralium magnam decimarum partem poſſident, quippe quæ cum epiſcopo bona Eccleſiæ matris partitæ ſunt (2). Olim epiſcopo, ſi alio proventu deſtitutus, tertia vel quarta decimarum data (*d*). Parochi rurales plerumque decimis fruuntur, & quidem noſtris moribus optimo jure, quum maximam laborum partem exhauriant. *debentur perſonis eccleſiaſticis,*

IV. Ha-

premam inſpectionem in eccleſias & pia corpora deponant, & a ſe abdicent imperantes, id quod ubi factum, non ſine ingenti reipublicæ detrimento factum. Non invidenda eſſent bona eccleſiis piiſque corporibus, ſi modo limites modeſtiæ & pudoris obſervarent. Ceterum de JURIS AMORTIZANDI praxi in Gallia agit CHOPPINUS *de ſacra polit. forenſi lib. III. tit. 1.*

(1) De quibus non exſtat memoria, quod unquam culti fuerint; tales enim agri dicuntur *prædia novalia*. Non ergo huc pertinent prædia, quæ olim culturæ ſubjecta fuerunt, ſed ob tempeſtatem bellicam per plures annos inculta relicta, quæ *vetera* manent, nec jure *novalium* fruuntur. Non eadem enim ratio decimarum quoad vetera & nova prædia.

(2) Poſtquam vitam communem reliquerunt; unde dubitandum non eſt, decimas has, quarum magnam partem capitula poſſident, olim Epiſcopos ſibi & clero ſuo cathedrali vindicaſſe: ab his vero, bonis diviſis, ad capitula perveniſſe.

(a) *Conſuet. Pariſ. art.* 336.
(b) *C. 21. X. de verb. ſignif.* (c) *Le Pretre cent. 1. ch. 15.*
(d) *Concil. Aurel. c. 17. Pariſ. VI. an. 819. Gloſſ. in c. 19. X. de cenſ.*

& monaſteriis; IV. Habent & monachi vel abbates & priores monachorum ampliſſimas decimas, variis modis acquiſitas. Sunt enim, quas monachorum labori debent, qui terras inutiles ad cultum reduxerunt, in quibus deinceps vici & oppida condita: ſunt ab epiſcopis donatæ: ſunt & a magnatibus reſtitutæ, quas Eccleſiis olim in ruinis jacentibus eripuerant. Habent tamen etiamnum laici decimas, (1) quas *infeudatas* adpellant, haud dubie juris indubii.

& laicis. V. In *feudis* enim & *cenſibus* conſtituendis domini vaſallis prædia dederunt cum onere partis fructuum reddendæ, quod in colonis partiariis & in ſolario manifeſtum. Nonnumquam *decimas* vel *nonas* ſibi reſervarunt, quod etiam *Eccleſiaſtici* fecerunt. Ex quo autem vana perſuaſio omnes corripuit, decimas omnes de jure divino Eccleſiis deberi, creditum eſt, eas omnes, quas laici poſſident, uſurpari (2), & plures revera uſurpabantur.

cum reſtrictione. VI. Concilium Lateranenſe an. 1179. ſub Alexandro III. habitum prohibuit, ne laici decimas detinentes in alios laicos eas transferant: (*a*) & INNOCENTIUS III. agnoſcit (3) decimas laicis in feudum perpetuum datas (*b*). In Francia per has conſtitutiones laicis permittuntur decimæ, quas an. 1179. habuere, tamquam reditus vulgares. Quæ autem concilio Lateranenſi poſteriores ſunt, pro *illegitimis* habentur, ſi id probari poteſt. Sin minus, pro infeudationis antiquitate præſumitur, ſi probata ſit centenaria (4) poſſeſſio (*c*).

parochi loco decimarum portionem congruam eligere poſſunt. VII. Decimæ eccleſiaſticæ ſemper parochi eſſe præſumuntur, nec alius ab eo titulus exigitur, quam turris campanaria. Si *majores* ab aliis poſſidentur, ipſius ſunt ſemper *minores* & *novales*, niſi titulus adſit contrarius. Nam ſi in propoſita *decimarum* & *portionis congruæ* optione poſteriorem eligit, novales habebit ſolum ex agris inde ab optionis tempore ad cultum redactis (*d*). *Portio congrua* eſt penſio, quam epiſcopus, vel qui decimas majores habet, parocho aſſignat, vel in numerata pecunia, vel in fructibus. Idem obſervandum parocho primario

(1) Docent antiquitates, poſt CAROLI *Martelli* tempora promiſcue eccleſiaſtica bona militibus in feudum fuiſſe data, quorum nomine veniebant oblationes, decimæ, aliique reditus. *Tunc Eccleſiæ*, addit PETRUS de MARCA *in not. ad concil. Claromont. c. VII. eo jure poſſeſſa ſunt, quo cetera beneficia ſive feuda, adeo ut tandem in heredes quoque tranſierint, & expoſitæ hominum commercio*. vid. FILESACC. *de ſacrileg. laico*. Unde factum, ut decimæ a laicis uſurparentur, quas, reſtitutis licet Eccleſiis poſt tot conciliorum decreta, ſibi retinebant feudi titulo muniti. Quidam cum aliis bonis Eccleſias monaſteriis donabant, qua occaſione decimæ plures iis obvenerunt. Id moleſtum videbatur epiſcopis, adeoque ſub URBANO II. an. 1090. in *ſynodo Melfitana* cautum, *ne ullus laicus decimas ſuas aut Eccleſiam ſine conſenſu epiſcopi aut Romani conceſſione pontificis monaſteriis aut canonicis offerre præſumat*. Verum, pretio dato facile conſentiebant epiſcopi, unde *redemtio altarium* orta.

(2) Meretur hæc obſervatio attentionem, unde liquet datas fuiſſe olim decimas a laicis proprio jure poſſeſſas, non ab eccleſiis acquiſitas, quas jure ſuo in bonis, a colonis poſſeſſis, ſibi reſervare potuere. Ceterum *decimarum* nomen utplurimum retentum, utut ſæpe minor vel major quantitas præſtita ſit domino fundi.

(3) Poſſeſſores decimarum antiquarum potiſſimum olim ſeſe fundarunt in *concilii Lateran.* diſpoſitione, quæ tamen illis parum præſidii attulit, ut obſervat THOMASSINUS *de vet. & nov. eccl. diſcipl. P. III. lib. 1. c. 8. ſ. 7.* Magis eis profuit INNOCENTII. III. conſtitutio, qua amplexus eſt interpretationem uſualem concilii Lateranenſis, quam etiam confirmavit Alexander IV. in *c. 2. de decim. in 6.*

(4) Vel potius *immemorialis*, quia vetuſtas tanti temporis loco *optimi tituli* habetur, ut credere par ſit, eas ante concilii Lateranenſis ævum fuiſſe in feudum datas.

(a) *C. 19. X. de decim.* (b) *C. 7. X. de his quæ fiunt.*
(c) *Louet. D. 8. 9. Le Pretre cent. 1. ch. 13.* (d) *C. 29. X. de decim.*

rio erga parochum vicarium (*a*). Senatus conſultis Pariſienſibus *congruæ portionis* (1) ſumma trecentarum librarum conſtituta eſt, quam regulam rex an. 1686. omni Franciæ præſcripſit.

præſcriptio decimarum

VIII. Quota & forma decimarum XL. annis; obligatio ſolvendi a *laicis* nullo tempore præſcribitur. Eccleſia contra Eccleſiam; multo magis contra laicum, qui decimas poſſedit infeudatas, præſcribit XL. annis. Monachi Ciſtercienſes (2) prædiorum ſuorum decimas non ſolvere tenentur, quia ea ſuis manibus ſumtibuſque excoluerunt (*b*), Eadem immunitate gaudent equites militiæ Joanniticæ (*c*).

decimæ ex agris auferuntur.

IX. Quum decimæ ante omnia alia debita debeantur, in ſpecie ex agris auferuntur. Unde domini ſignificare tenentur diem meſſis & vindemiæ. Sæpe contingit, ut prædia ſint in diverſa parochia ſita: quo caſu decimæ inter utrumque parochum dividi ſolent. Nonnulli perſonam domini ſpectant, cujus parochus integras decimas capit utrimque (*d*), quæ vocantur decimæ *proſecutionis*. In his conſuetudo (3) ſpectanda, videndumque, ne qua diverſarum diœceſium decimæ confundantur.

decimæ pontifici pendendæ.

X. Levitis (*e*) præceptum legimus, ut decimarum a populo acceptarum decimas ſummo ſacerdoti donarent. Ex hoc principio *papales decimæ* manarunt (4), vanaque homines inceſſit perſuaſio, pontifici decimas fructuum omnium beneficiariorum deberi (*f*). Decimas acquiſitas papa aliis cedere & regibus donare poteſt. Unde reges noſtri inde a tempore PHILIPPI AUGUSTI ſæpe decimas a clero exigendas, ſi opus eſſet, impetrarunt. Tales an. 1516. a Leone X. impetravit Franciſcus I. quarum quotam ſequimur. Tandem an. 1580. comitiis Melodunenſibus & per contractus clericorum cum rege denis annis renovandos decimarum onus factum eſt perpetuum: cui donum gratuitum nonnumquam adjicitur. Sed horum ſubſidiorum enuncleatio magis ad notitiam ſtatus cleri Francici, quam juris eccleſiaſtici pertinet (*g*). Id ſolum obſerves velim, ex latino vocabulo *decimæ* linguam Francicam effigiaſſe *dixmes* & *decimes*. Illo vocabulo deſignamus decimas, quas laici Eccleſiis; hoc, quas clerici papæ vel regi pendunt.

CAPUT

(1) Hæc *congrua portio* tunc inventa eſt, poſtquam eccleſiæ in feudum datæ vel a monaſteriis redemtæ. Quia enim regendæ per *vicarium*, erant quem *perſonam* dixere, huic *portio congrua* aſſignanda fuit, unde paſceretur. HERICURTIUS *de LL. eccl. ſec. ord. natural. p.* 554. Ceterum hanc etiam ſupplendam eſſe ex decimis in feudum datis, plenius demonſtrat CHOPPINUS *de lit. eccl. for. lib. III. tit.* 4. *n.* 20. *ſeqq.*

(2) Cum vero hæc immunitas iis data fuerit, intuitu *paupertatis*, in qua ab initio vivebant, pontifex cenſuit, eam merito exſpiraſſe, poſtquam bonis ditati ſunt, *c.* 9. *X. de decim.*

(3) De variis locorum conſuetudinibus in ſolvendis decimis agit CHOPPINUS *de polit. eccl. for. lib. III. tit.* 4. *n.* 4.

(4) Tales tituli inventi ſunt a curia Romana, ut expeditiones in *terram ſanctam* hoc acquæſtu promovere poſſent, ut acta publica docent apud MARTENIUM *in theſ. anecd. tom.* 1. *p.* 1286. *& ſeqq.* Declarat hoc ipſum quoque oratio a legatis LEONIS X. coram imperatore MAXIMILIANO habita, *pro colligendis decimis in expeditionem contra Turcas* apud FREHERUM. *tom. II. rerum Germ. p.* 698. *edit. noviſſ.*

(a) *C.* 30. *X. de præbend.*
(b) *C.* 10. *X. de dec.* (c) *Hiſt. eccl. l.* 68. *n.* 20. S. BERNARD. *ep.* 352.
(d) *C.* 20. *X. de dec.* (e) *Num. XVIII.* 28.
(f) *Cl. ult. de dec. Extravag. un. eod.*
(g) *Vid. Commentar. de reb. Cleri Franc. ad calcem hujus opuſcul.*

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Beneficiis in univerſum.

Tranſitio. I. NUNC diſpiciendum de particulis, in quas bona eccleſiaſtica abierunt, deque ratione, qua ſingulis clericis attribuantur, h. e. de *beneficiis*, & & quibus modis acquirantur vel amittantur beneficia.

Beneficia ſunt vel ſæcularia, II. BENEFICIUM eſt *officium eccleſiaſticum, cui certi reditus ita annexi ſunt, ut ab eo ſeparari nequeant* (1). Beneficia ſunt vel ſæcularia, vel regularia. *Sæcularia* ſunt Epiſcopatus, præpoſituræ, decanatus, archidiaconatus, cancellariatus, cantoratus, ſcholaſtri dignitas, theſaurariatus, & ſi qua ſunt alia dignitatum capitularium nomina; canonicatus, qui ſunt vel ſine, vel cum præbenda, eaque vel integra vel dimidia. Sunt tamen in Francia duo capitula cathedralium, ex canonicis regularibus compoſita, ſcilicet Apamienſe & Ucetienſe. Porro prioratus, parochiatus, vicariatus perpetui, curæ ſimplices, prioratus ſimplices, ſacella.

vel regularia: III. *Regularia* ſunt Abbatiæ titulatæ (2), officia clauſtralia reditibus prædita, ut prioratus conventualis titulatus, officium camerarii, eleemoſynarii, hoſpitalarii, ſacriſtani, cellarii, alia; ſtationes monachorum veterum non correctorum habent inſtar beneficiorum, quod nomen tamen non datur niſi officiis proventu gaudentibus. Commendæ ſunt potius *ſæcularia beneficia*, ſi ſpectes eos, quibus conferuntur. Omnia beneficia præſumuntur eſſe *ſæcularia*, niſi probetur contrarium; quia *regularia* originem debent *diviſioni bonorum*, a monachis perperam ſuſceptæ: quod magis tolerandum, quam promovendum.

tranſitio. IV. De promotione epiſcoporum, quæ conſecrationem ſemper præcedit, ſatis dictum. Sed quia presbyteri & ceteri inferiores clerici ſæpiſſime ordinantur ante, quam beneficium impetraverint; de beneficiorum proviſionibus & collationibus nunc dicendi locus eſt. Dicam autem primo de collatoribus; tum de dotibus ad beneficia poſſidenda neceſſariis; denique de forma collationis.

CAPUT XV.

De Beneficiorum collatoribus.

Collatio olim epiſcoporum propria, diviſa cum capitulis. I. OMnium officiorum eccleſiaſticorum collator principio fuit epiſcopus, qui etiam abbates, a monachis electos inſtituit; cujus juris veſtigia in *benedictione ablatum* ſuperſunt. Contulit etiam omnia beneficia *ſæcularia*: quod jus hodie uſque adeo reſtrictum eſt, ut revera pauciſſima libere conferat. Veteri jure epiſcopus in eligendis Eccleſiæ miniſtris, æque ac in aliis negotiis majoris momenti, adhibuit conſilium cleri ſui, & de iis ad populum retulit, ut conſenſum totius eccleſiæ haberet, & fideles lubentius iis parerent, quorum electionem laudaſſent (*a*). Sæculo XII. canonici cathedralium ſoli *ſenatum epiſcopi*

(1) In ſenſu vulgari ita definiri ſolet. Alias *beneficium* in ſenſu nativo denotat *utile*, quod propter *officium ſacrum* percipitur; quia vero illud appetunt homines *primario*, ipſi officio hoc nomen tribui cœpit.

(2) Titulatæ abbatiæ opponuntur *commendatis*, quod jure *tituli* poſſideantur a veris abbatibus, qui profeſſionem monaſticam fecerunt, & ſic *jure proprio* beneficium percipiunt, cum commendæ magis *jure alieno* dicantur poſſideri.

(a) CYPRIAN. *ep.* 14. 29. 38.

ſcopi affectarunt, atque ex hoc principio nulla ſine ſuo conſenſu beneficia conferri permiſerunt. Poſt collationes illæ, æque ac ipſa bona eccleſiarum, varie diviſæ ſunt pro locorum varietate. Eſt, ubi *epiſcopus*; eſt, ubi *capitulum* (1) omnes confert præbendas; eſt denique, ubi diviſim conferunt (*a*). Capitulum dignitates confert per *electionem*, quæ nonnullibi a ſuperiore confirmanda. Tale beneficium vocatur *electivum confirmativum*. Ubi nulla confirmatione opus, beneficium vocatur *electivum collativum*. Hæc diſtinctio ſolo uſu invaluit, qui etiam ſolus capitulorum dignitates *electivas* reddidit. Nam ſecundum regulam ſola illa beneficia electiva ſunt, quæ vacua *eccleſiam viduam* faciunt, ut epiſcopatus & Abbatia. Epiſcopus ut plurimum eas dignitates confert, quæ diœceſin magis ſpectant, quam capitulum, ut archidiaconatus. Præter hæc omnia, concordata epiſcoporum cum capitulis (2) & poſſeſſio conſulenda.

ab aliis nominatos epiſcopus inſtituit, qui eſt collator ordinarius.

II. Epiſcopus neque omnes parochias libere confert, quum in pluribus ſequenda ſit *nominatio patronorum*. Nonnullas capitulum; quaſdam monachi vel monachæ conferunt (3). Sed quæ conferuntur a perſonis, nullam juriſdictionem ſpiritualem habentibus, veluti a virginibus religioſis & ab equitibus Joanniticis, his impertit epiſcopus *inſtitutionem* ſuam, quæ vocatur *auctoriſabilis* (4), quia per eam proviſi poteſtatem nanciſcuntur prædicandi & ſacramenta adminiſtrandi. Vicarius generalis ſine mandato ſpeciali conferre nequit (*b*). Sede vacante capitulum collationes *neceſſarias*, veluti inſtitutionem hominis a patrono nominati, ſuſcipere poteſt (*c*). *Liberæ* autem ſucceſſori, ut ceteri fructus, reſervandæ eſſent (*d*). Sed haud ita pridem capitula, ut papam occupent, (5) omnia beneficia vacua, quæ non ad regem ſpectant, conferenda ſibi ſumſerunt. De cetero beneficiorum collationes in *fructibus* cenſeri cœperunt, oblivioni dato veterum inſtituto, qui eas pro oneribus habuere, conſcientiam collatoris obligantibus: & quidem ita in fructibus cenſentur, ut ſint bonæ fidei poſſeſſoris (*e*). Perſonæ iſtæ, quæ jus conferendi vel proprio jure habent, vel nomine collegii exercent, adpellantur *collatores ordinarii*.

ſi ceſſat, collatio devolvitur ad ſuperiorem.

III. Quibus ceſſantibus, collatio eſt ſuperioris, ne eccleſia lugeat. Ceſſare autem intelliguntur, qui intra ſemeſtre a die ſcientiæ non conferunt (*f*). Si ſuperior rurſus ceſſat, hoc jus ad ejus ſuperiorem, & ſic per gradus ab epiſcopo ad Metropolitanum, tum ad primatem, denique ad papam devolvitur: unde *jus devolutionis* audit (*g*).

IV. At

(1) Multum refert, quomodo collatio fiat ob jus *devolutionis*. Si capitulum jus conferendi habet, hoc epiſcopus exercet ad ſupplendam negligentiam capituli *c.* 10. *de conceſſ. præb.* Si ſolus epiſcopus, archiepiſcopi eſt, ex jure *devolutionis* beneficium conferre.

(2) Ut capitula jura, quæ ſibi vindicaverunt, firmarent, capitulationes introductæ ſunt, quibus conſtringuntur electi, juramento accedente, ne vetera jura, ſibi debita, in uſum deducere poſſint. Hoc modo collationes plurium beneficiorum capitula ſibi confirmarunt.

(3) Poſtquam per *unionem* eccleſiæ parochiales monaſteriis incorporatæ ſunt, inde enim factum, ut parochiis *vicarios* præfecerint. Sæpe etiam a laicis jus patronatus monaſteriis ceſſum eſt.

(4) Ne videantur aliquod ſpirituale contuliſſe. Inde etiam jus patronatus *laicum* & *eccleſiaſticum* ſedulo diſtinguere & huic plus poteſtatis quam illi adſcribere ſolent.

(5) Qui concurſum in collationibus prætendit, quod omnium beneficiorum dominus ſit, & cum quovis *ordinario collatore* concurrat.

(a) *C. 2. X. de conceſſ. præb. C. un. de ſede vac. in 6.*
(b) *C. ult. de off. vicar. in 6.*
(c) *C. 14. X. de major. & obed.*
(d) *C. illa decret. X. ne ſed. vac.*
(e) *Vid. Gloſſ. c. 14. X. de maj. & obed.*
(f) *C. 21. X. de conc. præb.*
(g) *C. 3. X. de negl. ſup.*

Digitized by Google

Papa ſibi arrogat collationem vacantium & non vacantium beneficiorum, IV. At vero etiamſi non ceſſent, ſequioribus tamen temporibus perverſa ſedit ſententia, papæ ex plenitudine poteſtatis competere collationem omnium beneficiorum non vacantium ſolum, ſed & non vacantium, antequam vacant (1). Equidem concilio Lateranenſi III. an. 1179. beneficiorum non vacantium proviſiones inhibentur, quum ſint veluti diſpoſitiones de hereditate viventium & alienæ mortis captationes (*a*). Sed tam arguta eſt curia Romana, ut papam ſupra canones eſſe (2) præcipiat (*b*). Duo autem, beneficia nondum vacantia conferendi, modi ſunt excogitati, *exſpectativus* ſcilicet & *reſervativus*.

per exſpectantias, V. EXPECTATIVA eſt certa ſpes præbendæ v. gr. in certa eccleſia cathedrali, quandocumque vacaverit, obtinendæ a papa clerico facta. Quod quibus gradibus invaluerit, oſtendit THOMASSINUS (*c*). Principio papa clericos, Roma venientes, vel meritis graves, ſolum commendavit prælatis: quibus quum gratificarentur prælati ſemel atque iterum, quadam religione inſita; commendationes frequentabantur & nonnumquam ſuſque deque habebantur. Unde preces abierunt in mandata: *monitoriis* enim (ſic primas literas adpellabant) jungebantur *præceptoriæ*, quas excipiebant *executoriales*, quibus delegato judici imperatum, ut collatorem ordinarium vi adigeret ad conferendam homini Roma miſſo præbendam a papa conceſſam, aut, illo tergiverſante, ipſe conferret: quæ coactio ſæpe in *excommunicationem* deſiit. Atque tam indignis modis papa inde a ſeculo XII. collatorum ordinariorum jus ſubvertit.

& reſervationes, VI. RESERVATIO (3) proprie loquendo eſt declaratio pontificis, qua profitetur, ſe huic vel illi Eccleſiæ proviſurum, ſi quando vacaverit, ſimulque capitulo electionem, vel collatori collationem interdicit. A reſervationibus ſpecialibus facilis tranſitus fuit ad generales, ut Joannes XXII. ineunte ſæculo XIV. primam cancellariæ ſuæ regulam ſcriberet omnium per Chriſtianum orbem cathedralium reſervationem (*d*).

quæ in Francia abolitæ, VII. Omnem modum exceſſerunt iſta *cancellariæ Romanæ* inventa tempore ſchiſmatis Avenionenſis (4), inſanientibus utriuſque partis pontificibus, præſertim

tim

(1) Ab initio precibus egit, & cauſus eſt modeſtia, ut tantum in ſingulis eccleſiis unam collationem per preces faceret. Docent id literæ HONORII III. ad epiſcopos Galliæ, apud MARTENIUM & DURANDUM *in theſ. anecd. P. 1. p.* 929. quibus petiit ab iis unam præbendam in ſingulis eccleſiis cathedralibus & collegiatis. Mox per *imperium* egit, & una collatione haud contentus inſtar *ordinarii collatoris* cenſeri voluit, non tantum in Gallia, ſed etiam in Germania alibique.

(2) Hac de cauſa jus hoc ſoli pontifici adſcribitur, qui legibus ſolutus dicitur, quibus ſubjecti ſunt epiſcopi ceterique collatores.

(3) *Reſervationes* per calliditatem aulæ Romanæ introductæ ſunt. Utplurimum id agebant ordinarii collatores, ut collationem papæ prævenirent, poſtquam *jus conferendi* uſurpavit. Ad præventionem hanc impediendam; *reſervationes* fiebant, & ita *per indirectum* fere ubique ordinarii collatores excludebantur. Hinc 1. mox poſt ingreſſum ſui regiminis reſervationes determinabant, eaſque certis regulis includebant, ut liquet ex BENEDICTI XII. decretali *ad regimen extrav. comm. de prebend.* 2. reſervabant collationem illorum beneficiorum ad vitæ ſuæ terminum; morte enim exſpirabant: inde 3. tempore ſedis vacantiæ ordinarii collatores libere jus ſuum exercebant; aſt 4. electo pontifice, mox rurſus impediebantur per publicationem regularum, quæ determinabant reſervationes. En natales & rationem *regularum cancellariæ*, quas ad memoriam in ſcripturam redigebat *cancellarius* vel *Vicecancellarius* papæ, ut docet documentum d. ann. 1316. apud BALUZ. *in vit. Pap. Avenion. p.* 712. Ipſas *regulas cancellariæ* cum commentario edidit A. CHOCKIER.

(4) Potiſſimum Gallis moleſtiſſimi fuerunt pontifices, poſtquam in Gallia ſedem poſuerunt; procul a Jove, tutius eſſe, tunc demum didicerunt. CLEMENS. V.

&

(a) *C. 2. X. de conceſſ. præb.*
(b) *C. 4. §. licet eod. & ibi gloſſa.*
(c) *diſc. part. 4. l. 2. c. 10.*
(d) THOMASS. *ibid. c. 11.*

Digitized by Google

tim Bonifacio IX. cujus tempora incidunt in finem ſæculi XIV. (*a*) . Obicem his vitiis poſuere concilia Piſanum, Conſtantienſe & Baſileenſe, permiſſis dumtaxat *exſpectantiis*, quas vocarunt *mandata apoſtolica*. Hoc jus migravit in pragmaticam Bituricenſem (*b*), & inde in concordatum (*c*) , quibus nomine reſervationum omnes collationes anticipatæ intelliguntur: donec concilium Tridentinum (*d*) omnes una ex Eccleſia proſcriberet, abolitis omnibus *mandatis & expectantiis* etiam ad academias & ſumma tribunalia , indultorum , ſeu quocunque nomine & obtentu, datis vel dandis; prohibitis etiam reſervationibus mentalibus & generatim omnibus ad beneficia non vacantia nominationibus . Hinc ea pars concordati, quæ ad mandata apoſtolica pertinet, non amplius in uſu eſt.

VIII. Pragmatica Bituricenſis *Britanniam* noſtram *&* *Provinciam* , quæ nondum regno infertæ erant, haud affecit: unde nec *concordatum* ad has provincias extendi potuit. Quum *Britannia* an. 1532 regno adjiceretur , ejus provinciæ Epiſcopi non amplius reſervationi pontificis locum eſſe crediderunt, qui quotannis ſemeſtria providit beneficia, ſtilo cancellariæ Romanæ recepto (*e*) . Sed Henricus II. Innocentio X. gratificaturus, an. 1549. publico edicto partitionem collationis per ſemeſtre ſpatium inter pontificem & Epiſcopos confirmavit: quo jure etiamnum vivunt in Britannia noſtra (*f*) . In *Provincia* concordatum viget, ſic tamen, ut a prolegato Avenionenſi, qui propior eſt , petantur proviſiones beneficiorum , quæ Papa confert. Interim hæ duæ provinciæ vocantur *terræ obedientiæ* (1). In reliqua Francia, ad quam *concordatum* proprie pertinet, jus *præventionis* inter Papam & ordinarium a momento vacantiæ obtinet , ita ut proviſiones priores poſterioribus derogent ſtentque : quod moribus magis , quam lege aliqua , invaluit.

cum reſtrictione.

IX. Concilium Baſileenſe (*g*) exceperat reſervationes in *corpore juris* expreſſas, quas uſus reſtrinxit ad *vacantiam in curia*: quod jam Innocentii III. temporibus obſervatum legimus (*h*). Papa igitur beneficia , quorum titulares vel in curia, vel duorum dierum itinere a curia decedunt , ſolus (2) confert (*i*) . Idem jus cardinali legato a latere & vicelegato Avenionenſi (*k*), ita ut in iſta legatione tres concurrant collatores, ordinarius, legatus & Papa , inter quos jus præventionis obtinet.

niſi beneficium vacet in curia Romana.

C A-

& ipſe præſul Gallicanus , Gallorum præſules variis modis afflixit, & reſervationes rigide exercuit. Succeſſores haud clementiores fuere, imo praxin magis magiſque auxere. Exorto ſchiſmate CLEMENS VII. *omnia ſibi reſervavit , ut omnia diſſiparet & principum magnatumque favorem emercaretur*, ut THOMASSIN. *P. II. de diſc. eccl. lib. I. c.* 44. §. 5. apposite ait.

(1) Utpote quæ obedientia ſtrictiori ſedi papali ſubſunt, ejuſque juſſa reverentius ſubeunt , quam ceteræ Galliæ provinciæ , ut ſpecialius illuſtrat demonſtratque THOMASSIN. *de vet. & nov. eccl. diſc. P.* 2. *lib.* 1. *c.* 46.

(2) In his beneficiis papa facile omnes prævenire potuit, quod citius ei vacantia innoteſceret, quam ordinario, unde fere nunquam olim contingebat, ut eo caſu ordinarius conferre beneficia poſſet, id quod, ad hæc jure perpetuo *reſervanda*, occaſionem præbuit.

(a) THEODORICUS de NIEM *l.* 11. *c.* 7. 8. 9.
(b) *tit.* 2. *de elect.* (c) *tit.* 3. *de reſerv. ſubl.*
(d) *Seſſ.* 24. *Ref. c.* 9. (e) *Reg.* 9. (f) *Conf. ord. l.* 1. *tit.* 11. §. 12.
(g) *Seſſ.* 12. *decret. de elect.* (h) *C.* 23. *X. de accuſ.*
(i) *C.* 2. *X. de præb. in* 6. *extravag. ad regimen. & execrab.*
(k) *C. de off. leg. in* 6.

CAPUT XVI.

De Jure patronatus.

Nominatio vel eſt ex jure communi, vel ex privilegio.

I. COllator ſæpe in conferendo beneficio adſtringitur ad nominationem alterius; quod ubi fit, proviſio, non *collatio*, audit, ſed *inſtitutio*. Jus nominandi vel præſentandi vel ex jure communi deſcendit, ut *patronatus*; vel ex privilegio, ut nominationes gradum & indultum habentium, item nominationes regis Francorum aliorumque principum.

Juris communis eſt jus patronatus. Hujus origo.

II. Jus patronatus præcipue locum habet in parochiis ruralibus, ſacellis & minorum collegiatarum præbendis. Pleraque enim hujus generis beneficia originem debent oratoriis (1), quæ magnates & alii opulenti homines in prædiis ſuis in uſum domeſticorum & vaſallorum ſuorum exſtruxere. Quibus Epiſcopus unum vel plures ſubmiſit clericos, qui ſacrum facerent, quive a dominis expetebantur, ne quos alere tenerentur, qui iis diſplicerent (*a*). Poſtea quum eſſent Epiſcopi, qui hunc morem contemnerent, & domini, qui jure ſuo abuterentur, & Eccleſiam in ſervitutem redigere tentarent; canonum auxilio opus fuit (*b*).

quis ſit patronus?

III. Patronus eſt, qui Eccleſiam fundavit vel dotavit: quod idoneis documentis, aut quadragenaria poſſeſſione, tribus præſentationibus roborata, probandum. Jus patronatus tranſit ad hæredes & quoſcunque ſucceſſores, quippe prædiis affixum (2) (*c*). Si prædium eſt eccleſiaſticum, patronatus eſt eccleſiaſticus; ſi profanum, laicus, licet per accidens clericus eum poſſideat, veluti patrimonii partem. Sequitur alienationem prædii, cujus acceſſorium eſt; ſed ſeparatim vendi nequit, quippe jus ſpirituale (*d*). Eſt & indiviſibile nec inter plures heredes ſpargendum: ſed heredes aut conjunctim aut alternatim nominant, quorum ſuffragia ſi diſcrepant, præferendus eſt a pluribus nominatus, vel pluribus excellens dotibus (*e*). Suffragia autem per ſtirpes feruntur; non per capita. Hoc exercet, qui prædium *poſſidet*, licet *dominium* in lite verſetur (*f*).

quis & quando ſit nominandus?

IV. Patrono laico IV. menſes indulgentur ad nominandum (*g*). Sed in Normannia aliiſque provinciis VI. (*h*) Eccleſiaſtico ubique VI. qui tamen varia-
re

(1) Qui ab *eccleſiis parochialibus* adhuc diſtinguebantur, quod eſſent magis *domeſticæ*, & ſacra in iis extra ordinem fierent *propter fatigationem familiæ*, ut ajunt patres *concilii Agath.* 506. *c.* 21. Interim diebus ſolennioribus poſſeſſores horum oratoriorum una cum familia adhuc intereſſe tenebantur parochialibus eccleſiis, quas tandem prorſus neglexerunt; indeque factum eſt, ut hæc oratoria, in uſum familiæ exſtructa *parochialium eccleſiarum* indolem acceperint. Interim inde palam eſt, 1. oratoria hæc fuiſſe in magnatum dominio & proprietate, *c.* 23. C. 16. *q.* 7. BALUZ. *tom II. capitul. p.* 339. indeque 2. *patronos* dictos fuiſſe, qua appellatione olim *domini* denotabantur: 3. denique clericos ſuos de hac eccleſia & bonis eidem aſſignatis inveſtiviſſe, ut tamen 4. eos epiſcopo ſiſterent, tum ad *examen*, tum ad *ordinationem*.

(2) Datur tamen etiam *jus patronatus perſonale*, quod ſimpliciter citra reſpectum prædii patrono debetur, & ad omnes hæredes tranſit, ordine ſucceſſionis conſueto.

(a) THOMASS. *diſc. part.* 1. *l.* 2, *c.* 7.
(b) *Concil. Aurel.* 4. *c.* 7. 1. *Tolet.* 4. *c.* 2. *VVormat. c.* 49. *C.* 4. *X. de jur. patr. Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 9.
(c) *C.* 7. *X. de jur. patr.* (d) *C.* 16. *eod.* (e) *C.* 3. *eod.*
(f) *C.* 7. *c.* 19. *eod.* (g) *C. un. de jur. patr. in* 6.
(h) *Conſuet. Norm. art.* 70.

re nequit (1), ſuoque jure defunctus eſt, ſi unum præſentavit, licet ab ordinario indignus reputetur; quia in patrono eccleſiaſtico præſumitur canonum peritia (*a*). In laico ignorantia excuſatur, qui ſi præſentavit indignum, alium, immo duos præſentare conjunctim & ordinario electionem permittere poteſt (*b*). Nec in Francia Papa laicum prævenire, nec ordinarius laico invito perſonas præſentatas permutare poteſt, quia hoc ipſo per indirectum læderetur dominium prædii, cujus acceſſorium patronatus eſt. His commodis eccleſiaſticus patronus haud fruitur. Si patronus intra tempus præſtitutum non nominat, jure ſuo pro eo tempore excidit, quod ad ordinarium devolvitur. Patronus, etiamſi clericus, quantumcunque idoneus, ſemetipſum præſentare non poteſt, filium poteſt (*c*).

V. Patronus habet jus protegendi Eccleſiam, invigilatque commodis ejus (*d*). Eccleſiaſticus rationes ab adminiſtrantibus exigere poteſt: laicus vero epiſcopum monet, ſi bonorum dilapidatio metuitur (2). Habet etiam honores præcipuos, ut primus ſit in proceſſione, primus ſuffiatur, aqua benedicta adſpergatur, ad euchariſtiam accedat, (3) & ſi ad inopiam vergit, ab Eccleſia illi *modeſte* ſuccurratur (*e*). Jus Patronatus, ut ceteræ ſervitutes, amittitur *interitu rei*, cui inhæret, ſi Eccleſia forte exciſa, ſi beneficium exſtinctum; *renuntiatione* vel ceſſione Eccleſiæ facta, *non-uſu*, ſi ordinarius eſt in poſſeſſione libere conferendi: *crimine*, quod in re feudali *felonia* audiret, ut, ſi parochum occidiſſet (*f*); *hæreſi*, quæ eſt crimen læſæ majeſtatis divinæ. Sed hæc quidem exercitium tantum ſuſpendit in patrono laico, quod ipſe vel heredes ejus recuperant, ſimulatque cum Eccleſia catholica in gratiam redeunt.

quæ patroni jura?

CAPUT

(1) Plus juris attribuunt patrono *eccleſiaſtico* quam *laico*, quod illius præſentatio *electionis* inſtar cenſeatur, variatione omni excluſa; hujus vero nullum jus tribuat præſentato, adeoque *variatio* hoc effectu admittatur, ut ſi poſt primum alius præſentatus ſit, epiſcopo *jus eligendi* competat. Hoc tamen patronis magis noxium quam proficuum fuit, *c.* 5. & 24. *X. de jur. patron.* quia ita admodum enervatur jus patronatus, eligendi facultate alteri data. Ratio ab Auctore adducta, non adeo ſolida videtur, cum omnia ab examine epiſcopi dependeant. Clericos admittendos facilius cenſuerunt ad *collationes*, quam laicos. Inde horum præſentatio quovis modo enervari debuit, ne aliquid juris per illam transtuliſſe videantur, quæ præcautio in *clericis* haud neceſſaria fuit.

(2) Rurſus hoc diſcrimen ex ratione adducta deſumtum eſt, ne ullo modo in bona eccleſiaſtica jus quoddam exercere videatur, de quibus olim tamen paſtorem inveſtivit.

(3) Præterea habet honorem ſedis in choro, honorem ſepulturæ, precum publicarum, & luctus eccleſiaſtici in pleriſque Germaniæ eccleſiis: v. FRANC. de ROYE *de juribus eccleſ. honorificis*. Fluxere hæc jura ex moribus feudorum. Quid enim olim aliud fuit *patronus* quam *dominus directus*, quia de eccleſia eique bonis annexis inveſtiebat presbyterum? Ceterum praxin Galliæ circa jus PATRONATUS optime explicant FRANC. de ROYE *de jure patr.* FLORENS *de jure patron.* CHOPPINUS *de polit. eccl. Franc. ſecund. ord. natur. p.* 265. *ſeqq.*

(a) *C.* 24. *X. de jur. patr.*
(b) *C.* 29. *eod.* (c) *C.* 26. *eod.* (d) *C.* 16. *q.* 7. *c.* 31.
(e) *C.* 25. *X. eod.* 16. *q.* 7. *c.* 30. (f) *C.* 12. *X. de pæn.*

CAPUT XVII.

De his, qui laurea academica ſunt inſigniti.

Graduatis ob ſingularia merita

I. JUs horum hominum nititur decretis *concilii Baſileenſis*. Doctores Pariſienſes atque aliarum academiarum magiſtri, qui utiliſſimam Eccleſiæ in componendo ſchiſmate Avenionenſi operam navaverant, ſumma in conciliis ea de re habitis auctoritate conſpicui, quum de reformanda Eccleſia ageretur, inter ceteras corruptelas accuſarunt ſummam cum pontificis, tum ordinariorum in conferendis beneficiis incuriam, dum ſuis quiſque conſanguineis vel domeſticis, licet nullo literarum cultu tinctis (1), velificaretur, poſtularuntque, ut ratio haberetur eorum, qui omnem vitam, magno Eccleſiæ & reipublicæ bono, in literis degerent, hiſque, ſi habiles eſſent ad miniſterium, aditus ad beneficia eccleſiaſtica præ ceteris aperiretur (*a*).

tertia pars beneficiorum debetur,

II. Qua de cauſſa concilio Baſileenſi (*b*) ſtatutum eſt, ut tertia pars omnium beneficiorum (2) iis, qui in academiis privilegiatis lauream impetraſſent, addiceretur, idque tanto ſtudio, ut collationes aliis factæ pro irritis habendæ eſſent. Iis enim temporibus *gradus academici* doctrinæ & ſingularis dexteritatis inſigne reputabantur. Migravit hoc jus ex concilio in *pragmaticam* Bituricenſem (*c*), ulterius eo detortum, ut hujus tertiæ, *graduatis* debitæ, duæ tertiæ darentur membris academiarum (*d*): cui poſt adjectum, ut academia ipſa nominaret, quos prælatos vellet (3). Hi igitur *graduati nominati*, ceteri *graduati ſimplices* adpellantur. Eadem (4) pragmatica collatoribus omnibus & patronis eccleſiaſticis injunxit, ut exactum omnium beneficiorum, quæ conferre poſſunt, catalogum conficerent, ut ſecundum hujus ſeriem tertium quodque beneficium *graduatis* curate conferretur. *Concordatum*, jure ipſo conſervato, ſeriem catalogi, quippe minus tutam & incommodam, ſuſtulit, & graduatis cuncta beneficia quatuor anni menſibus vacantia attribuenda eſſe cenſuit (*e*): quo jure etiamnum vivimus.

etiam Francia

III. Gra-

(1) Verum eodem prætextu pontifices, promiſcue beneficia conferentes, graduatos tamen negligentes, utebantur, allegantes, ſe facile permiſſuros regi collationem præbendarum, ſi modo eas conferret *magiſtro in theologia* vel *doctori juris canonici* vel *civilis*, vel perſonæ ſingulari eruditione conſpicuæ. THOMASSIN. *de diſcipl. eccl. P. II. l.* 61. *c.* 33. *ſſ.* 2. Revera ergo Pontifices Gallis objecerunt, quod indignis ſæpe conferrentur beneficia, neglectis graduatis. Imprimis JOANNES XXII. præſules Galliæ objurgavit, quod inidoneos præferrent iis, qui in univerſitate Pariſienſi inſignem rei literariæ operam navaverant, teſte RAYNALDO *ad an.* 1318. *n.* 26. unde forſan tales abjurgationes etiam aliquid contulerunt, ut graduatis imprimis aditus ad beneficia aperiretur.

(2) Præterea etiam ad *parochias* civitatum hoc extenſum, ut hæ, ſi fieri poſſet, non aliis quam *graduatis* vel qui ſaltim per triennium in ſcholis theologiæ vel juris verſati vel ad magiſterium promoti eſſent, conferrentur.

(3) Præterea vero Academiis injunxit, ne quempiam gradibus Academicis inſignirent, niſi clericos *doctrinæ* & *probitatis ſpectatæ*; nam etiam eo tempore nonnunquam ad magiſterium provolabant, qui admodum jejuni erant, & quidem ideo, ut beneficiorum eccleſiaſticorum eo citius participes fierent.

(4) *Nominati* & *ſimplices* in eo differunt, quod hi teſtimonio ſuorum graduum tantum muniti ſint; illi vero ab Academia ſimul præſentati.

(a) *Rebuff. præf. in rubr. Conc. de coll.*
(b) *Seſſ.* 31. *decret. de coll. t.* 12. *concil.* 1. *p.* 605.
(c) *tit. de coll.* §. 9. (d) *ib.* §. 22. 23. (e) *tit.* 11. *de coll.*

qui ſint gradus?

III. Gradus illi, qui homini ſuffragantur ad beneficium obtinendum, ſunt gradus *magiſtri* ſeu *doctoris* in qualibet facultate, & gradus *baccalaurei* in tribus ſuperioribus: Baccalaureus autem ſeu *Licentiatus* perfectus doctori æquiparatur. Sed quum jam ex eo tempore *gradus* profunderentur indignis, ſtatutum eſt, ut candidati certum tempus in ſtudiis ultra grammaticam, incipientes a logica, transfigerent. Et theologiæ quidem doctorem X. juris civilis aut canonici, itemque medicinæ doctorem VII. Magiſtrum artium V. Baccalaureum VI. Juris vei medicinæ V. annos ſtudiis inſudaſſe oportet, exceptis nobilibus, quibus III. anni ſufficiunt. Oportet eum præterea eſſe tonſum ſeu in ordine, bonis moribus, aliiſque dotibus, quas jus commune requirit, inſtructum, proque natura beneficii ſæcularem vel regularem. Unde laurea medica propemodum exaruit, quum nemo fere clericorum arti medicæ litet.

quomodo graduati beneficia petant?

IV. Graduatus, jure ſuo uſurus, quemlibet collatorem ordinarium aut patronum eccleſiaſticum, nec unum ſolum, ſed & plures compellare poteſt, quibus exhibet acta, ad ſtatum, ſtudia laureamque ac nominationem impetratam pertinentia, ſollicitationemque quotannis in jejunio quadrageſimali repetit, prodito nomine & cognomine (*a*). Quo facto a collatore petere poteſt cuncta beneficia, menſibus *graduatorum* vacantia, qui ſunt *Januarius*, *Aprilis*, *Julius* & *October*. Et *Januarius* quidem ac *Julius* ſunt menſes *rigidiores*, quibus nemo prætereundus, ſed ſinguli pro tempore nominationis, vel, ſi plures eodem tempore nominati; pro ordine graduum & facultatum, ſunt providendi, ut theologia juris prudentiæ, doctor baccalaureo, baccalaureus magiſtro artium præferatur. Aprilis autem & October ſunt menſes *gratiæ*, quibus collatores etiam ex *graduatis ſimplicibus*, providere poſſunt, cui volunt (1). Omnis generis beneficia cadunt in *graduatos*, exceptis conſiſtorialibus, electivis, dignitatibus cathedralium & quæ *patroni laici* conferunt. Jus eorum locum habet dumtaxat, ſi beneficium *morte* (2) vacuum fiat. Papa eos prævenire poteſt, & ſi ſex menſes ceſſant a tempore vacantiæ, ordinarius libere confert.

non accumulanda.

V. Ne tamen hoc jus anſam præbeat accumulandis beneficiis, ſancitum eſt, graduatum, *ſi repletus* eſt, novum beneficium petere non poſſe. Cenſetur autem *repletus*, ſi beneficio gaudet annui proventus CC. aureorum, qui CCCC. libris æquiparantur: quod intelligendum *de ſæculari*; nam *regularis* vel minimo repletus cenſetur, quippe paupertatem profeſſus (*b*). In *repletione* ſola ſpectatur poſſeſſio, & pro beneficio cenſetur etiam penſio ob reſignationem vel ipſum beneficium reſignatum, quod intuitu *gradus* acquiſitum fuit; de quo in proviſionum literis mentio facienda. Si ad curam animarum admoventur, æque ac ceteri ab epiſcopo examinandi ſunt ob ſummam laurearum & teſtimoniorum in academiis impetrandorum facilitatem. Itaque concilii Baſileenſis ſapientiſſima, ſi illa tempora ſpectes, inſtituta hodie inutilia propemodum ſunt ad *dignam* beneficiorum *collationem*. Nam & jus *graduatorum* infinitarum litium mater eſt, & qui omnium

(1) Interim tamen graduatis collatio neceſſario facienda, alioquin enim collatio eſt irrita. Quomodo vero in caſu *rejectionis* procedatur, tradit HERICURTIUS *de LL. eccl. Franc. p.* 280. *§.* 21.

(2) Beneficia enim, quæ *permutatione* vacant, non poſſunt aliis quam permutantibus conferri, quin etiam epiſcopus ea, quæ ſimpliciter in manus epiſcopi reſignantur, libere confert, nulla graduatorum habita ratione. Ceterum ſicuti hæc ſanctio Gallis propria eſt, ita *Baſilienſis concilii* decretum in ſtatutis eccleſiarum cathedralium Germaniæ paſſim repetitum, atque in plerisque cautum, ne alii ad beneficia admitterentur, quam graduum Academicorum inſigniti & nobilitate avita conſpicui, vid. SCHATEN *in annal. Paderborn. ad an.* 1434. AUB. MIRÆUS *lib. I. donat. Belg. c.* 146. quod etiam reguſtatum in *Inſtr. pac. Oſnabrug. art. V. §.* 17.

(a) *Concord. tit.* 14. 15. 16. (b) *Edict.* 1606. *art.* 30.

nium ardentiſſime ad gradus anhelant, nec ſæpe ſatis docti, nec ſatis pii ſunt. Britannia noſtra hoc jus, ut reliqua pragmaticæ, ignorat. Concilium Tridentinum cum ceteris exſpectantiis (*a*) id aboleverat; paullo poſt tamen reſtitutum (*b*).

CAPUT XVIII.

De indultu, regalia, ceteriſque Regis Franciæ nominationibus.

Origo indulti. I. SUnt & aliæ nominationes per modum exſpectantiarum Franciæ propriæ. Quum enim Papæ exſpectantias ſibi arrogaſſent, ceſſerunt eas nonnumquam regibus, ut hi miniſtros ſuos clericos providere poſſent. Sic pontifices Avenionenſes ſæpe regi, nonnumquam reginæ ac regi, liberis (1), *indulſerunt*, ut miniſtros ſuos nominarent ad beneficia olim vacantia: quod negotium nihil aliud fuit, quam *ceſſio exſpectantiarum*. Unde derivandum eſt *indultum* officialium ſenatus Pariſienſis, cujus veſtigia apparent *an.* 1303. in actis Bonifacii VIII. & Philippi pulchri; complementum autem in Bulla Eugenii IV. *an.* 1434. data. Quod, quum exoleviſſet, a Paulo III. 1538. reſtitutum eſt, cujus bulla eſt regula hodierna (*c*), licet omnes *reſervationes* (*d*) abolitæ ſint, & concilium Tridentinum *indultum*, de quo ſermo, nominatim (*f*) abrogaverit, licet (*e*) reſtituere videatur.

quid indultum? II. Eſt autem *indultum* nihil aliud, quam jus a pontifice regi comiter datum, quo cuilibet collatori conſiliarium vel alium ſenatus Pariſienſis miniſtrum nominat, cui beneficium neceſſario eſt conferendum. Miniſter ille ſemel tantum providetur, & collator ſemel tantum oneratur, vel, ſi non moritur, ut ſunt univerſitates, ſemel, quoad rex vivit. Si miniſter eſt *clericus*, quod tempore conceſſi indulti ſolemne fuit, ipſe nominari poteſt (2). Si *laicus*, aliam perſonam habilem laudat, a rege nominandam. Quumque beneficia ſint vel *regularia* vel *ſæcularia*; ad illa ſemper aliæ perſonæ & quidem *religioſi* nominandi fuere: quod nonnumquam colluſionibus anſam dedit. Hinc Clemens IX. an. 1668. permiſit, ut beneficia regularia poſſiderent ceu *commendas*, eoſque demum *repletos* eſſe cen-

(1) Erat ergo hoc jus olim non *perpetuum*, ſed unice ex pontificum ſingulorum gratia dependebat. Hi tempore ſchiſmatis eo liberaliores erant in hac gratia profundenda, quo magis ſenatus regii & Parlamenti, in cujus favorem hæc *indulta* dabantur, favorem ſibi conciliare nitebantur. EUGENIUS IV. imprimis voluntates a ſe alienatas hoc modo ſibi reconciliare ſtuduit, atque cancellario Franciæ, præſidibus & ſenatoribus Parlamenti expectativam perpetuam obtulit, ut collatores ordinarii tenerentur ſemel uni indultariorum beneficium conferre, ſi modo *breviculo regio* munitus eſſet. Hæc eſt illa bulla, quam poſtea demum PAULUS III. in uſum traduxit, cum rationes politicæ obſtarent, quo minus EUGENII IV. indulto frui poſſet Gallia. Virtute hujus indulti 1. rex reſcriptum de providendo dat; 2. ad collatorem ordinarium & quidem 3. ad præſentationem unius ex ſenatu Pariſienſi, in cujus favorem proviſio facienda.

(2) H. e. ſemet ipſum præſentat regi, eumque rex nominat per *reſcriptum de providendo*. Singulis enim membris ſenatus Pariſienſis jus præſentandi competit, & quidem ideo, quod in eorum favorem hoc indultum regi conceſſum ſit, ut beneficio eccleſiaſtico perfruantur propter navatam eccleſiæ & reipublicæ operam. HERICURTIUS *de LL. eccleſ. Franciæ ſec. ord. nat. p.* 287.

(a) *Seſſ.* 14. *Ref. c.* 19. (b) *Seſſ.* 25. *c.* 9.
(c) *Mem. du Clergè part.* 2. *tit.* 9. (d) *in Pragmat. tit.* 3. *& Concord. tit.* 8.
(e) *Seſſ.* 14. *c.* 19. (f) *Seſſ.* 25. *c.* 5.

cenſuit, qui quotannis DC. libras meterent, quum antea CC. contenti agerent.

III. Simulatque regiæ literæ indulti indices collatori traditæ ſunt, collator vinctus eſt, & *indultarius* intra ſex menſes beneficium petere, nec a pontifice præveniri poteſt, ex quo petiit. Præfertur etiam graduatis, quum indultum ad ejuſdem generis beneficia extendatur. Si collator tergiverſatur, adeundi ſunt *exſecutores mandati apoſtolici*, videlicet Abbas S. Magalorii h. e. Pariſienſis Archiepiſcopus, & Abbas S. Victoris ſeu cancellarius univerſitatis. *quam utile?*

IV. Habet rex etiam alia jura nominandi ad beneficia recta via, ſcilicet *jus auſpicati ingreſſus in regnum* (1), quo ad regni gubernacula admotus primam, quæ in ſingulis cathedralibus vacat, præbendam libere conferre poteſt: *jus præſtiti juramenti fidelitatis* (2), quo præbendam primam vacantem, quam novus Epiſcopus conferre poteſt, ipſe confert. Quæ jura tuetur ſanctius conſilium (a). *nominationes regis Franciæ propriæ.*

V. Habet denique jus *regaliæ*, quod hodie ad beneficiorum collationem eſt reſtrictum, quum olim extenderetur ad omnes vacantis epiſcopatus fructus, quos rex ſuos fecit, ut dominus fructus feudi, donec feudum renovatum & laudemium præſtitum (3). Et quum ex communi canonum interpretum ſententia *collatio* in fructu cenſeatur, regalia etiam ad *collationes beneficiorum* extenſa eſt. Sed jam pridem rex regalia intuitu fructuum uti deſiit, quos Ludovicus IX. & Carolus V. ſacello Pariſienſi attribuit; Ludovicus autem XIII. an. 1641. poſtquam eorum loco huic ſacello abbatiam Nicaſii Rhemenſem dediſſet, publico edicto novis epiſcopis ſe daturam promiſit, ſed an. 1644. ſibi appropriavit, licet hodie rex (4) eos plerumque novo donet Epiſcopo (b). *Jus regaliæ, olim in fructibus vacantium epiſcopatuum percipiendis poſitum,*

VI. Jus regaliæ itaque in ſola *beneficiorum*, quæ Epiſcopo deberentur, diſpoſitione conſiſtit; ſed tamen omnis generis beneficia, ſi *curas* exceperis, complectitur, miris modis extenſum a ſenatu Pariſienſi, qui ſolus eſt harum cauſſarum judex competens. Sufficit beneficium vacare de facto, aut de jure, h. e. titulatum vel non poſſidere, vel poſſeſſorem non eſſe titulatum (5). Regalia enim, quod aiunt, non admittit fictionem (c). Rex accipit in ipſius gratiam factas reſignationes & penſiones aſſignat, a curia tamen Romana adprobandas. Prævenit etiam *patronum eccleſiaſticum*, & ipſe a nemine prævenitur, nec inſtar ordinarii collatoris Solum, ſed inſtar Papæ agit: quoniam, ut aiunt, non habet ſupe- *hodie reſtringitur ad beneficia vacante ſede conferenda.*

(1) Etiam imperatores in imperio Romano-Germanico hoc jus exercent per *preces primarias*, quæ eandem cum papalibus precibus, quibus ab initio egerunt præſules Romani, originem habent. Unde ſicuti rex Galliæ hoc jus citra *indultum papale* exercet, ita nec imperatores eo indigent, licet curiæ Romanæ ſtet diverſa plane ſententia.

(2) Poſtquam præſtitit nominatus *juramentum fidelitatis*, cui hæc obligatio conferendi, ut primum *fidelitatis* & *obedientiæ* argumentum, annexa eſt.

(3) De origine & vero fundamento hujus juris ſupra in notis ediſſerui: Titubanter de eo ediſſerit CHOPPINUS *de polit. Eccleſ. for. lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 9. *ſeqq.* ne curiam Romanam offendat, quæ privilegio papali hoc jus acceptum ferendum eſſe contendit, quod tamen in rerum natura non eſt.

(4) Solus rex hoc jure utitur, nec, eo adhuc minorenne, vices ejus gerenti id ipſum aſſeri poteſt, quod ſimpliciter *coronæ* cohæreat. ANTON. DESPEISSIUS *tom. III. oper. p.* 403.

(5) Sed *commendatarium*, cujus morte non vacare beneficium fingunt canoniſtæ, quod non *jure ſuo* id poſſideat, ſed inſtar *adminiſtratoris*. Etenim talia revera *fictiones* ſapiunt, nec citra glaucoma applicari poſſunt ad *commendas* perpetuas.

(a) *Mem. du Clergè part.* 2. *tit.* 8. *declar.* 1612. *&* 1646.
(b) *Mem. du Clergè part.* 2. *tit.* 6. *n.* 24.
(c) *Louet. R.* 47. *junct. Brod.*

ſuperiorem. Sed maxime ampliari cœpit, quum noviſſime per totum regnum obtinere debere aſſeveratum eſt.

per totum regnum. VII. Olim enim diſtinguendum erat inter Eccleſias *ſubjectas* & non *ſubjectas*. Sed advocati regii regaliam venditarunt pro jure regni inalienabili & impræſcriptibili (1), cui comitum Toloſæ aliorumque Parium renuntiationes nocere non poſſent (*a*). Anno 1608. ſenatus Pariſienſis in cauſſa Eccleſiæ Bellovacenſis ſententiam tulit, qua aſſeritur, regaliam per *totum regnum* patere. Epiſcopi Septimanienſes ſanctius conſilium adierunt, & cauſſa per LX. annos & amplius diſceptata eſt. Denique an. 1673. Ludovicus XIV. litem decidit, regaliamque in omnibus locis (2) valere edixit. Huic ſententiæ quum clerus univerſus an. 1682. congregatus precibus obviam iret, alio edicto rex declaravit, quomodo in poſterum jure ſuo uti vellet. Nam quum antea, quia rex plenam collationem ſibi arrogavit, beneficiati per literas regias non ſolum *præbendarum* ſimplicium, ſed etiam præbendarum theologi, pœnitentiarii & dignitatum capitularium, quæ vel juriſdictionem vel animarum curam annexam habent, veluti archidiaconatuum & decanatuum, poſſeſſiones arriperent, nec facile eſſet ad intelligendum, quomodo rex miſſionem & ſpiritualem auctoritatem his donare poſſet, licet ſemper & ipſis Ludovici S. temporibus ea conſuetudo prævaluerit: hoc edicto rex voluit, ut quos beneficiis, *juriſdictionem* aut *ſpiritualem functionem* annexam habentibus, providiſſet, ii vel a vicariis capituli generalibus, vel a novo Epiſcopo, ſi jam inauguratus eſt, poſt examen rigoroſum, quo ſuccumbentes veluti inhabiles & indigni rejici poſſunt, aſſenſum & miſſionem canonicam impetrarent. Præterea declaravit, uſurum ſe vi regaliæ jure Epiſcopi, ad eum modum, quo Epiſcopus eo uſurus eſſet, non quo uti deberet, ſecuturumque cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem in partitis inter Epiſcopum & capitulum collationibus. His modis adſtrictum jus regaliæ ut toto regno reciperetur denique adſenſus eſt clerus, exceptis tamen epiſcopatibus, qui titulo oneroſo exemtionem ſibi compararunt, & datis regi certis domaniis vel aliis terris onus illud redemerunt. Perdurat autem jus regaliæ quouſque novellus Epiſcopus literas *abſtentatorias* (*main-levée*) (3) a camera rationum impetraverit, quod fit, quum formulam juriſjurandi regi præſtiti homologandam offert: quæ literæ poſt regiis præfectis in provincia ſignificandæ ſunt. De nominationibus ad epiſcopatus &. abbatias, quæ regi per concordatum competunt, jam dictum eſt. Atque hæ ſunt illæ perſonæ, quæ more hodierno jus ad beneficium dare poſſunt.

CA-

(1) Etiam jus *regaliarum* juribus *domanialibus* accenſendum eſſe cenſuere Galli, quæ omnem ex ſententia Gallorum *præſcriptionem extinctivam* excludant, quamvis non levia dubia contra eam moverit WERLHOFF *de præſcript. inter gentes liberas*.

(2) Etiam quæ regno Galliæ noviter acquiruntur, ut ex mente Gallorum cenſet HERICURTIUS *de LL. Eccleſ. Franc. ſec. ord. natur. p.* 258. §. 4.

(3) Literæ hæ diriguntur ad *receptorem* ſeu commiſſarium ad receptionem regaliæ deputatum, per quas ipſi mandatur a *camera computorum* ut *levet manum regis* (ut ſtylus curiæ habet) & permittat Epiſcopum electum uti & gaudere epiſcopatu.

(a) *Louet. R.* 58.

CAPUT XIX.

De qualitatibus ad obtinenda beneficia neceſſariis.

BEneficium non niſi perſonis *habilibus* eſt conferendum. Si adhuc primario ſpectaretur officium, ob quod datur beneficium, habilitas illa facile æſtimari poſſet ex iis, quæ *Part. I.* diximus. Sed poſtquam beneficiales cauſſæ in judicium deduci cœperunt; habilitas reſtricta eſt ad *qualitates externas*, quæ judici facile probari poſſunt. Oportet igitur pro natura beneficiorum vel *ſæcularem* eſſe, vel *regularem*. Regulares, etiamſi clerici, etiamſi presbyteri, ad beneficia ſæcularia haud vocantur, ſi epiſcopatus exceperis (1), qui eos ob eminentiam perfecti ſacerdotii e monachatu eximunt (*a*). Viciſſim *ſæculares*, etiamſi clerici vel presbyteri, non poſſunt poſſidere beneficia *regularia*, quæ originetenus ſunt officia monaſtica (*b*). Oportet enim eſſe regularem, & quidem ejuſdem ordinis, ejuſdemque monaſterii, niſi hoc cum aliis in unam congregationem coierit: aliquibus tamen caſibus exceptis. Nam & proviſiones iis dantur, qui ad profeſſionem anhelant, modo intra annum faciant; & translationes ex ordine in ordinem, ex monaſterio in monaſterium fieri poſſunt, conſentientibus tamen quorum intereſt, religioſo ſcilicet & utroque monaſterio. Quas exceptiones haud improbare videtur Concilium Tridentinum (*c*).

Ad beneficia admittuntur 1. regulares ad regularia, 2. ſæculares ad ſæcularia,

II. Sunt & beneficia *ſacerdotalia*, quæ ſolis presbyteris conferenda, & quidem vel *lege*, vel *fundatione*. In his poſterioribus, qualia ſunt *ſacella ſacerdotalia* aliaque ſimilia, lex fundationis ad literam obſervatur, excluſis omnibus, qui non ſunt presbyteri. In prioribus, qualia ſunt parochiæ, decanatus, prioratus & abbatiæ regulares, aliaque ſimilia, ſufficit proviſum intra annum quietæ poſſeſſionis ordinari (*d*). In ceteris beneficiis, ut ſunt præbendæ, ſacella, prioratus ſimplices, commendæ, uſus ſequendus eſt, quo alia non aliis, quam qui in ſacris ſunt, alia clericis ſimplicibus conferuntur: unde tot clerici vel ſimplici tonſura acquieſcunt, vel in ſubdiaconi gradu ſubſiſtunt. Ordines autem ſinguli, ac ipſa tonſura, per literas probandi ſunt, quum nemo præſumatur ab infimo per omnes gradus ad ſuperiorem adſcendiſſe. Singuli, inquam, gradus probandi ſunt, ut appareat, promotionem non factam eſſe per *ſaltum*.

3. qui ſunt in ſacris ad ſacerdotalia, 4. qui in minoribus ad reliqua

III. Ratione ætatis ad beneficia ſacerdotalia XXV. ad ea, quæ dantur iis, qui in ſacris ſunt, XXII. ad regularia XVI. anni requiruntur, quibus religioſa profeſſio fieri poteſt. Beneficiorum ſimplicis tonſuræ regula firma non ſuppetit. Ex mente concilii (*e*) XIV. requiruntur anni (*f*), qua ætate cives Romani a tutela liberabantur. In Francia ſequimur veterem cancellariæ Romanæ regulam (*g*), ſecundum quam ad præbendas cathedralium XIV. ad collegiatas X. anni requiruntur; ad ſimplices autem prioratus & capellas nonnumquam VII. anni ſuffra-

ætas legitima.

(1) Ex antiqua Eccleſiæ diſciplina hoc retentum, quæ admodum comiter habebat monachos, ut plures ex iis ad epiſcopatum promoti fuerint, inviti ſæpe & reluctantes, quod pluribus documentis illuſtrat THOMASSINUS *de antiq. & nov. Eccl. diſcipl. P. I. lib. 3. c. 13. ſeqq.*

(a) *C. 5. de præbend. in 6.*
(b) *C. 22. X. de elect.*
(c) *ſeſſ. 14. c. 10. 11.*
(d) *C. 1. X. de ætat. & qual. præf.*
(e) *Trid. ſeſſ. 23. Ref. c. 6.*
(f) *C. 3. X. de æt. & qual. præf.*
(g) *Reg. 18. Pauli III.*

ſuffragantur (*a*). Quod inſtitutum obtentu (1) *melioris educationis* hujuſmodi puerorum in ſeminariis vel collegiis incruſtant. Abbatiæ commendatariæ plerumque presbyteris, aliquando clericis conferuntur ſimplicibus, ut regula nulla firma ſit.

Qui a beneficiis excludantur abſolute? IV. Irregularitates omnes, de quibus dictum, quum de ordinationibus ageremus, aditum præcludunt ad beneficia. Inde inhabiles ſunt ſpurii, mutilati, vel alio notabili corporis defectu laborantes, bigami, milites, carnifices, obærati. Crimina non attenduntur, niſi ſint *publica*, quæ in judicium deduci poſſent, aut *eccleſiaſtica*, quæ privationem beneficii involvunt. Irregularitas ignorantiæ infertur ex defectu laureæ academicæ, i. e. ut nomineris ad epiſcopatum, doctor vel licentiatus theologiæ aut utriuſque juris; ut ad parochiam in civitate vel in oppido nomineris, magiſter artium eſto, vel alium gradum, poſt triennium theologiæ vel juri impenſum, habeto (*b*). Ad cetera beneficia *gradibus* non opus eſt. Sed & *graduati* ab ordinariis, antequam provideantur, examinandi ſunt, quos, ſi manifeſtos idiotas deprehenderint, repellere poſſunt.

qui ſecundum quid? V. Sunt & alia, quæ hominem ſpeciatim ad beneficia inhabilem reddunt, veluti matrimonium, quod licet promotionem ad minores ordines non impediat, beneficiorum collationem tamen impedit, etiamſi ſimpliciter tonſis cedant, quia compertum eſt, clericos conjugatos diſſipare bona Eccleſiæ (*c*). Ex pari ratione filius, utut legitimus, patri in beneficio ſuccedere nequit, ne beneficia reddantur hereditaria (*d*). Peregrinus, qui non callet linguam vulgi, inhabilis eſt ad beneficium cum cura animarum conjunctum: (*e*) quod jure noſtro ad omnes peregrinos (2) intuitu omnis generis beneficiorum extenſum eſt (*f*).

CAPUT XX.

De Reſignationibus & devolutionibus.

Beneficia reſignari poſſunt; I. Beneficium conferri nequit, niſi vacet: vacat autem vel *morte*, vel *reſignatione*, vel *devolutione*. Datur enim beneficium ad dies vitæ, quo *titulatus* invitus, niſi ex cauſſa criminis, privari nequit: reſignare tamen, h. e. ſponte id

(1) Optime Auctor obſervat, prætextum in hac ratione magis latere; veram autem cauſam in *abuſu* quærendam eſſe. Pruritus reditus eccleſiaſticos acquirendi eum generavit, effecitque, ut prorſus inidonei, puerique, ſolius quæſtus gratia, numero clericorum adſcripti fuerint, quibus non alii quam ſatis probati adſcribendi erant.

(2) Idem quoque in Germania obſervari, ſupra dictum eſt, adeo ut ne quidem pontifex in menſibus ſibi propriis alii quam Germano providere poſſit. Sed ſi peregrinum obtrudere capitulo audeat, proceres Germaniæ utplurimum reclamare ſoleant, ut acta publica fidem faciunt.

(a) *Louet E. 1. Le Pretre cent. part. 2. c. 74.*
(b) *Concordat. de elect. tit. 5. tit. 19.*
(c) *C. 5. X. de cler. conjug.*
(d) *C. 2. 3. X. de fil. presb.*
(e) *Reg. 20. cancell. Innoc. X.*
(f) *Ed. Carol. VII. an. 1431. Statut. Bleſenſ. art. 14.*

Digitized by Google

id collatori reſutare, & collator reſignationem vel admittere, vel denegare poteſt, & beneficiarium cogere, ut in officio permaneat, ſi id e re Eccleſiæ eſſe arbitretur. Idque veterum inſtituto (*a*). Qui beneficium pure reſignavit, ei collator aliud conferre, & ſi duo ſimul renuntiant, alterum in alterius locum transferre poteſt, quod eſt fundamentum (1) *permutationum* (*b*), quibus Eccleſiæ utilitas propoſita eſſe debet, ſi v. gr. epiſcopus perſuaſus, parochum meliorem operam navaturum in alia parochia (*c*). Ad ipſos autem nullum inde emolumentum redundare debet, pactioneſque ea de re initæ pro ſimoniacis habentur (*d*).

ſed multe in favorem tertii ex pacto reſignantur.

II. Sed recentiores canonum interpretes contendunt papam hanc ſimoniæ ſpeciem, quæ tantum juris ſit eccleſiaſtici, remittere poſſe. Hinc admittunt pactiones non ſolum in permutandis, ſed etiam in reſignandis beneficiis in *favorem tertii* h. e. ut alii conferatur beneficium, quod abſque eo non reſignatum intelligeretur (*e*). Nondum CC. anni ſunt, ex quo moribus hoc prope invaluit (*f*): quod etiamnum ita frequentatur, ut vulgo beneficia habeantur veluti in patrimonio, quæ pro lubitu in alios transferri poſſint, & in quæ agnatis plus juris, quam aliis.

quum hoc modo impediantur vacantiæ

III. In tanta igitur reſignandi facilitate omnibus modis impediebantur vacantiæ per mortem. Nam qui viribus ſe deſtitui animadverterunt, nihil prius habuere, quam ut, dum ſpirarent, reſignarent, (2) ſæpe etiam in ultimis. Huic dolo obviam ivit cancellaria Romana, (*g*) qua ſancitum, ut, ſi quis infirmus reſignaſſet, & intra *viceſimum* exſpiraſſet, proviſio nulla, & beneficium morte vacuum reputaretur. Sed ſolemne eſt hanc regulam infringere, quam e Francia exulare certum (3). Interim prohibitum eſt, ne mortes (4) beneficiariorum, ne cadavera celentur, quod grave crimen reputatur (*h*).

quod ſit etiam alio modo,

IV. Alius impediendi vacantiam per mortem modus fuit, quo quis ſalvo beneficio reſignat, & reſignatario *acta proviſionis* procurat ſub conditione; ut ſecretum

(1) Utplurimum in hunc finem mutue fieri ſolent reſignationes, ut reſignatarius ad aliud, quod pinguius eſt, promoveri poſſit, adeo ut revera *reſignationes*, commercio beneficia ſubjiciendi, occaſionem præbuerint, ut Auctor §. *ſeq. in f.* haud diffitetur.

(2) Revera tamen hæc praxis cum natura beneficiorum pugnat. Recte Auctor §. 1. obſervavit, conferri beneficia *ad dies vitæ*, adeoque jus perſonaliſſimum, quod morte exſpirat, tribuere, quæ exemplo uſusfructus alii *cedi* nequeunt, id quod per *imaginariam* hanc *reſignationem* revera fit. Interim ut *ceſſio* hæc occultetur, nova collatio a collatore ei, in cujus favorem reſignatur beneficium, facienda, adeoque ſemper ſedulo tempus reſignationis obſervandum, maxime in Germania, quæ menſes cum papa diviſit.

(3) Contrarium atteſtatur HERICURTIUS *de LL. eccl. Franc. ſec. ord. natur.* p. 317. §. 27. docetque, recentiora edicta hanc regulam inter leges eccleſiaſticas collocare.

(4) Multum ex *tempore mortis* dependet. Sunt in plerifque capitulis *dies critici*, quos ſi quis ſupervixerit, hos vel illos reditus ſuos facit, quod illorum dies ceſſerit, his acquirendis præfixus.

(a) THOMASS. *part.* 4. *l.* 2. *c.* 17.
(b) *C.* 1. *X. de renunt.*
(c) *C.* 3. *X. de rer. permut.*
(d) *C.* 7. *eod.*
(e) *Gloſſ. in cap.* 4. *de pact. verbo illicita, & in cap.* 12. *de off. deleg. v. dimittere.*
(f) THOMASS. *ib. n.* 15.
(g) *Reg.* 19. *Innoc. X. de infirmis.*
(h) *Ordin.* 1539. 50. 54. *&c. declar.* 1617.

tum teneat uſque ad deceſſum reſignantis. Cui medetur Cancellaria (*a*) (1) ſanciendo, reſignationes nullas eſſe, niſi publicentur, & niſi reſignatarius Romæ proviſus intra ſemeſtre, domi intra menſtruum ſpatium, poſſeſſionem arripiat. Alias ſi reſignans in *poſſeſſione* moritur, beneficium morte vacuum cenſetur. Si vivit poſt ſemeſtre, reſignatarius eum ejicere poteſt intra triennium: nam poſt triennium novum titulum nactus videtur, *ex decreto de pacificis, an.* 1646.

cautelæ reſignantium

V. Noviſſimis temporibus favor reſignantis prævaluit, quem ejici nolunt. Unde novæ regulæ: procurationem (2) ad reſignandum faciendam coram notario ſpecialiter conceptam; impuberes ad reſignandum inhabiles eſſe; procurationem, niſi reſignatio ſequatur intra annum, nullam eſſe, quippe præſumtive revocatam; revocari poſſe re integra. Aperte eſt etiam regreſſus ad beneficia reſignata tribus caſibus (*b*). Primus eſt recuperatæ valetudinis, veluti ſi quis in periculoſo morbo metu mortis & cum tacita regrediendi conditione reſignaſſet. Alter eſt minoris ætatis, veluti ſi quis minor XXV. annis invito patre vel tutore inductus eſt ad reſignandum (*c*). Tertius eſt defectus adimpletæ cujuſvis conditionis: quo ipſo reſignationes faciem civilium contractuum induerunt. Concilium Tridentinum (*d*) omnes cujuſcumque generis regreſſus, & quidquid in beneficiis hæreditatem ſapit, ex præſcripto veterum canonum prohibuit, docuitque horum ſanctitatem corruptelis recentiorum eſſe præferendam.

quid ſit devolutio?

V. Vacantia per *devolutionem* incidit, quoties collator providit perſonam indignam. Non enim variare, ac digniorem perſonam eligere poteſt, ſed jure ſuo iſta vice cadit. Hoc non confundendum eſt cum jure devolutionis ob *negligentiam*, de quo *cap.* 15. licet utrumque eamdem habeat originem. Eodem pertinet inhabilitas poſt collationem ſuperveniens: nam ſi titulatus, poſtquam canonice proviſus eſt, incidit in quamdam irregularitatem, aut crimen committit, quod privationem beneficii involvit; beneficium per *devolutionem* vacare dicitur (3). Et tamen hoc caſu ordinarius providere poteſt, æque ac ſi beneficium vel morte vel dimiſſione ſimplice vacaſſet. Licet devolutio ſit ex cauſſis, quibus benefi-

(1) Verba *regulæ* hæc ſunt: *Dominus noſter ſtatuit & ordinavit, quod quacunque beneficia eccleſiaſtica, ſive in curia Romana, ſive extra eam reſignata, niſi de illis factæ reſignationes (ſi in curia Romana infra ſex menſes, ſi extra dictam curiam factæ ſint intra menſem) & tunc ubi dicta beneficia conſiſtunt publicatæ, & poſſeſſio illorum ab eis, quos id contigerit, petita fuerit, ſi reſignantes iſta poſt modum in eorundem reſignatorum poſſeſſione deceſſerint, non per reſignationem, ſed per obitum hujuſmodi vacare cenſeantur.*

(2) Cum Romæ regulariter reſignationes fieri debeant, vix aliter fieri poſſunt, quam per procuratorem, ſpeciali mandato inſtructum; eſt enim *reſignatio* res magni præjudicii, quæ requirit *mandatum ſpeciale*. Unde tot peculiares obſervationes circa procuratores natæ, de quibus ex profeſſo agit HERICURTIUS *ſæpe cit. tract. p.* 313. *ſeqq.*

(3) *Non uſus & abuſus* juris ſui parem effectum habent. Non videtur uti jure ſuo, qui non eo, quo debebat, modo utitur. Qua de cauſa, qui indigno confert beneficium, ſimilis eſſe videtur illi, qui jure ſuo non utitur, ut uterque pro ea vice jure ſuo privetur. Ceterum id male applicatur ad eum, qui poſt proviſionem crimen vel aliam inhabilitatem contraxit, quia ſecundum veram juris rationem ob novum emergens novo auxilio ei ſuccurrendum eſſet. Proinde contraria praxis magis debetur interpretationi forenſi quam veræ juris rationi.

(a) *Reg.* 36. *de publicandis.*
(b) *Louet. B.* 13. *Le Pretre cent.* 1. *ch.* 88.
(c) *Louet. B.* 7.
(d) *Seſſ.* 25. *Ref. c.* 7.

neficium ipſo jure vacat; titulatus tamen reſignare poteſt, donec devolutarius compareat poſſeſſionemque ſignificet. Id ſolum diſpicitur, ut eccleſia quocumque modo liberetur a poſſeſſore indigno. (*a*) Ceterum devolutarii perſona odioſa eſt, quum ſæpius ſtudio proprii commodi, quam pietate, excitetur (1). Unde proviſioni ejus cauſſa devolutionis ſpecialis inferenda; poſſeſſio intra annum arripienda; trimeſtri poſt actio intentanda; cautio præſtanda in ingreſſu, & beneficium non niſi poſt ſententiam percipiendum (*b*).

CAPUT XXI.

De forma proviſionum.

I. FOrma *proviſionum* generatim eſt diploma collatoris, quo indicat, ſe conferre huic vel illi hoc vel illud beneficium, hoc vel illo modo vacuum (2). Dirigitur autem vel ad ipſum *proviſum*, vel ad eos, a quibus recipiendus eſt vel in poſſeſſionem mittendus. Si collatio libera eſt, collator ordinarius ſemper proprio motu, perſpecta hominis dignitate & probitate, conferre cenſetur, nec mentio fit petitionis vel interceſſionis, quæ diſciplinæ adverſaretur, cujus *externam ſpeciem* (3) ſervare laboramus. Si collatio eſt coacta, & vel nominationi patroni, vel laureæ *graduati* debita; hoc exprimendum eſt. Sed tamen ordinarius hanc quoque perſonam ante collationem ſatis exploraſſe ſupponitur. *proviſiones ſunt diplomata collatorum*

II. Papa ſuas quoque proviſiones *quaſi motu proprio* (4) edit; edit tamen & alias imploratus, in quibus non piget exprimere, beneficium fuiſſe petitum & a papa conceſſum. Inter has multum intereſt. Poſteriores enim referuntur ad petitionem, quibus Papa dat, quod petitur, & ſub iiſdem dat conditionibus. Quare in petitione exprimendus eſt modus vacandi cum omnibus impedimentis, veluti ſi poſtulans jam beneficium poſſideat: alias enim libellus ſub-& obreptionis argueretur. A prioribus autem hæc omnia abeſſe poſſunt, quum papa harum rerum omnium notitiam perfectam habere, & plenam gratiam facere velle præſumatur *& papæ, quæ vel motu proprio, vel ad inſtantiam.*

(1) Admodum enim frequens & uſitatum eſt, ut hoc prætextu, quod beneficium *de jure* vacet ob contractam inhabilitatem vel irregularitatem, Romam recurratur, & proviſio tanquam vacantis beneficii impetretur, quæ ipſa tamen revera *proviſionalis* tantum & *conditionata* eſt, ſi preces veritate nixæ fuerint. Inde antequam devolutarius effectu proviſionis impetratæ gaudeat, neceſſe eſt, ut cauſa irregularitatis ſub examen in foro competente deducatur.

(2) Hæc collatio libera, ad proviſum directa, eſt inſtar *vocationis*, imo cum ea coincidere videtur, quia per vocationem duo intendimus: I. ut perſona ad officium ſacrum ſuſcipiendum, ab eo qui *jus vocandi* habet, invitetur: II. ut ſimul ipſum officium ſacrum ipſi committatur & deferatur. Unde ubi patroni *jus vocandi* exercent, revera *collatores* ſunt, quod jus canonicum ægre admittit.

(3) Ingenua hæc confeſſio Auctoris, qua ſinceritatem animi ſui prodit, confirmat, probatque ea, quæ hinc inde de externis rerum antiquatarum ſimulacris obſervavi. Antiquum loquendi uſum retinemus ſæpe, qui tamen novum & inſolitum accepit ſignificatum ex corruptione ſæculorum. Quid ergo mirum, ſi ſtylo antiquo etiam utantur in collationibus epiſcopi, licet fere rarius hodie contingat, ut abſque ſollicitationibus, commendationibus, & precibus beneficia conferantur.

(4) Notanter Auctor ait, *quaſi motu proprio*. Ad preciſtarum inſtantiam ut plurimum hæc clauſula reſcripto inſeri ſolet, ut eo plenioribus gaudeat effectibus, de quibus agit STRYK *de motu proprio*: conf. BARBOSA *de clauſ. uſu freq. ſub hac clauſula*.

(a) *Brod. in Louet. B.* 10. (b) *Ed.* 1637. *decl.* 1646. *ſtat. Bleſ. art.* 46.

matur (*a*). Sed quum ſatis conſtet, papam tales proviſiones æque ac ceteras ſine cauſſæ cognitione edere, & clauſulam *motu proprio* ſtilo curiæ acceptam ferendam eſſe; in Francia hujus generis proviſiones rejiciuntur, admiſſis ſolis poſterioribus, quæ ſaltem ad certas regulas adſtrictæ ſunt (1).

Vel bullis vel ſimplici ſignatura expediuntur.

III. Poſtquam proviſiones pontificum per reſignationes in favorem tertii, per penſiones & præventiones in omni beneficiorum genere frequentiſſimæ factæ ſunt; literæ pontificiæ in pergameno conſcriptæ, & ſigillo plumbeo munitæ, quas *bullas* (2) vocant, ſumtuoſæ nimis in tenuioribus beneficiis videbantur, quorum poſſeſſionem ſimplicibus *ſignaturis*, quæ *bullarum compendia* ſunt, muniti adpetere inſtituimus, ita ut bullæ propriæ manſerint epiſcopatuum, abbatiarum, aliorumque beneficiorum, quibus quis ſit caput certi corporis eccleſiaſtici: non quod neceſſariæ ſint, ſed quod curiales Romani has proviſiones alia forma expediri nolunt.

Quid ſit ſignatura?

IV. Quum autem *ſignatura* in ſe contineat omnia, quæ in bullis deprehendimus (3), ejus formam explicabimus. Eſt autem *ſignatura curiæ Romanæ* nihil aliud, quam libellus ſupplex pontificis reſponſione ſtipatus. Potior ergo hujus diplomatis pars eſt libellus, quo genus vacantiæ, conditio implorantis, qualitas beneficii & impedimenta exprimuntur. Expreſſo vero vacantiæ genere, v. gr. reſignatione; caute ſub conditione ſubjiciuntur & reliqua, mortis ſcilicet & devolutionis, cum clauſula generali *aut alio quovis modo*: quia contingere poteſt, ut die, quo libellus ſcriptus, reſignans vel deceſſerit, vel in caſum devolutionis inciderit (*b*). Inter qualitates implorantis, eæ exprimuntur, quæ ſunt neceſſariæ & ad *confirmandam* gratiam faciunt, ordines ſcilicet & laurea. Impedimenta, quæ *obſtantias* vocant, ſunt ea omnia, quæ ad *dimovendam* gratiam facere poſſent, ut irregularitates, licet jam tum remiſſæ, & inprimis beneficia, ſi quibus jam gaudet implorans. Quum enim beneficiorum pluralitas ſit contra canones, pontifex, ut diſpenſet, admonendus eſt. Exprimenda eſt etiam beneficii qualitas ſæcularis, regularis, ſimplex, conventualis, cum vel ſine cura animarum, inprimis autem æſtimatio annui proventus. Sed hodie vera æſtimatio tantum indicatur eorum beneficiorum, de quibus debentur *annatæ*, & quorum veteres æſtimationes, quæ pro veris habentur, continentur in libris cameræ apoſtolicæ. Cetera beneficia omnia non cenſentur excedere æſtimationem XXIV. aureorum h. e. 2400. ſolidorum monetæ Franciæ: neque alio numero ſumma proventuum efferri ſolet. Ad calcem libelli ſubjicitur reſponſio, quæ proprie *ſignatura* (4) audit,

---

(1) Et ſtrictæ interpretationis cenſentur *c.* 16. *X. de præb. in* 6. cum talia mandata papalia ſint contra *juris ordinarii* diſpoſitionem, & magis *exceptioni* quam *regulæ* accedant. Plures inde propullulant effectus, relati a CORVINO *in aphor. jur. canon. lib. II. tit.* 29. §. 24. *ſeqq.*

(2) In bullis conficiendis plures Romæ obſervandæ ſunt regulæ; ne per errorem vel fraudem quid committatur, quas in compendio recenſet HERICURTIUS *dans les loix eccl. de Franc. p.* 331. §. 7. nec in majoribus beneficiis una, ſed plures expediuntur bullæ veluti ad regem, ad capitulum, ad metropolitanum &c. unde *pretia bullarum* magnopere aucta ſunt.

(3) In eo tantum eſt differentia, quod ſignaturæ chartæ inſcribantur, nec ſigillo muniantur.

(4) Ante *ſignaturam* ſubjectam ſimpliciter *libellus ſupplex* dicitur: poſt eam ſubjectam priorem denominationem amittit, diciturque a *potiori*, unde efficaciam accepit, *ſignatura*. Hæc mox traditur *reviſori primo*, qui in libello corrigit, quæ abludunt a *ſtylo curiæ*, & clauſulas ſubjectas juxta illum conformat. Tales *raſuræ* & *correctiones* nihil ſuſpicionis arguunt, quem in finem *Reviſor primus ſignaturæ* primam ſui Nominis literam ſubjicit. Idem etiam *ſecundus Reviſor* facit, rurſuſque ſi quid adhuc correctione indiget, emendat, ſubjecta litera prima ſui nominis, ut omnia ſtylo curiæ convenientiſſima evadant.

(a) *C.* 25. *de præb. in* 6.

(b) *Le Pretre cent.* 2. *c.* 73. *Brod. ad Louet. B.* 10.

audit, & conſiſtit in verbis *Conceſſum, ut petitur, in præſentia domini noſtri papæ* manu prælati, præſipis ſignaturæ, adſcriptis. Hoc fere fit in expeditionibus quotidianis. In gratiis majoris momenti apparent verba *fiat ut petitur*, ſeu *fiat motu proprio* manu pontificis exarata, quibus appingit primam nominis ſui baptiſmalis literam. Sequuntur plures clauſulæ pro genio ſtili curiæ magis, quam cogitate, ad derogandum juri communi, ſi forte gratiam impediret. Omnium illuſtriſſima eſt ea, qua papa epiſcopo diœceſano mandat exſecutionem conceſſionis, addita vulgo conditione, ſi *preciſta* h. e. *impetrans dignus judicatus fuerit* (1) qua corrigi putant abſurdum illud, quod multi deprehendunt in iſto modo providendi, quo pontifex omnibus orantibus, abſentibus, præſentibus, notis, ignotis, dignis & indignis indulget. Atque hæ quidem proviſiones dicuntur expeditæ *in forma dignum*. Sed ſi preciſta Romam mittit vitæ morumque teſtimonium, proviſio redit *in forma gratioſa* h. e. ut ſine examine ſit admittendus (*a*). Excipiuntur curæ, ob examen rigoroſum, quod curatis ſubeundum injunxit concilium Tridentinum (*b*). In infimo ſignaturæ loco manu *ſubdatarii* dies adſcribitur, non quo ſignatura ſcripta, ſed quo libellus Romam perlatus eſt, idque ex privilegio nationis Francicæ. Quod maximi momenti eſt in conceſſionibus, quæ fere nemini negantur, & jure præventionis nituntur: Sed in beneficiis conſiſtorialibus hoc privilegium ceſſat, quorum bullis dies conſiſtorii adſcribitur. Porro dies ille conveniat neceſſe eſt cum *regula* 3. *de veroſimili notitia* (2) h. e. ut a die mortis probabile ſit notitiam ejus ad pontificem venire potuiſſe eo die, quo libellus Romam venit, idque ſub pœna nullitatis. Eadem pœna locum habet, ſi compertum fuerit, ante mortem nuntium Romam dimiſſum fuiſſe, quod *curſum* vocant *ambitioſum*. Concurſus plurium ejuſdem diei proviſionum ab eodem collatore profectarum vitiat omnes; ſed ſi a diverſis collatoribus profectæ ſunt, papa legato ſuo & ordinarius vicario ſuo generali potior habetur ac præfertur.

CAPUT XXII.

De adipiſcenda poſſeſſione beneficiorum eccleſiaſticorum.

I. SI proviſio pontificis Franciam attigit, duorum hominum, qui nobis in curia Romana ſunt ab expeditionibus, ſcriptis teſtimoniis comprobandum eſt, ſolemni ritu eam confectam eſſe. Si bulla continetur, bulla *fulminanda* h. e. ab epiſcopo vel eo, cui mandata exſecutio, publicanda eſt. Eodem ritu obtinentur bullæ *Proviſiones indigens viſa.*

(1) Cum itaque revera gratiam indulget, non inepte ſentiunt, qui putant, eam morte papæ non exſpirare, re integra, ſed exſecutorem ad ejus exſecutionem procedere poſſe, ut plenius illuſtrat GARCIAS *de benef. P. VI. c.* 2. §. 3. Revera collatio hoc modo ante mortem facta eſt, & executio tantum mandata, quamvis in *forma dignum*.

(2) Alias eſt *regula XXVIII.* Innocentii VIII. & XXIX. Pauli V. cujus tenor hic eſt: *Item voluit & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibuſvis eccleſiaſticis beneficiis, cum cura & ſine cura ſecularibus vel regularibus, per obitum quarumcunque perſonarum vacantibus, id antea fecerit, nullius roboris vel momenti ſint, niſi poſt obitum & ante datam gratiarum hujuſmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipſa de locis, in quibus prædictæ perſonæ deceſſerint, ad ejuſdem D. N. notitiam veriſimiliter potuerint perveniſſe.* Sic tempus veroſimilis notitiæ Lutetia Romam eſſe cenſent ſpatium ſex dierum, quod conſtitutum contra importunas & ambitioſas preces, quibus fraudem committere poſſunt preciſtæ.

(a) *Ordin.* 1629. *n.* 21. *declar.* 1646.

(b) *Seſſ.* 24. *c.* 18.

bullæ pro beneficiis conſiſtorialibus, miſſo Romam de vita moribuſque teſtimonio, ab ordinario ſcripto. Si proviſiones *in forma dignum* datæ ſint ſive in bullis, ſive in ſignaturis; ante poſſeſſionem opus eſt *adprobatione ordinarii*, quæ *viſa* (1) vocatur. Ad quam obtinendam ſubeundum eſt examen, de qualitatibus perſonalibus ad officium neceſſariis, (2) non de tituli validitate (*a*). Sed manifeſtum eſt; in hoc examine rejici non poſſe, niſi quorum indignitas & inhabilitas in judicio probari poſſit (3). Quod maxime abhorret a digniſſimorum electione, antiquis canonibus præſcripta.

præſertim curæ. II. Qua de re concilium Tridentinum veterem electionem, ſaltem ratione *curarum*, inſtauratum ivit, voluitque, ut darentur *in concurſu* (*b*), hoc eſt, ut, cura vacante, etiam per reſignationem, omnes, qui jus habent providendi, immo & qui vellent, epiſcopo nominarent perſonas habiles, qui die præſtituto, adſcitis tribus examinatoribus, ex his eligeret digniſſimum. Quod in Francia non obſervatur (*c*). In *curis* tamen major rigor inter nos viget, dum ii, qui ad poſſeſſionem properant, antequam ab ordinario probati ſint, veluti *intruſi* jure ſuo excidunt.

quo ritu poſſeſſio arripiatur? III. Poſſeſſio arripitur per *ingreſſum* in eccleſiam, ubi eſt titulus beneficii, occupando locum convenientem, veluti *ſtallum* in choro vel ſedem abbatialem. Si qui ſunt, qui ingreſſum impediunt, ſufficit portam eccleſiæ manu tetigiſſe; ſi ne hoc quidem ſine periculo liceat, ſufficit proſpexiſſe *turrim campanariam* (4). Fieri hoc poteſt per *procuratorem*, ſed mandato ſpeciali inſtructum. Actus autem debet eſſe publicus, de quo conficiendum inſtrumentum coram notario & duobus teſtibus (*d*). Nulla autem beneficii ſine titelo legitima poſſeſſio (5), ut bonorum profanorum, quæ, ſi nemo repugnet, a primo occupante arripiuntur & præſcriptione acquiruntur. Sufficit tamen titulus *apparens*, & ſæpe poſſeſſio arripitur, titulo nondum comparente, quia in Francia creditur literis agentium Romanenſium, quibus ſignificant, proviſiones ſignatas eſſe, licet in Franciam nondum delatæ ſint (*e*).

quis ejus effectus? IV. Poſſeſſio arrepta ſtatim dat jus agendi ex interdicto, ſi turbetur; & *annalis poſſeſſio* dat jus in poſſeſſorio h. e. eum, qui per annum & diem poſſedit,

porro

(1) De hac adprobatione per *viſa* & praxi Galliæ conferendus ANTON. DESPEISSIUS *tom. III. oper. p.* 433. Hac adprobatione deſtitutus ſi poſſeſſionem arripit, pro *intruſo* habetur.

(2) Si in *forma gratioſa* proviſio impetrata, vel ideo *viſa ordinarii* non eſt opus, quod hæc non aliter fieri ſoleat, quam ſi mores, habilitatem, & reliquas ad obtinendum beneficium neceſſarias qualitates preciſta per teſtimonium ordinarii probaverit, quia tunc jam ante impetratam gratiam dignus judicatus fuit. Ceterum in beneficiis curam animæ habentibus talis proviſio in *forma gratioſa* non attenditur in Gallia, ſed nihilominus proviſo examen ſubeundum eſt, quod rationem habet. HERICURTIUS *cit. tr. p.* 341. §. 3.

(3) Si rejicitur preciſta, cauſas rejectionis in ſcriptis edere tenetur ordinarius, de quibus ad querelas preciſtæ cognoſcit immediate ſuperior, ad quem alias appellatur.

(4) Hæc apprehenſio poſſeſſionis eſt inſtar *traditionis*, quæ alias in jure Romano *oculis* fieri dicitur. Admodum tamen irregularis eſt, cum revera nullum *actum genuinum poſſeſſorium* contineat, ſine quo poſſeſſio apprehendi nequit. Nihilominus antiqua obſervantia hanc praxin confirmavit, ut idem operetur, quod ordinaria poſſeſſionis apprehenſio. Conf. ANTON. DESPEISSIUS *tom. III. oper p.* 434. *ſect.* 3.

(5) Qui ita apprehendunt poſſeſſionem *intruſi* dicuntur. Huc refert jus canonicum, qui ſola patroni præſentatione contentus occupat eccleſiam ſine epiſcopi inſtitutione. *c.* 21. X. *de jur. patron.*

(a) *Statut. Bleſ. art.* 12. 13. *Melodun. art.* 14.
(b) *Seſſ.* 25. *Ref. c.* 18.
(c) *Louet. P.* 25.
(d) *Edict.* 1550. §. 13.
(e) *Brod. in Louet. V.* 2.

porro poſſidere debere, donec in petitorio lis deciſa ſit: anno enim elapſo, nullæ audiuntur amplius querelæ (1) (*a*). Huic fundamento innititur cancellaria Rom. (*b*) Triennalis poſſeſſor amplius inquietari nequit , (2) ne quidem in petitorio, quia triennalis præſcriptio in materiis beneficialibus legitima eſt , ex decreto *de pacificis* , quod ex concilio Baſileenſi migravit in pragmaticam & concordatum, peperitque regulam (*c*). Ut hos effectus habeat poſſeſſio, fundanda eſt in titulo ſaltem *colorato* h. e. ſine vitio in oculos incurrente , (3) & ab eo dato, qui eſt in potentia conferendi. Poſſeſſio autem debet eſſe *continuata* in eadem perſona, quum non proſit poſſeſſio anteceſſoris : debet eſſe *quieta* , ut non interrupta ſit judicialiter per litis conteſtationem, niſi forte adverſarius vi majore ab agendo retentus eſt.

CAPUT XXIII.

De utendis Bonis eccleſiaſticis, & de reparationibus.

I. Bona eccleſiaſtica ſunt res ſacræ , quarum proprietatem nemo (4) habet , adminiſtratæ a beneficiariis, qui propterea non proprietarii adpellantur , ſed *titulati*. Equidem noſtris moribus non niſi Deo rationem reddunt, & in foro humano habentur uſufructuarii , qui per tempus uſusfructus fructus ſuos faciunt, laudandi, ſi fundos ſartos tectos ſervant , neque ſucceſſoris uſumfructum anticipant . Aſt in foro conſcientiæ bona eccleſiaſtica priſtinam naturam non exuerunt, ſed etiamnum ſunt vota fidelium, pretium peccatorum , patrimonium pauperum (*d*) . Nec eccleſiaſticis perſonis plus in ea juris , quam apoſtolis . Nam ad horum exemplum plus ſibi arrogare non debent, (5) quam ut ne propriis ſumtibus ſerviant, ſi nolint, ſed altari ſervientes ex altari lege veteri ; ex evangelio, jure novo vivant, & ex præſcripto domini , qui dixit : dignus eſt operator mercede ſua (*e*). *Beneficiarii ſunt uſufructuarii bonorum eccleſiaſticorum,*

II. Li-

(1) Quid enim ſi quis contra *annalem poſſeſſorem* novam proviſionem impetraverit, quia beneficium hoc *de facto* , v. c. ob crimen, vel ob irregularitatem aliam , vacare prætendit ? In *petitorio* tantum lis excutienda, ita ut infra ſex menſes poſſeſſor in judicium evocetur , & infra annum lis finiatur.

(2) Unde nec ſequeſtrari poteſt beneficium, lite poſſeſſori triennali mota ; poteſt, ſi non triennali poſſeſſori, juſta cauſa id ſuadente, quia ſupereſt cognitio in petitorio. *clem. un. de ſequeſtr.*

(3) Colorata poſſeſſio reſpuit exceptiones altioris indaginis , & admittit tantum eas, quæ in continenti ſunt probabiles , quales ſunt , quæ in oculos ſtatim incurrunt. Quid ergo ſi objiciatur, collatorem eo tempore fuiſſe ipſo jure ſuſpenſum ; proviſum tempore promotionis non gaviſum fuiſſe debitis qualitatibus &c. Hæ & ſimiles exceptiones rejiciuntur.

(4) Id de *ſingulis* accipi poteſt. Si ex vero res eſſet æſtimanda , bona eccleſiaſtica dicenda forent *eccleſiæ patrimonium* h. e. quod ad univerſitatem eccleſiaſticam pertinet. Quid enim aliud ſunt *eccleſiæ* , quam univerſitates , collegia, corpora ? Et ſicuti alia collegia bona poſſidere poſſunt , ita etiam eccleſiæ.

(5) Quia vero beneficia eccleſiaſtica inſtar feudorum conferuntur, & loco *ſalarii* ſunt, quod determinationem in ſe nullam habet, ſed a *lege* vel *homine* eam accipit , non video , qua ratione conſcientia ejus turbari poſſit, qui fructus officio aſſignatos percipit. Aut ergo aſſignatio hæc , ſi modum excedit , mutanda , aut vero dicendum, ſalva conſcientia ſemel aſſignatos percipi poſſe.

(a) *Reg. 15. de annali poſſeſſore.* (b) *36. de triennali poſſeſſore. Pragm. tit. 7.*
(c) *Pomer. vita. cont. l. 2. c. 9.* (d) *Luc. X. 7. 1. Cor. IX. 7. XIII. 14.*

quod jure permittitur

II. Licet igitur clerico, etiam patrimonium habenti, ſumtibus eccleſiæ, ſi ei ſervit, vivere. Quod ad duo reſtringitur: ut ſerviat eccleſiæ; ut ſatis habeat victum capere ex bonis eccleſiæ, h. e. ut neceſſariis contentus agat, præcipiente Paulo (*a*): Habentes victum & amictum, contentos eſſe convenit. Quicumque igitur eccleſiæ non ſervit, aut non utiliter ſervit, (1) & tamen bonis ejus utitur fruitur, ille ſuam onerat conſcientiam, etiamſi neceſſaria tantum, vel minus, ſumeret. Et qui eccleſiæ utilem navat operam, plus tamen ſumit, quam eſt neceſſarium, ut vel ipſe luxu diffluat, vel divitias colligat, ſuoſque locupletet cognatos (2); eum terribile manet judicium; quod qui non metuit, illum eccleſiam fugere convenit, quum omnem Chriſtiani hominis ſenſum ex animo amiſerit.

ſi ſerviunt eccleſiæ;

III. Servitium, a beneficiario eccleſiæ præſtandum, non ſolum in recitando privatim officio conſiſtit, ſed & ut totus ſit in eo, quemadmodum aliorum hominum quiſque artem colit, qua ſuſtentatur. Si beneficium *ſimplex* eſt, ſine functione & nulli loco affectum; pro viribus ingenii proque occaſionum varietate precibus, literis, concionibus, catechiſmo, ſacramentorum adminiſtrationi, infirmis viſitandis, pauperibus adjuvandis, omniſque generis bonis operibus tempus omne tranſmittendum. Ipſe vitam, ſi non tenuem, modeſtam tamen & frugalem agat, nec expenſas vel natalibus ſuis vel proventuum opulentia, ſed loco, quem tenet in eccleſia, & ſervitii neceſſitate metiatur, & reliquos reditus eleemoſynis (3) aliiſque operibus caritatis, præſertim in loco, e quo proventus habet, impendat.

hinc tenentur 1. ad reparationes.

IV. Sed ante omnia oneribus, quibus ferendis tenetur, ſatisfaciat. In his familiam ducit reparatio ædium. Quum enim in foro externo uſufructuarius reputetur, ad reparationes vitalit as tenetur, (4) quarum cauſſa eccleſia hypothecam in omnibus ejus bonis a die arreptæ poſſeſſionis nanciſcitur (*b*). Diligentis patrisfamilias officium faciat; ſi tamen indiligenti ſucceſſit, actio tantum adverſus heredes ejus competit. Si ruinoſa prædia ſint inſtauranda, ultra tertiam proventuum non tenetur, quum duæ tertiæ ipſi ad faciendum officium cenſeantur neceſſariæ. Idem dicendum de reparationibus ab anteceſſore neglectis, & a cujus heredibus rem ſervare non poteſt. Ut autem hæ appareant, beneficiarius ſimulatque in poſſeſſionem immittitur, auctoritate judicis per artis periтos omnia viſitanda & exploranda curat, & deſignationem illam aſſervat (*c*).

III. Re-

(1) Id omnino concedendum eſt; ſine *cauſa* enim fructus percipit, imo illis præripit, qui ex inſtituto primævo inde alendi erant. Equidem cauſam *paupertatis* plerique allegare, & conſtituere ſolent, clericos eſſe *eminenter* pauperes. Enimvero nec Auctor prudentiſſimus, nec alii ſaniores ſomniis ejuſmodi capiuntur. His ſuppoſitis rationes ſubducamus ex ſtatu præſenti eccleſiarum, quæ evincent, ingentem clericorum cohortem *ſine cauſa* percipere fructus eccleſiaſticos.

(2) Forſan hoc contra *Nepotiſmum* dictum eſt, cujus fata & hiſtoriam deſcripſit Auctor *du nepotiſme de Rome*, quo morbo a temporibus SIXTI IV. infecta fuit eccleſia Romana. Verum nec in *epiſcopatibus* hujus mali deſunt exempla. Huc quoque illi referendi, qui contendunt, bona eccleſiarum cathedralium primario in *ſuſtentationem nobilium* & *magnatum* eſſe applicanda.

(3) Ita debitum in finem fructus impenduntur, qui potiſſimum ſine *cauſa* h. e. *officio ſacro neceſſario* percipiuntur, cujus moniti canonici in genere memores eſſe deberent.

(4) Olim refectiones ædium ſacrarum aliarumque fiebant ex *quarta fabricæ* deſtinatæ. Hanc beneficiati ſibi pedetentim vindicarunt, adeoque æquum fuit, ut ex reditibus ſuis, quibus onus hoc cohæret, eam ſuſciperent perficerentque, niſi *ærarium fabricæ* ſuperſit, ut plenius tradidi in diſſ. *de jure & onere reficiendi eccleſiam*.

(a) 1. *Tim.* VI. 8.

(b) *Mem. de Clergè part.* 3. *tit.* 5. *Le Pretre cent.* 1. *c.* 19. (c) *Louet.* R. 50.

V. Reparationes autem non ſolum eccleſiarum, ſed & domuum, prædiorum, horreorum, omniumque, quæ a beneficio pendent, ædificiorum intelliguntur. In *eccleſiis parochialibus* (1) partes diſtinguuntur. Chori enim & ſuggeſtus reparatio ſuſcipienda ab eo, qui decimis gaudet majoribus; ad cetera, nec non ad habitationem parochi, populus tenetur (*a*). In aliis locis decimatores ſine partium diſtinctione tertiam pendunt; in aliis altera pars materiam, altera opifices ſuppeditat: in quo cujuſque loci conſuetudo attendenda. Eſt autem epiſcopi, provinciam obeuntis, reparationes neceſſarias injungere, ad quas hominem cenſuris eccleſiaſticis compellere poteſt. (*b*) Interim in Francia regii præſides pariter his invigilare, & refractarios ſequeſtratione proventuum ad eas adigere poſſunt, (*c*) quia rex protector eſt externæ diſciplinæ.

cum eccleſiarum, tum reliquorum ædificiorum.

C A P U T XXIV.

De aliis beneficiorum oneribus.

I. ALterum onus, cui beneficia generatim obnoxia, ſunt *decimæ* a clero regi pendendæ, de quibus dictum, & his annexum *donum gratuitum*, cum ſumtibus, in conventum cleri generalem faciendis. Hæc tria conjunctim & fere ab iiſdem exactoribus leguntur, licet ad dona gratuita in diœceſibus alii collectores conſtitui poſſint (*d*).

1. ad decimas.

II. Epiſcopis in eccleſias diœceſium quatuor vetera jura attributa legimus, *ſynodaticum*, *viſitationem*, *quartam mortuariorum* & *auxilium moderatum* (*e*). Et *ſynodaticum* quidem, quod & *cathedraticum* vel *centenarium* audit, inde ab exeunte ſæculo VI. obtinuit, (*f*) duobus ſolidis aureis æſtimatum (*g*). Eſt autem annua penſio, in argumentum ſubjectionis & ob honorem cathedræ ſolvenda. Olim epiſcopo viſitanti ſolvebatur; hodie parochi penſionem ipſi ad ſynodos deferunt: in pluribus tamen diœceſibus prorſus exolevit (2). *Viſitatio* ſeu procuratio, medio ſæculo VII. invaleſcens, (*h*) involvit hoſpitium victumque epiſcopo viſitanti a parocho præbendum (3). Sed quum epiſcopi immodico familiarum & equorum grege eccleſias onerarent, concilio Lateranenſi an. 1179. ſtatutum eſt: *ut archiepiſcopi parœcias viſitantes, numerum LX. vel L. Epiſcopi nume-*

Jura epiſcoporum in beneficiis, 1. cathedraticum, 2. procuratio

(1) In *eccleſiſ patronatis* præſens ſtatus ab antiquo diſtinguendus eſt. Olim patronus reficiebat ſuo ſumtu ecc'eſias, in patrimonio ſuo exiſtentes; aſt poſtquam in *parochiales* converſæ ſunt ævo recentiori, æquum eſt, ut *parochiani* partem, ad minimum dimidiam, ſumtuum, ferant, cum etiam in eorum utilitatem refectio redundat.

(2) Poſtquam enim epiſcopi aliis reditibus pinguiſſimis abundare ceperunt, neglectum eſt hoc tributum; alibi tamen archidiaconis aſſignatum.

(3) Etiam hæc *procuratio* magis in *ſubjectionis ſignum* quam compenſationem ſumtuum ſolvi dicitur. *c.* 11. X. *de præſcript.* ALTESSERRA *diſſert. jur. can. lib. IV. c.* 5. Videlicet docent antiqua monumenta, olim vaſallos dominis & ſubditos principibus ſuis vel ab iis miſſis provincias peragrantibus in documentum *fidelitatis* & *obſequii* procurationes h. e. *fodrum manſiones*, *paratas* præſtitiſſe. Eundem morem ſecuti ſunt epiſcopi, pontifices, & legati eorum, & hi quidem olim in iis exigendis tam inſatiabiles fuerunt, ut regna exhauſiſſe legantur, docente BALUZIO *in ſupplem. ad* PETRUM de MARCA *de C. S. & Imp. lib. V. c.* 49. *ſeqq.*

(a) *Arret du Gr. Conſ. 17. Nov. 1670.*
(b) *Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 8. ſeſſ. 21. c. 7.*
(c) *Stat. Aurel. art. 21. Bleſ. art. 52.*
(d) *Mem. du Clergè part. 6. & 7.*
(e) THOMASS. *p. 4. l. 4. c. 31.*
(f) *Concil. Braccar. c. 2. an. 572.*
(g) *C. 16. X. de off. jud. ord.*
(h) *Concil. Tolet. VII. c. 4. an. 646.*

numerum XX. vel XXX. Cardinales XXV. evectionum (jumentorum) *haud excedant , nec cum canibus venatoris & avibus proficiſcantur , ſed ita procedant , ut non quæ ſua ſunt , ſed quæ Jeſu Chriſti , quærere videantur , nec ſumtuoſas epulas quærant , ſed cum gratiarum actione recipiant , quod honeſte ac competenter illis fuerit miniſtratum* (*a*). Nonnumquam, quod etiam in Francia in pluribus fit diœceſibus, hoc onus pecunia redimitur. Sed Concil. Trid. (*b*) id reduxit ad ſpecierum præſtationem, reſtrinxitque ad loca, in quibus conſuetudine inolevit, monitis epiſcopis, ut moderate eo uterentur. Archidiaconi & decani, quibus competit jus viſitandi, habent etiam jus procurationem exigendi; ſed comitatus eorum ad duos equos eſt reſtrictus (*c*). *3. quarta mortuariorum.* *Quarta mortuariorum* ſeu legatorum ad pias cauſſas, quæ in Francia exultat, nonnullibi tamen exigitur, nititur veteri partitione, qua epiſcopus quartam omnium redituum eccleſiaſticorum capiebat. *4. auxilium moderatum.* *Moderatum auxilium*, quod epiſcopi olim a clero extra ordinem, ſi v. gr. iter ad concilium ſuſcipiendum eſſet, petere poterant, (*d*) juris formam induit, appellaturque *ſubſidium* ſeu *donum caritativum*: quod raro locum habet. Quod reliquum eſt, generali jurium epiſcopalium nomine, & in nonnullis diœceſibus cum decimis, colligitur.

5. deportus, III. Sunt autem alia nonnulla jura pinguiora, quæ toties locum habent, quoties beneficia vacant, ſcilicet *deportus*, *annatæ*, & *ſpolium* (*e*). *Deportus* eſt jus beneficii vel vacantis (1), vel litigioſi, vel non deſerviti, ſi v. gr. *curatus* non eſt presbyter, reditus colligendi & ſuos faciendi; competitque vel epiſcopo vel prout uſus fert, archidiacono, & nonnullibi totum annum, licet vacantia brevior fuerit, complectitur, quod ubi fit, proprie *annata* eſt (2). Qui hoc jure fruitur, quod in Normannia & in aliis provinciis Francicis viget, ei curandum, ut ſervitium beneficio annexum obeatur.

6. annata IV. Pontificem nonnunquam epiſcopis vel omnes fructus, vel primum annum omnium beneficiorum, quæ intra certum tempus v. c. intra biennium in diœceſi vacarent (*f*), ad æs eccleſiarum alienum diluendum, indulſiſſe legimus (*a*). At-

(1) Hujus juris idem fundamentum eſſe videtur, quod juris *regaliarum*. Collatores ab antiquo ſeſe dominos directos ex moribus feudorum conſtituerunt; hi vero feudi vacantis fructus percipiebant tam diu, donec illud denuo conferrent. Neque vero aliud per jus *deportus* agitur, quam ut beneficii vacantis reditus a collatore percipiantur. Reprobavit hoc ipſum BONIFACIUS VIII. *in c. 9. de offic. ordin. in 6.* Admittens tamen *privilegium ſpeciale*, vel *conſuetudinem legitime præſcriptam*, qua olim etiam patroni, eodem *collationis* jure, nitebantur, ut ad *tit. de jure patron.* obſervavi. Plurimi ad *integrum annum* olim beneficia vacare ſinebant, quo totius anni fructus ſuos facerent, ut in *clem. un. de exceſſ. prælat.* refertur, ſimulque reproba-

(2) Solemne eſt, ut jus *annatarum* cum jure *deportus*, quod ſæpe per integrum annum, extenſum fuit, confundatur. Cum annatæ ſolvantur a jam proviſo, palam eſt, eas non vacantis beneficii fructus annuos eſſe, ſed primi ejus anni, quo proviſus gaudere debebat. Sunt hi reditus honoraria olim ſolvi ſolita epiſcopo Romano pro ordinatione, ut teſtis eſt JUSTINIANUS *in nov.* 56. *c.* 1. Poſtquam ergo pontifex collationem plerorumque beneficiorum ſibi appropriavit, non mirandum eſt, ipſum quoque hoc tributum, ab antiquo ſibi debitum, omnibus eccleſiis impoſuiſſe. Agnovit optime harum differentiam ipſe clerus Gallicanus in concilio Conſtantienſi, ut reſponſio ejus docet relata ab EDMUNDO RICHERIO *in hiſtor. concil. gener. lib.* II. *c.* 3. §. 19. *p.* 197. Conf. NATALIS ALEXANDER *ad ſæc.* XV. & XVI. *diſſ.* 9. *art.* I. *n.* 9.

(a) *C. 6. X. de cenſib.* (b) *ſeſſ. 24. Ref. c. 3.*
(c) *Cap. eod.* (d) *C. 6. §. probibemus X. de cenſ.*
(e) THOMASS. *p. 4. l. 4. c. 32. &c.*
(f) *C. 32. X. de verb. ſign.*

(*a*). Atque hæ ſunt origines *annatarum*, quibus Joannes XXII. univerſam eccleſiam obnoxiam reddidit, quaſve Bonifacius IX. & ſchiſma Avenionenſe perpetravit (*b*). Baſileenſe concilium (*c*) *annata* damnavit, ejuſque decretum inſertum eſt in noſtram pragmaticam (*d*). Sed ſubſtitere tamen, licet ad beneficia conſiſtorialia reductæ. In aliis regnis extenduntur ad omnis generis beneficia, etiam minimi proventus. Non tamen verum anni proventum, ſed æſtimationem veteris cancellariæ Romanæ involvunt, ſolvendæ ante expeditionem bullarum, quia difficulter exigi poſſent poſſeſſionem arreptam.

V. *Jus ſpolii* ortum eſt in monaſteriis, ubi priorum & aliorum officialium clauſtralium peculia, quæ tolerabantur, ab eorum obitu revertebantur ad abbatem *7. ſpolium* (1) (*e*). Idem jus Epiſcopi ſibi arrogarunt in peculiis presbyterorum & clericorum (*f*), & pontifex in ſucceſſione Epiſcoporum, quorum ipſe ſolus heredem ſe jactitat legitimum (*g*). Utitur jure illo pontifex in Italia & in Hiſpania; ſed reluctatur Francia, quæ inde a CCC. annis conſtituit, ut legitimi cujuſque Epiſcopi vel beneficiarii heredes ab inteſtato ſuccederent, nulla diſcriminis inter bona patrimonialia & beneficiorum proventus ratione habita (*h*).

VI. Interim veterum canonum præcepto bona morientis clerici Eccleſiæ addicuntur, niſi patrimonium vel liberalitates in ipſum collatæ evidenter probatæ *8. peculium* fuerint (*i*). Reliquum enim Eccleſiæ donatum, vel ex proventu ſacro repoſitum cenſetur. Atque hoc ipſum eſt, quod canones vocant *peculium clericorum*, qui inſtar erant filiorum familias (*k*). De hoc peculio in favorem piarum cauſſarum vel domeſticorum olim; poſt promiſcue teſtari potuere: denique agnatis ab inteſtato delata ſucceſſio in odium *ſpolii*, (*l*) quod ſummo rigore exactum offecit reparationibus. Heredes beneficiarii capiunt fructus totius anni emortualis, eoſque cum ſucceſſore dividunt (2). Sed quum mores naturam bonorum eccleſiaſticorum non mutent, non video, quomodo vel beneficiarii, vel eorum heredes Deo rationem reddituri ſint, ſi fructus beneficiorum, qui neceſſarium victum & onera excedunt, piis cauſſis ſubtrahunt.

VII. Monaſteriis certa onera ſunt peculiaria, ut hoſpitalitas & eleemoſynæ, quas pro modo facultatum, quum lege nulla teneantur, erogant (*m*). Antiquiſſimum jus rex habet, ſingulis monaſteriis, quæ fundavit, imponendi *laicum religio-* *9. laicum oblatum alunt monaſteria in Francia.*

(1) Acceſſit quoque hæc ratio, quod crederent, mobilia clericorum eſſe comparata ex reditibus eccleſiaſticis, qui ad eccleſiam reverti, non vero ad hæredes eorum tranſire debebant ex præcepto canonum. Eccleſiam autem repræſentabat epiſcopus, vel ad minimum ſe eam repræſentare cenſebat, ut vel *c.* 12. X. *de teſtam.* teſtatur. Inde ſine inquiſitione mobilia ſibi tribuebat, quod revera *ſpolii* ſpeciem ſapiebat. Eodem jure olim gaudebant Imperatores in bonis prælatorum, quibus excluſis, pontifex illud ſibi vindicavit, niſi per *indultum* prælati jus teſtamentum condendi impetrarunt. Auctores, *jura ſpolii* explicantes, collegit atque conjunctim edidit JULIUS CÆSAR LUTIUS de GALLIO.

(2) Pro rata temporis, quo officio præfuerunt in ultimo officii ſui anno, quod per ſtatuta capitulorum variis modis definitum eſt, ut prolixius oſtendi in *diſſ. de anno deſervito*.

(a) *C.* 10. *de reſcript. in* 6. *C.* 26. *de præbend. in* 6. *Extrav. comm. c.* 11.
(b) RAYNALDUS *ad an.* 1399. *n.* 12. (c) *Seſſ.* 21. 22. 42.
(d) *tit.* 9. (e) *Concil. Salmur.* 1253. 21.
(f) *Concil. Pictav.* 1280. *C. ult. de off. ord. in* 6.
(g) *Concil. Conſt. ſeſſ.* 39.
(h) *Hiſt. Carol. V. l.* 1. *c.* 11. *Preuves des libertès Gall. c.* 22. *n.* 8. *Ord. Carol. VI. ibid. n.* 8. *n.* 9. (i) *C.* 12. *q.* 3. 4. 5.
(k) *Conc. Later. III.* 1179. *c.* 15. THOMASS. *p.* 4. *l.* 4. *c.* 16. 17.
(l) *Conſuet. Pariſ. art.* 226.
(m) GUIM. *in Pragm. de annat.* §. *quod ſi eccleſ.*

ligioſum vel *oblatum*; quales plerumque ſunt milites & militum præfecti mutilati: quorum plerique penſionem annuam maluere, quam in convictu monachorum degere (*a*). Quum Ludovicus XIV. Pariſiis palatium *valetudinariorum* militum exſtrueret, huic penſiones omnes *oblatorum*, quæ ſingulæ 150. libris æſtimantur, tranſcripſit (1) (*b*). Cui oneri ſubjectæ ſunt omnes abbatiæ & prioratus, ad quos rex abbates & priores nominare poteſt, idque exigitur una cum decimis.

CAPUT XXV.

De penſionibus.

Penſiones veteribus haud incognitæ.

I. BEneficiorum reditus ſæpe *penſionibus* alii ſolvendis minuuntur; quod pridem fieri cœptum, ejuſque rei illuſtre (2) habetur concilio Chalcedon. (*c*) quo Baſſiano & Stephano, qui de ſede Epheſina contenderant, excluſis aſſignantur ducenteni ſolidi aurei quotannis ex epiſcopatu pendendi, qui ſunt 1600. libræ, monetæ Francicæ (*d*). Ex quo apparent cauſſæ penſionis aſſignandæ, ſcilicet, ut pax conſervetur, & ut ejectus de Eccleſia habeat, unde ſe exhibeat. Apparet etiam, ſucceſſorem penſiones definire non poſſe, quum ei commendentur bona Eccleſiæ ſecundum canones adminiſtranda. Apparet porro, penſionem debere eſſe modicam, & ad neceſſitates penſionarii reſtrictam, quum Epheſino Epiſcopo, Aſiæ Metropolitano, 200. ſolidos aſſignatos legimus. Suppetunt & alia vetera exempla penſionum, Epiſcopis vel ſenectute confectis, vel incurſione barbarorum dejectis, (3) & clericis, ad agendam pœnitentiam monaſterio commendatis, datarum (*e*).

trahuntur in abuſum

II. Presbyterorum & clericorum reditus principio erant penſiones, & poſtquam beneficia partita ſunt, Epiſcopi infirmis pauperibuſque tales aſſignarunt, quæ res inde a ſæculo XII. corruptelis anſam dedit. Sæpe enim Epiſcopi cum titulato partiebantur præbendam vel curam, licet hic non ſerviret; ſæpe in conferendo partem fructuum ſibi reſervarunt; ſæpe beneficia locarunt, ut ipſi tantumdem meterent, ac beneficiarius; (4) qui vix ſpiritum ducens cum officium tum reparationes neglexit (*f*). His corruptelis medelam adhibuere canones, quibus

(1) Idem late ex antiquiſſimis eccleſiarum moribus declarat ill. Dn. a LUDEWIG *de jure valetudinar.* docetque, non inique hoc onus imponi monaſteriis aliiſque pinguiſſimis beneficiis, quæ olim magis ſuſtentationem pauperum quam paſturam clericorum intendebant.

(2) Facilius hæ penſiones olim tolerari poterant, beneficiis nondum erectis, ſed reditibus omnibus adhuc ab epiſcopo adminiſtratis. Ex his alebantur potiſſimum pauperes, infirmi, ceteri: cur non ergo ex iis potuere aſſignari certi reditus ei, quem ex bonis eccleſiæ præ cæteris ali æquum erat, prout exemplum adductum docet. Beneficiis vero ſemel erectis difficilior penſionum uſus fuit, qui admodum gravat beneficiatum, & rarius ſolido fundamento nititur.

(3) Juſtiſſima quoque hodie eſt *penſio*, quæ reſervatur presbytero, ſenio confecto vel ægrotanti reſignanti, ne alias egeat, id quod potiſſimum arbitrio epiſcopi ſubjectum eſt.

(4) Hi abuſus inſignes, onerandi beneficia *penſionibus*, varia jura produxerunt, litiumque anfractus, de quibus e erunt TON-

(a) Conf. *ord. l.* 1. *tit.* 7. §. 18. *ſeq. Louet.* O. 7. *Mem. du Clergè part.* 3. *tit.* 4. *c.* 3. (b) *Ord.* 24. *febr.* 1670.

(c) *in concil. Chalced. act.* 12. *p.* 705. (d) *Hiſt. eccl. l.* 28. *n.* 26.

(e) Jo. DIAC. *vita S. Gregor. l.* 3. *c.* 26. *l.* 4. *c.* 39. GREGOR. 1. *ep.* 43. 42. 2. *ep.* 53. (f) THOMASS. *p.* 4. *l.* 4. *c.* 38. *n.* 4. *ſeq.*

quibus cauſſæ & quotæ penſionum determinatæ, pontifici earum creandarum vel admittendarum poteſtate reſervata (*a*). Sed ſchiſma Avenionenſe turbavit omnia. Cardinales quippe, quibus tot beneficiorum cumulus denique ruborem excuſſit, partem earum reſignarunt, ſed tanta penſione oneratam, ut titulatus eſſet inſtar conductoris (*b*). Penſiones aſſignatæ fuere hominibus aliunde locupletibus, qui nec ſerviebant, nec umquam ſerviverant, nec ſervituti erant Eccleſiæ: immo & laicis. Ultima lex eſt bulla Pauli IV.

III. Ex hujus igitur conſtitutione a ſolo pontifice (1) ex juſtis cauſſis conſtitui poſſunt. Juſtæ cauſſæ ſunt, reſignatio ſive pura ſive permutationis cauſſa; tranſactio inter duos litigantes & pacis conſervatio. Sunt & cauſſæ extraordinariæ, veluti ſingularia in Eccleſiam merita, & aliæ, ob quas Rex Franciæ, ſi quem ad majus beneficium nominat, penſiones ſibi reſervare ſolet aſſignandas. Ubi tamen ſemper ſupponendum, penſionarium ſine his talem ſe exhibere non poſſe, qualem vel natales vel dignitas poſtulant. Paupertas enim ſuffragatur ad penſiones e bonis eccleſiaſticis (2), tamquam patrimonio pauperum, percipiendas. *cui moderetur Paulus IV.*

IV. Determinata penſionum quota eſt, & tertiam proventuum ſuperare nequit; ubi tamen nulla ſit partitio, ſed nuda quantitatis aſſignatio. Nec plures penſiones uni injunctæ eamdem tertiam ſuperare poſſunt. Noſtro jure reſignantes penſionem ſibi reſervare nequeunt e beneficio, quod obligat ad reſidentiam, niſi XV. annos ſervierint, vel adverſa valetudine urgeantur (*c*). Quod propter eos conſtitutum eſt, qui ſimulatque quietam poſſeſſionem nacti ſunt, beneficium pro certa penſione reſignarunt, ut novum ambire poſſent. Eodem jure titulatus in tantum onerari nequit, ut non quotannis CCC. libras ſalvas habeat. Unde tenuia beneficia penſionibus exemta ſunt (*d*). Conſtitutionibus Pii V. *& proxim.* & Sixti V. *cum ſacroſ.* penſionarii ſimplices, aliis beneficiis deſtituti, tonderi & habitum clericalem induere, nec non minus officium S. Virginis recitare tenentur, ut ſciant, clericos ſe eſſe, & Eccleſiæ ſervire debere, a qua nutriuntur. *quota quæ ſit?*

V. Penſio in collatione tantum & in literis proviſionum conſtituitur: ſed conſtituta per omnem vitam impetrantis perdurat, licet beneficium ad alium perveniat, & in hujus proviſione nulla *penſionis* mentio (3). Reſignans, ſi penſio per plures annos non ſolvitur, regreſſum petere poteſt in beneficium. Amittitur penſio iiſdem modis, quibus beneficium; matrimonio ſcilicet, irregularitate, crimine. Redimi quoque poteſt pecunia, ſi penſionario non eſt inſtar tituli clericalis, & ſi bona fide ſine pactione ſimoniaca aſſignata eſt. Penſio habet favorem alimentorum: ſi tamen beneficium, penſione oneratum, ad plures poſſeſſores pervenit, præſens poſſeſſor, moribus noſtris, ſolvit tantum (4) penſionem ultimi *quomodo conſtituantur.*

TONDUTI, BARBOSA, DARTIS aliique. Revera non ſunt beneficia, quæ propter officium eccleſiaſticum præſtantur, ſed *gratioſa aſſignatio certorum redituum ad alimenta a poſſeſſore beneficii præſtandorum*.

(1) Imo etiam ab ordinum militarium magiſtris commendaturæ penſionibus onerari ſolent, qui inſtar paparum agunt, & eodem fere jure ſublimi ordinibus præſunt.

(2) Sunt tamen his penſionibus exemta beneficia a *patronis laicis* conferenda, utpote quæ nec pontifex confert, nec gravat, ex more antiquo, ne laici ab ædificandis eccleſiis & dotandis abſterreantur. Clericos arctius ſuo conſtringit jugo, eoſque facilius gravare poteſt.

(3) Cenſentur penſiones *onus reale*, atque ad omnem beneficii poſſeſſorem tranſeunt, adeoque non dubium eſt, quin etiam ſolvendæ ſint ab eo, qui *jure deportus* gaudet.

(4) Neque hoc ratione caret; penſiones enim, quarum dies venit, ſunt inſtar alterius debiti, quod *perſonam*, non *rem* afficit.

(a) *Conc. Lat. III.* 1179. *c.* 7.

(b) *Hiſt. Carol. V. l.* 1. *c.* 11.

(c) *Edict.* 1671. *&* 1679.

(d) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 13.

ultimi anni, quum ipſe non habeat apochas anteceſſoris, & penſionarius ſibi imputare debeat, quod penſionem *ſequeſtratione fructuum* vel alio modo non exegerit. Aliter comparata ſunt alia beneficiorum onera, quæ quiſque fert pro rata temporis. Nihilominus decimator, purgata moræ ſuſpicione, ab eo, qui morte vacans beneficium nactus eſt, *duorum*; & a reſignatario *trium* annorum decimas exigere poteſt (*a*).

CAPUT XXVI.

De Commendis.

Commendæ olim neceſſariæ I. ALius modus attribuendi reditus beneficiorum iis, qui non ſunt titulati, eſt *commenda*, quæ principio id erat, quo vocabulum latinum ſonat, *cuſtodia* ſcilicet ſeu *adminiſtratio vacantis Eccleſiæ*, dum titulatum naniſceretur. Sic Longobardis Italiam vaſtantibus, quum Eccleſiæ ſæpe desererentur & Epiſcopi e ſedibus ejicerentur, GREGORIUS papa vicinis Epiſcopis vicinas Eccleſias, paſtoribus deſtitutas aut dejectis Epiſcopis orbas, (1) dum Epiſcopo cardinali ſeu titulato providerentur, *commendavit* (*b*). Talis viſitator ſeu *commendatarius* e proventu Eccleſiæ commendatæ non niſi neceſſaria & modicum laborum præmium tulit, reliquis fructibus ordinario ſervatis (*c*). Nonnunquam dejecto Epiſcopo abbatia dabatur, ut vivere poſſet (*d*).

trahuntur in abuſum II. Sub regibus noſtris Carolingicis tam perverſus hujus juris uſus invaluit, ut monaſteria non ſolum Epiſcopis & presbyteris, ſed & laicis ac ſæpe *militibus* (2) profunderentur; ut ſumtuum bellicorum adverſus Normannos partem ferre ac denique familias ſuſtentare poſſent (*e*). Repreſſa hac corruptela, Epiſcopi tamen quædam monaſteria vel de facto vel pontificis conſenſu retinere cœperunt

afficit, licet ipſum onus penſionum, quarum dies nondum venit, juri reali annumeretur. Optime vero conferri poſſunt cum *annuis legatis*, & ſic ab *initio anni* debentur, adeoque merito quoque heredibus penſionarii cedere debent, quia *ſimpliciter*, non ob *cauſam*, ut *beneficia* præſtantur.

(1) Aliam adhuc hujus moris praxin antiquam, ſed admodum ſanam, huic addit FRANC. DUARENUS *de SS. eccl. miniſt. lib. VII. c.* 4. impedimenta quandoque videlicet incidiſſe, ob quæ vacanti eccleſiæ ſtatim provideri haud potuerit de idoneo presbytero vel epiſcopo, ideo neceſſe fuiſſe, ad tempus *vacantiæ* interim vacantem eccleſiam alteri commendare. Hæc *commendatio* etiam hodie in uſu eſt, ruralibus parochiis vacantibus, ne defenſore legitimo interim careat eccleſia, quæ vicario presbytero *jure fiduciario* commendatur. Cæterum hæc commendatio carebat quæſtu: onus tantum adjunctum habebat, & quidem ad tempus, nec dici poterat, beneficium ad commendatarium pertinere, cujus adminiſtratio interim ipſi tantum concredita. SARPIUS *de benef.* §. 35.

(2) Et quidem his potiſſimum, *propter imminentia bella & perſecutiones ceterarum gentium, quæ in circuitu* regni Francorum *erant*, ut dicitur in *capitular. lib. V. c.* 3. v. BALUZ. *tom.* 1. *capit. p.* 826. Id quidem epiſcopi ferebant ægerrime, nec nefas eſſe ducebant, pio commento de CAROLI MARTELLI damnatione, religionem CAROLI calvi circumvenire, quod refertur apud BALUZ. *tom. II. capitul. p.* 109. Fabulæ hujus Auctorem HINCMARUM facit COINTIUS *tom. V annal. eccl. Franc. ad ann.* 743. *n.* 5. *ſeqq. p.* 78. *ſeqq.* eamque optime & falſe rejicit.

(a) *per edict. Januar.* 1599. *art.* 16.
(b) 1. *ep.* 76. 2. *ep.* 13. 15. 35. *hiſt. eccleſ. l.* 35. *n.* 17.
(c) *Id. ep.* 35. (d) *Id.* 1. *ep.* 38. 39.
(e) THOMASSIN. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 43. 44.

perunt, (*a*) ut paullatim etiam prioratus, parochiæ & minima quæque beneficia *commendarentur*, immo & commendæ *multiplicarentur*, ſalvis canonibus. Sic inde a ſæculo XII. ex quo terram ſanctam amiſimus, quum plures Epiſcopi titulos ſuos haberent *in partibus infidelium*, pontifices his alios in Francia & in Italia Epiſcopatus, e quibus ſuſtentarentur, *commendarunt* (1). Auctæ ſunt commendæ inde a Clementis V. temporibus, & in receſſu Avenionenſi prope in infinitum (*b*). Nam & curia pontificia, cui reditus ex Italia intercepti erant, beneficiis Francicis indigebat, & regi Francorum, talia poſtulanti ab inquilino papa, durum videbatur obluctari. Monachi & canonici regulares, priſtinæ diſciplinæ deſertores, a communione recedentes, bona diſſipare, & abbates, ſatraparum more, pauperum & monachorum patrimonium luxu perdere. Hinc cardinales & prælati rogarunt, ut ipſis monaſteria iſta corrigenda ac inſtauranda commendarentur. Sed compertum fuit, non correctioni monaſteriorum, ſed reditibus illos malos corvos inhiaſſe. Monaſteria enim, his egregiis correctoribus commendata.

In pejus ruere ac retro ſublapſa referri.

Nam eorum avaritia religioſis nihil reliquit, unde Deo cultum, peregrinantibus hoſpitium, pauperibus ſtipem præſtarent. Eccleſiæ ornamentis ſpoliatæ, ædificia in ruinam prona, diſciplina, ſuperioris abſentia, quam laxiſſima, cellulæ monachorum raro habitatæ, plurimæ habitatore deſtitutæ, egregiam illam correctionem alta voce proclamabant (*c*). Durante ſchiſmate malum illud ſubinde majora incrementa ſumſit, nec ulla ætas plures *commendas* vidit (2). Nec eæ amplius *ad tempus* dabantur, ſed *in perpetuum* uſumfructum, de quo nemini ratio reddita. Quæ corruptela tam altas radices egit, ut nec ultimo concilio Lateranenſi (*d*), nec concordato, nec edictis regiis, 1571. 1617. quibus cautum, ne abbatiæ aliis, quam regularibus darentur, coerceri potuerit.

III. Concilium Tridentinum (*e*) commendas in univerſum non damnavit, ſed voluit ſaltem, ut monaſteria commendata intus regerentur a regularibus ſui ordinis: in poſterum autem regularibus conferrentur, atque ex illo tempore ſuperioribus ordinum reſtituerentur. Interim pro commendis militat, quod *abbates regulares*, exceptis paucis, qui ſtrictiſſimam ſequuntur obſervantiam, reditibus monaſteriorum vix cautius utuntur, quam plurimi commendatores, & quod major ſit eorum in abutendo licentia (3). Religioſi non reformati parum ædificant *qui corrigitur.*

(1) Tolerari potuere hæ *commendæ*, juri antiquo magis convenientes, ut Auctor tradit §. 1. Neque hoc caſu metuendus erat *ſacrilegii* reatus, (quem commendis laicorum objiciebant) cum epiſcopatus jure fiduciario darentur epiſcopis h. e. perſonis ſacratis eoque gradu inſignitis, quem beneficium poſcebat.

(2) BENEDICTUS XII. quidem, qui itidem Avenione ſedem habuit anno 1334. electus, *revocavit omnes commendas per prædeceſſores factas de eccleſiis cathedralibus & abbatiis*, ut Auctor vitæ ejus apud BALUZ. *in vit. pap. Aven. p.* 198. 214. & 222. indicat: excepit vero *cardinales*, ex ratione ab auctore indicata, & *patriarchas*, quo ipſo factum videtur, ut *conſtitutio papalis* effectum ſperatum habere non potuerit.

(3) Verum etiam id negari nequit, commendarum involucrum tutiſſimam viam viſam fuiſſe, contra canonum diſciplinam plura beneficia uni conferendi, hoc ſub colore, quod unum tantum beneficium *jure tituli*

(a) *Id. p.* 4. *l.* 2. *c.* 62. GREGOR. *VII. l.* 7. *ep.* 7. 8. *l.* 9. *ep.* 29. *Conc. Salmur.* 1258. *c.* 28. *C.* 15. *de elect. in* 6.

(b) THOMASS. *p.* 4. *l.* 2. *c.* 63. *Rayn. ad an.* 1307. *n.* 28. *Extrav. comm. c.* 2. *de præb.*

(c) DURAND. *ſpecul. p.* 2. *tit.* 21.

(d) *Concil. Later.* 1514. *ſeſſ.* 9. *p.* 220.

(e) *Seſſ.* 15. *Ref. c.* 21.

cant Eccleſiam, & ſi vel maxime exactiſſimam correctionem admitterent, vix ſperandum, ut eorum tantus ſit numerus, qui fuit eo tempore, quum Cluniacenſes & Ciſtercienſes inſtituerentur; ubi religioſi mendicantes, Jeſuitæ, aliique clerici regulares & tot ſanctæ congregationes ignorabantur, quæ ultima CCCC. annis Eccleſiæ utiliſſimam navarunt atque etiamnum navant operam. Quare non eſt dubitandum, Eccleſiam pro *temporum diverſitate* aliter atque aliter de fructibus ſuis diſponere; beneficia regularia collegiis, ſeminariis aliiſque communitatibus applicare, & monaſteria Epiſcopis, qui tenuem cenſum e diœceſi colligunt, vel presbyteris, qui utilem Eccleſiæ operam poſt Epiſcopum navant, *commendare* poſſe. Si qui ſunt, qui commendis abutuntur, proventum Eccleſiæ capientes, cui non ſerviunt, & præter neceſſitatem plures accumulantes; ii in diſtricto judicio Deo rationem reddendam eſſe meminerint.

natura commendarum hodierna. IV. Hæc igitur conditio, hæc forma eſt commendarum moribus hodiernis. Papa ſolus commendat; ſed Epiſcopatus ac virginum monaſteria nec ipſe commendare poteſt. Sunt tamen *curæ regularium*, quæ presbyteris ſæcularibus commendantur (1). Commendanda ſunt ſolum beneficia *commendari ſolita*; quæ conſuetudo infertur ex trinis collationibus continuis & quadragenaria poſſeſſione. Si vero commenda eſt *decretalis*, h. e. ad dies vitæ titulati; papa eam denegare poteſt, licet plures invicem ſucceſſerint. Magno beneficio imputandum ſi beneficium regulare commendat. Commendatarii partium eſt, onera ferre, reparationes ſuſcipere, ornamenta ſuppeditare, eleemoſynas erogare; cetero proventu libere utitur inſtar *titulati*. Immobilia immo nec mobilia pretioſa alienare poteſt. Fit collator beneficiorum, habetque locum & omnes honores titulati. Cavendum, ne ſui cauſſa vel publicus cultus, vel religioſorum numerus minuatur. Religioſi permanent ſub *juriſdictione ſuperiorum regularium*, habentque *priorem clauſtralem* vel alium ſuperiorem regularem, interioris diſciplinæ cuſtodem.

CAPUT XXVII.

De Beneficiorum pluralitate.

Cauſſa pluralitatis beneficiorum. I. Ut unum corpus naturali ratione duobus locis præſens eſſe nequit, ita unus clericus duabus Eccleſiis ſervire non poteſt; & in eadem Eccleſia inutile foret *plures* miniſtros inſtituere ad functiones, quibus *unus* par eſt. Equidem quo quiſque ſervit utilius, eo pinguiora laboris præmia tulit ex præcepto Apoſtoli (a): ſed in duobus Eccleſiis nemo *matriculæ* inſeri aut *titulum* capere

re

tituli ſeu *proprio nomine*; commendas vero *nomine alieno*, jure fiduciario, titulo *cuſtodiæ*, poſſiderent. Et quia hæc methodus non erat deſerenda, quo curia Romana ſemper haberet, unde clericorum & potentiorum animos ſibi devinciret, eo allaboratum eſt, ut commendæ in ſuo vigore ſubſiſterent. Magis ergo ratio ſtatus a læ Romanæ interceſſit, quo minus praxis commendarum eliminari potuerit, ut non diffitetur DUARENUS *cit. l.*

(1) Præter beneficium, quod jure *tituli* jam tenent. Revera tamen *titulum* inter & *commendam* nihil adeo in effectu intereſſe, optime docuit COCCEIUS *de convenientia titul. & commend.* In eo tamen differunt, I. quod ordinarius conferat tantum titulata, non commendata beneficia: *c. 15. de elect. in 6.* II. quod hæc inhabilibus etiam conferri poſſint, non illa: III. quod hæc reſidentiæ vinculum annexum non habeant, ſicut illa: IV. quod commendata cum aliis ſint compatibilia, non *titulata*, adeoque illa aliunde jam proviſis conferri queant: V. commendata adhuc *vacare* dicantur non *titulata*, quæ differentia tamen revera glaucoma ſapit.

(a) 1. *Tim. V.* 17.

re potuit (*a*). Poſt partitionem proventuum compertum eſt, quædam beneficia tam eſſe tenuia, ut non ſufficerent alendo clerico, nec continuum ſervitium flagitarent. Ex quo fundamento uni plura attribui cœperunt beneficia, veluti canonicatus C. librarum & ſacellum LX. librarum, ea conditione, ut quotannis vel in eadem vel in vicina Eccleſia miſſæ V. & VI. celebrentur.

ejus abuſus

II. Irruente morum remiſſione hoc obtentu plura beneficia, (1) locis remota, & cum animarum cura conjuncta; immo plures curæ, pluresque Epiſcopatus conjungi cœperunt, quum exiſtimaretur, officio ſatisfieri, ſi alteri ſpartæ ornandæ præficeretur homo quantivis pretii, qui fructuum partem caperet (*b*). Mederi nitebatur huic malo Concilium Lateran. 1179. quod collationem, ſecundi beneficii irritam declaravit (*c*). Huic ſuccenturiatur Lateranenſe 1216. quo decretum eſt, ut, ſi quis beneficium *curatum* habens, aliud ejuſdem ſpeciei recipit, primum vacare cenſeatur, &, ſi id conſervare contendit, etiam ſecundo privetur. (*d*) Idem de dignitatibus ſeu perſonatibus ſancitum, quorum duos in eadem Eccleſia nemo habere poteſt. Additur autem *eod. Circa ſublimes tamen & literatas perſonas, quæ majoribus ſunt beneficiis honorandæ, quum ratio poſtulaverit, per ſedem apoſtolicam poterit diſpenſari*. Quo ipſo tam lata *diſpenſationibus* feneſtra aperta eſt, ut videantur eſſe juris communis, nec ordinariis, ſi quem clericum plura beneficia curata poſſidere comperiſſent, plus licuit, quam interrogare de forma diſpenſationis debita, & diſpicere, ne animæ negligerentur. Quæ ſanctio eſt Gregorii X. in Concil. Lugdun. (*e*). Sed inventæ ſunt fraudes, quibus hæc omnia ſuperabantur, videlicet *uniones beneficiorum*, ad dies vitæ titulati, & *commendæ*, cum omnis generis titulis compatibiles, ſic ut titulatus unius epiſcopatus haberet ſæpe duos vel tres alios, ut adminiſtrator ſeu commendatarius.

natura hodierna.

III. Concilium Tridentinum principio prohibuit pluralitatem beneficiorum, curam animarum habentium, aut alias incomparabilium, remque reduxit ad decreta Innocentii III. & Gregorii X. (*f*) Poſt generatim pluralitati adverſatur, & ſingulis ſingula beneficia conferenda ſtatuit (*g*). Si unum non ſufficit, jungi poteſt beneficium ſimplex, ſi tamen neutrum requirat reſidentiam. Hæc lex ſtringit omnis generis beneficia, ſæcularia, regularia, immo & commendas. In Francia prohibita eſt pluralitas beneficiorum, animarum curam habentium (*h*). Sed ſenatus conſulta Pariſienſia canonicatus quoque cum curis h. e. cum omnibus beneficiis reſidentiam poſtulantibus conſiſtere non poſſe ſtatuerunt (*i*). Simplicium beneficiorum pluralitas permittitur & cujuſque pudori relinquitur, quantum ſibi neceſſarium exiſtimare velit. In Germania pontifex permittit, ut unus plures

pluralitas beneficiorum in Germania quare permiſſa?

(1) Tres omnino modi excogitati ſunt, plura obtinendi beneficia & pluralitatem palliandi: I. per *commendas*, ut *tit. præced.* dictum: II. per *unionem* eccleſiarum, qua factum, ut plura unum viderentur eſſe beneficium, fictione pia fucum tegente: III. per *diſpenſationem*, qua etiam prælati ad plures epiſcopatus, ratione ſtatus eccleſiaſtici id poſtulante, promoveri poſſunt. Hæc poſterior ratio effecit, ut Colonienſis, Monaſterienſis, Paderbornenſis & Hildeſienſis eccleſiæ hodie uni prælato concreditæ ſint, de qua praxi Germaniæ Auctor *in f.* hujus tituli agit.

(a) *Concil. Nicæn. c.* 15. *Antioch. c.* 3. *Chalced. c.* 10. *Emerit. c.* 19. *Tol. XVI. c.* 5.
(b) *Concil. Pariſ. IV. an.* 829. *Concil. Claram. ſub Urban. II. c.* 12. *c.* 14. *C.* 5. *X. de præb.*
(c) *Cap. eod. c.* 3. *X. de Cler. non reſid.*
(d) *C.* 28. *X. de præb.*
(e) *C.* 3. *de off. ord. in* 6.
(f) *Seſſ.* 7. *c.* 2.
(g) *Seſſ.* 24. *c.* 17.
(h) *Stat. Bleſ. art.* 11.
(i) *Mem. du Clerg. part.* 2. *tit.* 14. *n.* 15. *tit.* 15. *per tot.*

Digitized by Google

plures Epiſcopatus poſſideat, quia Eccleſiæ intereſſe putant, principes Eccleſiaſticos maximis proventibus lætari, (1) quo proteſtantibus pares eſſe queant.

CAPUT XXVIII.

De Reſidentia.

Reſidentia neceſſaria

I. PRimis ſæculis clerici omnes titulis ſuis, veluti cardinibus, fixi firmique inhærebant, quos deſerere, vel in aliam diœceſin migrare ſine Epiſcopi venia non poterant, niſi cum ipſi, tum Epiſcopi, qui eos recepiſſent, excommunicari vellent (*a*). Sed ex quo clerici ordinari cœperunt ſine *titulo*, vagabundorum numerus mire excrevit. Deinde beneficiorum *pluralitas* neceſſario reſidentiæ neglectum involvit, & quæ avaritia beneficia multiplicavit, eadem ſervitium Eccleſiæ ſuſque deque habuit, lucro unice dedita. Unde legimus Epiſcopos & clericos, multis beneficiis ornatos, procul Eccleſia omne ævum in aulis principum, vel quocumque aut negotiis aut voluptatibus ſuis traherentur, exegiſſe (2) (*b*).

ex certis cauſſis,

II. Fuere tamen juſtæ abſentiæ cauſſæ, ut iter ad concilium, ad Epiſcopi conſecrationem, ad Eccleſiæ dedicationem. Nonnulli ex optimis in aulis degebant; Eccleſiarum, pauperum aliorumque afflictorum cauſſam agentes; ſed nec ſæpe, nec diu; & tanta vitæ innocentia, ut ſatis appareret, quo ſpiritu ducerentur. Quia tamen ſæculo IV. nonnulli hac libertate abuſi ſunt, Concilio Antiocheno *c.* 11. ſtatutum eſt, ne quis Epiſcopus ſine venia collegarum, & Metropolitani inprimis, migraret ad aulam: & Sardicenſe (*c*) abſentiam eorum, urgente neceſſitate, reſtrinxit ad tres menſes, cunctiſque Epiſcopis injunxit, ut obſervarent collegas, per diœceſes eorum iter facientes, cauſſamque itineris flagitarent, ut ſcire poſſent, num ſalvis conductibus eorum ſubſcribere poſſent.

quæ admodum multiplicatæ, negligitur.

III. Tempore expeditionum cruciatarum indulti ſunt multis clericis fructus beneficiorum abſentibus per plures annos (*d*). Indultum eſt etiam clericis, qui vel diſcendi vel docendi cauſſa degebant in academiis. Indultum porro iis, qui in curia Romana litium cauſſa vel proviſionibus inhiantes commorabantur. Peſſimi exempli denique fuit pontificum ſeceſſus Avenionenſis, qui ejuſdem criminis rei aliis facile privilegium perpetuum de non reſidendo dederunt, ut abſentes tamquam præſentes fructus ſuos facere poſſent (3). Obtentui erat, eos, qui in

(1) Non tantum *proventuum* gratia hoc videntur fieri, ſed imprimis *virium* cauſa, quæ ſi in uno coadunantur, majorem producunt efficaciam. Quid roboris hæc epiſcopatuum pluralitas intuitu ſuffragiorum in comitiis imperii operetur, facili quilibet conjectura aſſequi poteſt.

(2) Præterea quoque reſidentiam epiſcoporum imprimis laxabat, quod reges Francorum olim in comitatu ſuo plures epiſcopos habuerunt, qui rarius ad eccleſias ſuas revertebantur. *Sic*, ut ait AUCTOR *tom. XIII. hiſt. eccl. in diſc. prælim.* §.9. *Carolus M. modo cis, modo trans Rhenum erat: modo in Italia, modo in Saxonia: hodie Romæ, poſt tres menſes Aquiſgrani. Secum ducebat ſemper ingentem epiſcoporum numerum, vaſallis ſuis domeſticiſque ſtipatorum.*

(3) Hoc vocare poſtea cœperunt *beneficium a latere*, quod hi, qui a *latere papæ* vel *epiſcopi* eſſe coguntur, a reſidendi neceſſitate liberati ſint, id quod approbatum in *c. 7. X. de cler. non reſid.* non obſtante juramento de reſidentia præſtito, ut pontifex cenſuit in *c. 14. X. eod.* Tales reipu-

(a) *Conc. Nicæn. c. 26. Chalced.* 10. 20. *Antioch.* 3. LEO *ep.* 84. *ad Nicet.*
(b) PETRUS *Bleſ. ep.* 84.
(c) *c.* 7. 10. 11. 12.
(d) *C.* 4. 12. *X. de Cler. non reſid.*

in curia pontificis agerent, aut pontificis negotia gererent, Eccleſiæ univerſali utiliorem operam navare, quam ſi loco beneficii adſtringerentur. Quod ad ſe traxerunt (1) Sacellani regii, & ſenatus ſupremi conſiliarii, qui reipublicæ litarent (*a*). Sed primis ſæculis cum Eccleſia, tum reſpublica non infelicius regebatur abſque hujuſmodi diſpenſationibus. Et populus ſine doctrina, clerus ſine diſciplina, vitia impunita, cultus publicus neglectus, Eccleſiæ ſine ornamentis, ædificia ſine reparationibus, pauperes denique deſtituti, ſatis proclamarunt, quantum intereſſet, clericos non reſidere,

IV. His malis ut mederetur Concilium Tridentinum (*b*), voluit, ne quis *epiſcopus* ultra bimeſtre aut trimeſtre ſpatium abeſſet e diœceſi, extra caſum *neceſſitatis*, *caritatis*, *obedientiæ*, & ob *evidens Eccleſiæ* aut *reipublicæ bonum* (2): ubi tamen ſcripta venia pontificis, aut Metropolitani aut primi ſuffraganei opus. Voluit porro, ut provideret, ne ex cauſſa abſentiæ populus detrimentum cape- *denuo præcipitur*

reipublicæ eccleſiaſticæ cauſa abeſſe dicuntur, & ſic eos non ſtringit lex *de reſidentia*.

(1) Idem etiam hodie in Germania canonici capitulorum, qui a *latere principum* ſunt, ſibi vindicant, etiam in terris proteſtantium, obſervante STRYKIO *de jur. papali princ. evangel. c. 5. §. 13.*

(2) Ita vero nihil correctum, id quod etiam agnoſcit SARPIUS *in tr. de benefic.* §. 49. Noluere patres hujus concilii decidere quæſtionem, *utrum obligatio reſidendi eſſet ex jure divino, an canonico petenda*? Interim mirifice in utramque partem ſumma cum libertate de ea ediſſeruerunt. Declinarunt qui Romanæ curiæ favebant, deciſionem, ne ſi *juris divini* conſtitueretur, papæ *poteſtas diſpenſandi* adimeretur, ut SARPIUS *cit. l.* non negat, Ceterum non adeo mirandum eſt, fuiſſe, qui hanc obligationem unice ad juris canonici diſpoſitionem reſtringerent. Quamvis enim ſcirent, *beneficium dari ob officium ſacrum*, facile tamen hanc regulam eludebant canonici ſimileſque, allegando etiam *abſentes & non reſidentes* ſuo munere fungi poſſe: officium S. potiſſimum conſiſtere in horis canonicis pſallendis: has *publice* quidem recitandas eſſe; ſed *uſuali interpretatione* factum, ut recitatione privata breviarii eo officio defungerentur, atque *ita beneficiato decem millium & eo amplius aureorum proventus tantum modo datus eſſet, ut breviarium in manibus haberet, illudque ſubmiſſa voce, quantalibet poterit linguæ velocitate & abſque ulla mentis, niſi ad ſolam verborum enunciationem attentione, pronunciaret*, ut ait SARPIUS *in hiſtor. concil. Trid. lib. II.* Hoc glaucoma ſolvit reſidentiam canonicorum, (maxime cum aliunde jam functionibus paſtoralibus ſoluti eſſent) & opinionem introduxit, reſidentiam non præciſe neceſſitatis eſſe, ſi modo beneficiatus breviarium ſuum quotidie percurreret. Non negat AUCTOR *conſultat. de reform. horis canon.* 1644. *editæ c.* 4. hanc conſuetudinem primum inde natam fuiſſe, quod juſte impediti crederent, ſe non aliter fructus beneficii ſui, ſalva conſcientia, ſuos facere poſſe, quam ſi *abſentes* etiam ſeſe præciſe adſtringerent ad horas canonicas privatim recitandas. Hæc opinio poſtea prætextum præbuit deſidibus, ut loco publicarum horarum canonicarum, ad quas officium ſuum reſtrinxere, *breviario* uterentur, atque hoc modo ſine peccato, ut credebant, abeſſe poſſent. Puto hunc morem primum in monaſteriis natum fuiſſe, in quibus monachi regulis ſuis adeo inhærent, ut vel ad ſyllabam eam obſervent. Qui itaque impediti fuere, choro intereſſe, ad hoc officium privatum ſeſe alligarunt, ne a regula declinarent. Canonici communi vita relicta, hoc medium avide arripuerunt, & ſeſe facile ad hoc *officium otioſum* accommodarunt. Ne quid per injuriam dixiſſe videar, addam de hoc *officio privato*, quod *otioſum* dixi, judicium BARCLAII *in icon. anim. c.* 16. *Habent eccleſiaſtici præſcriptas ad numen ſibi preces, quas effundunt in quotidianæ pietatis officium, ſanctas has quidem, neque illis omittendas, ſed tantillo penſo defuncti, credunt, ſe nihil cælitibus debere, opeſque ſuarum infularum bono jure ſibi emtas. Larvæ illæ & vecordium furor! quod munus aſſiduo labore ægre perficias, id credere, levi & perfunctoria opera rite abſolvi.* Si ergo pro *tali officio*, ut putant, datur *beneficium*, reſidentia non præciſe exigenda, maxime poſtquam etiam munia paſtoralia & epiſcopalia per vicarios expediri poſſunt.

(a) *Stat. Melodun. art.* 7.

(b) *Seſſ.* 23. *Ref. c.* 1.

V

caperet, ipſeque ſaltem *adventum*, *jejunium quadrageſimale* & *ſolemnes ferias* obiret (1) in æde cathedrali; additque, ſecus facientes peccatum mortale committere, nec ſalva conſcientia fructus abſentiæ capere poſſe, applicandos fabricæ Eccleſiæ & pauperibus loci. Eadem pœna præſagitur *curatis* & ceteris beneficiariis, animarum curam habentibus, quibus injungitur, ne qua abſint ſine ſcripta epiſcopi venia, cui mandatur, ut vagabundos fructuum ſequeſtratione, immo & privatione beneficii, adigat ad reſidentiam. Concinit *ſtatutum Bleſ.* (*a*) licet non obſervetur per omnes apices. *Canonicis* injungitur (*b*) ſub pœna dimidiæ fructuum, ſi primo anno; omnium fructuum, ſi ſecundo anno ultra tres menſes abſuerint, nec alios, quam qui præſentes ſunt, *diſtributionum quotidianarum* (2) vult fieri participes. Sed in his ſequenda ſunt peculiaria capitulorum ſtatuta, niſi juri communi repugnent (*c*). Sunt enim, quæ exactam urgent reſidentiam; ſunt, quæ præſentiam in officio, quoad quis in loco eſt, ſedulam urgent, longioremque indulgent poſtea abſentiam. Canonici inferioris chori homines & ſemipræbendarios, *capellanos*, *cantores*, vel quocumque alio nomine cenſeantur, ad cultum aſſiduum adſtringunt, quia ipſorum ſtipendiis vivunt, & eorum vicibus funguntur (*d*).

quæ beneficia ſint a reſidentia immunia? V. Simplicia beneficia vocantur, quæ nec *curam animarum*, nec præſentiam in *choro* annexam habent, a reſidentia immunia, ut ſunt *abbatiæ* vel *prioratus commendati* & *ſacella*, in quibus certus numerus Miſſarum recitandus, quod etiam fieri poteſt per *procuratorem*. Interim & illa bono Eccleſiæ ſunt inſtituta, nec quidquam nobis obligationem naturalem & divinam remittere poteſt, perficiendi promiſſa, dum ſervitio Eccleſiæ nos dedimus, ut ejus proventibus jure frui poſſimus.

CAPUT XXIX.

De unione beneficiorum.

Unionis cauſſæ legitimæ. I. Beneficia procedente tempore interire poſſunt, ſi vel Eccleſiæ deſtruuntur, vel proventus dilapidantur. Si proventus permanet, æde corruente, quod ruri ſæpe contigit, cultus in aliam Eccleſiam vicinam transferendus eſt (3). Si pars proventuum ſuperat, quod plerumque fit, unitur alii cuidam titulo benefi-

(1) Ita omnino *reſidentia* intelligenda erat, ut cum *effectu* acciperetur, & in ſedula officii ſacri tractatione conſiſteret. Quis vero negat, reſidentiam apud eos, qui ex moribus corruptis rarius reſidere ſolent, utplurimum eſſe umbratilem, ſuperficiariam, otioſam, immo ita comparatam, ut præſens eſſe non videatur prælatus, quod officio ſuo non fungatur, licet in loco beneficii ſui ex *lege eccleſiaſtica* commoretur. Rationes hujus *otioſæ* præſentiæ rurſus ex antea dictis peti poſſunt.

(2) Quippe quas inſtitutas & introductas eſſe cenſent, ut canonici hoc præmio facilius invitarentur ad horas canonicas frequentandas. Crederem potius, eas adhuc reliquias eſſe ex antiqua *vita communi* canonicorum, qui olim his quotidianis ſportulis paſcebantur, quemadmodum adhuc hodie ex communibus capituli bonis præſtantur, licet potiora inter eos diviſa fuerint. Adeo vero *abſentibus* denegantur, ut ne quidem, qui a latere principis vel epiſcopi ſunt, & alias pro *præſentibus* habentur, de eis participent. *c. 7. X. de cleric. non reſid.*

(3) Vocatur hæc unio *extinctiva*, quia beneficium exſtinguitur, & parochiani ſtatim ſeparati cœtus amittunt, cum alio cœtu conjuncti. Altera ſpecies eſt *ſubjectiva*, quando ita alteri unitur, ut vel per *vicarium*, vel per ipſum principalis beneficii poſſeſſorem regatur.

(a) *art.* 14. 15. 16. (b) *Seſſ.* 25. *Ref. c.* 12.
(c) *C.* 1. *de conſuet. in* 6. (d) *Mem. du Clerg. p.* 2. *tit.* 14.

neficiario (*a*). Uniri ergo beneficia poſſunt ex cauſſa *neceſſitatis* & *utilitatis* (*b*). Si per hoſtium incurſionem civitas ita deſolata eſt, ut vel nulli, vel pauci Chriſtiani ſuperſint, Epiſcopatus ejus unitur vicino Epiſcopatui (1): quod Longobardorum temporibus ſæpe factum in Italia (*c*). Idem dicendum de parochiis, de quibus vetus regula, cœtum decem familiarum presbytero ſufficere. *Utilitas* militat pro unione, ſi v. c. parochia non habet reditus, qui alendo presbytero ſufficiant. Huic enim vel capella vel aliud ſimplex beneficium jungi (*d*), & ſi præbendæ tenues ſunt, numerus earum minui poteſt, ut ſuperſtites canonici lautius vivant. Atque hæ ſolæ cauſſæ ſunt legitimæ.

II. Moribus corruptis arriſit novum genus unionum ſine cauſſa, quas *gratioſas* vocarunt, quando papa vel Epiſcopus beneficia conjunxit ſine *neceſſitate*, ut Epiſcopi vel capituli reditus augerentur (2). Sed quum id in fraudem collatorum fieret, placuit uniones facere ad dies vitæ hujus vel illius cardinalis, cui papa hoc modo plura indulſit beneficia titulo *unionis*, quæ cum ejus vita exſpirabat. Quas uniones Concilium Tridentinum (*e*) ſuſtulit, voluitque, ut perpetuæ, ultimis XL. annis factæ, examinarentur ab ordinariis, annon *ſubreptionis* vitio laborarent, neve in poſterum ſine cauſſa legitima fierent: quo ipſo uniones *gratioſæ* ſublatæ ſunt (*f*). *& ſpuriæ?*

III. Uniones legitimas etiam beneficiorum regularium Epiſcopus facere; perſonatus autem Epiſcopo inferiores, non facere poſſunt (*g*). Si Epiſcopatus uniendi ſunt, aut ſi beneficium menſæ epiſcopali adjiciendum, jure novo papæ auctoritate opus eſt; quod tamen ſine Epiſcopi conſenſu facere nequit, neque in Francia id facile permitteretur. Præcedere debet cauſſæ cognitio, citatis, quorum intereſt, parochianis, collatoribus, patronis; explorata locorum conditione, commodo & incommodo. Jam vero quum ſalus animarum ſemper præferatur, *cura* nulla ſupprimenda eſt, ut alteri curæ uniatur. Obſequendum eſt voluntati fundatoris (*h*). Non unienda ſunt monaſteria, quouſque conventuales ſuperſunt & obſervant regulam; non præbendæ, ſi ſine iis cultus publicus cum pompa peragi nequit; non hoſpitalitati, non eleemoſynis unio fraudi ſit; nec diverſarum diœceſium (3) beneficia unienda (*i*). *quis uniat?*

IV. Unio fit vel per *acceſſionem*, vel per *confuſionem*, vel per *exæquationem* (*k*). Per *acceſſionem*, quod plerumque fit, ſi beneficium principale titulum conſervat, & beneficium unitum ejus fit membrum & acceſſorium, in quo, ſi curam *quot modis unio fiat?*

(1) Exemplum hujus *unionis* bulla Gregorii IX. anno 1236. confirmatæ in Italia, refert UGHELLUS *in Ital. ſacra tom. I. p.* 13.

(2) Et ſic in gratiam clericorum, cum detrimento ſummo eccleſiæ, hoc fuco, ne plura quis beneficia poſſidere crederetur. Ita lex, *de pluralitate beneficiorum non concedenda*, ſpecie externa ſervata, h. e. verbis legum retentis mens eorum prorſus ſubverſa eſt, ut recte judicat SARPIUS *de benefic.* §. 34.

(3) Infinita incommoda ſequuntur ex unionibus beneficiorum in diverſis diœceſibus ſitorum, maxime ſi unio eſt *ſubjectiva*, virtute cujus quis pluribus eccleſiis præeſt. Nam juriſdictionis eccleſiaſticæ limites ita ut plurimum turbantur, *quod filia ſequi dicatur matrem*. Interim hæc regula vix *regula* dicenda, cum filia in pleriſque jura ſua reſervet, & juriſdictioni eccleſiaſticæ ſuæ diœceſeos in omnibus ſubjecta maneat, niſi aliud pacto placuerit.

(a) *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 9.
(b) *C.* 33. *X. de præb.*
(c) GREGOR. 1. *ep.* 15. *Hiſt. eccl. l.* 3. *n.* 17.
(d) *C.* 33. *X. de præb.*
(e) *Seſſ.* 7. *c.* 4. *an.* 1547.
(f) *Seſſ.* 24. *c.* 7.
(g) *C.* 8. *X. de exceſſ. præl. Cl. ne in agro. de ſtat. monach.* §. *ad hæc.*
(h) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 13.
(i) *Ibid. ſeſſ.* 25. *c.* 8. *ſeſſ.* 14. *c.* 19.
(k) *Gloſſ. in c.* 1. *X. ne ſed. vac.*

ram animarum habet, conſtituendus eſt vicarius perpetuus (1). Per *confuſionem*, ſi ambobus titulis ſuppreſſis, novus creatur. Per *exæquationem*, ſi ambo tituli ſubſiſtunt æqualiter & independenter, ita tamen, ut ſemper conjunctim uni & eidem perſonæ ſint conferendi (2). Reſolvitur unio ex cauſſis contrariis, rebus ad priſtinum ſtatum revolutis.

CAPUT XXX.

De Religioſis Domibus.

Hoſpitalia olim epiſcopis ſubjecta exiſtuntur. I. PRincipio Epiſcopi partium fuit, pauperibus, infirmis, viduis, orphanis, peregrinis proſpicere, quibus per diaconos partem oblationum, deductis, quæ clericis & fabricæ impendenda erant, erogavit. Poſtquam Eccleſiæ certos reditus nactæ ſunt, *quarta* aſſignata eſt pauperibus, quibus, ut liberalius haberentur, *domus religioſæ* exſtructæ ſunt, quas *hoſpitalia* vocabimus, quaſve rexerunt presbyteri & diaconi, Epiſcopo rationem reddentes. Sequior ætas infinitas hujus generis domus tulit, multaſque deſtructas, & plures inſtauratas vidit. Multæ privata devotione certi generis pauperibus & ſub certis conditionibus exſtructæ (3). Plures a religioſis vel virginibus hoſpitalariis poſſeſſæ, privilegio exemtionis gaudebant: unde Epiſcoporum poteſtas reſtricta eſt (4).

gubernantur a religioſis, qui ſectantur regulam Auguſtini. II. *Religioſi hoſpitalarii* omnes ſequuntur regulam Auguſtini, quia omnia hoſpitalia fuerunt a clericis gubernata, qui vel regulam generalem, vel ſpecialem S. Antonii Viennenſis ſectantur, quæ præcipit curam infirmorum, qui laborarent morbo, quem *ignem S. Antonii* vocant, & qui quingentis abhinc annis maximam ſtragem edidit. Ceteri hoſpitalarii ſunt equites ordinum militarium, veluti Joannitici & S. Lazari. Sunt & hoſpitalarii mendicantes, ut *fratres caritatis*, quorum congregatio, Granatæ coalita, confirmata eſt a pontifice an. 1572, quive omnes laici ſunt, & quartum votum emittunt de *infirmis pauperibus ſuccurrendis*.

poſt, a laicis, III. Ultima quatuor ſæcula gnaviter in emendandis religioſis domibus deſudarunt. Nam plerique clerici adminiſtratione abuſi erant ad *titulum* beneficiarium, nec fructuum rationem reddiderunt (5). Sic proventu diſſipato ædificia in ruinam

(1) Hæc unio eſt imprimis odioſa, quia palam detrimentum eccleſiæ continet, curamque animarum deſtruit. Quid enim aliud ſunt vicarii, quam *mercenarii*? quippe qui mercede parca conducuntur, ut parochialis eccleſiæ functiones ſubeant, reditibus pinguioribus beneficio principali reſervatis, cujus poſſeſſor eos *ſine cauſa* percipit.

(2) Qui in utraque eccleſia æqualiter reſidere debet, unde potiſſimum hæc unionis ſpecies æſtimatur.

(3) Unde variæ ſpecies harum domuum numerantur. Dantur 1. noſocomia ægrotantium receptacula: 2. prochotrophia, pauperum domicilia, 3. gerontocomia, ſenum ſolatia. 4. brephotrophia, infantibus alendis deſtinata: 5. facinoroſorum purgatoria: 6. militum valetudinariorum ſuſtentacula: 7. furioſorum clauſtra: 8. leproſoria: 9. viduarum hoſpitia.

(4) Neque enim hoſpitales domus unice *juriſdictioni epiſcopali* ſubſunt: ad magiſtratus quoque curam pertinet hæc proviſio, ſine qua reipublicæ ſalus ſubſiſtere nequit. Unde dantur domus hoſpitales vel *laicales* vel *eccleſiaſticæ*. Hæ tamen magis gaudent jurium eccleſiaſticorum privilegiis, quam illæ.

(5) Quod vel eodem modo, quo cetera beneficia, illis eſſent collata, & ſic jure *tituli* dicerentur poſſideri: vel etiam ut commendata. Uterque modus eos a rationibus reddendis liberabat. Graviter hos abuſus notarunt patres *concilii Arelat. de anno* 1260. *c.* 13. apud HARDUIN. *tom. VII. conc. p.* 523. ubi ita conqueruntur: *in civitatibus & oppidis provinciæ noſtræ hoſpitalia pauperum multa ſunt, quorum regimina ut frequentius laici & clerici ſæculares multiplici* PRECE & PRETIO, *aliquando etiam per* LITERAS PAPALES

nam cernua vix reſponderunt exſpectationi fundatorum. Unde concilium Viennenſe magna cleri ignominia voluit, ne qua hoſpitalia clericis ſæcularibus titulo beneficii darentur; ſed ut eorum adminiſtratio viris laicis providis, bonis & idoneis crederetur, qui ad inſtar tutorum vel curatorum juramentum præſtare, inventarium conficere, & ordinariis quotannis rationem reddere tenerentur (*a*), exceptis tamen hoſpitalibus (1) ordinum militarium (*b*). Hoc decretum firmavit Concilium Trident. (*c*) & ordinariis gubernationem credidit hoſpitalium, cum poteſtate, reditus, certæ ſpeciei pauperum, quos hodie ignoramus, veluti peregrinis & leproſis deſtinatos, ad alia pia opera adplicandi (*d*).

etiam in Francia,

IV. Jura Franciæ nec clericis, nec nobilibus, nec militum ductoribus, ſed mercatoribus aliiſque civibus h. e. bonis patribus familiarum, rei gerendæ gnaris & œconomiæ peritis, quive facile ad rationes reddendas adigi poſſunt, hoſpitalium adminiſtrationem deferunt (*e*), nominandis a fundatoribus, qui ſunt vel civitates, vel magnates, vel privati homines. Si fundator ignoratur, rex fundator eſſe præſumitur, cujus tum *eleemoſynarius* adminiſtratores nominat, qui ab exacto triennio liberantur & rationem reddunt nominantibus coram Epiſcopo, vel ejus delegato & regiis ſeu civitatis deputatis (*f*).

ubi adminiſtrantur a triplicis generis hominibus,

V. Hoſpitalia igitur, quæ ſunt beneficia, a trium generum hominibus reguntur, *miniſtris*, *clericis & adminiſtratoribus*. *Miniſtri* ſunt famuli pauperum & infirmorum, qui his ſerviunt & ſuccurrunt, ſumtibus hoſpitalis. Nonnullibi hoc officium gratis præſtatur, quod Pariſiis alibique faciunt in publico Noſocomio *virgines religioſæ*: quorſum referri poſſunt *ſorores griſeæ* ſeu *virgines caritatis*, quas VINCENTIUS quidam & quædam GRASIA an. 1635. collegerunt, ut infirmis vel in Noſocomiis vel domi ſervirent. *Clerici* pauperes docent, ſolantur, ſacramentis beant; quorum ſtationes in antiquis hoſpitalibus ſunt beneficia: ſed in novis pro lubitu amoveri poſſunt, ut optimorum electioni ſemper locus ſit. Denique *adminiſtratores* laici bonorum curam habent.

quibus ratio reddenda?

VI. Sed hi adminiſtratores, quia nec ſatis ſelecti, nec ad rationes reddendas diligenter evocati erant, bona illa, maxime in bellis inteſtinis religionis cauſſa geſtis, dilapidarunt. Unde an. 1606. rex edixit publicam omnium hoſpitalium reformationem, qua *ſummus eleemoſynarius* (2) rationes exigere, reſiduumque in milites mutilatos impendi deberet; cui rei gerendæ *camera caritatis Chriſtianæ* inſtituta eſt. Quod quum parum ſucceſſiſſe videret Ludovicus XIII. Cardinali Perronio an. 1612. idem negotii dedit, voluitque, ut ternis annis ratio redderetur, & reſiduum reparationibus vel aliis piis operibus, impenderetur, inſti-

---

LES & MANDATA PRINCIPUM & *potentum conſueverunt occupare, nec ibi pauperibus aliquid miniſtratur, ſed omnia bona & eleemoſynæ talium hoſpitalium per hujuſmodi rectores in uſus proprios aſportantur & devorantur*. Hinc apparet, quam neceſſe fuerit in concilio Viennenſi huic malo medelam adferre.

(1) Hoſpitalia ordinum militarium inſtar beneficiorum ſunt, & *nomen* non *rem* hoſpitalium habent, cum pauperibus non ſint deſtinata, ſed magis uſibus ordinis deputata.

(2) De jure communi epiſcopi ſingulis annis ab adminiſtratoribus rationes exigere debent, idque ex præſcripto *legum civilium l. 42. ff. 3. C. de epiſc. & cler.* Idem in *clem. 2. X. h. t.* cautum; additur tamen: *vel aliis quibus ſubſunt loca hujuſmodi*, cum jam ante obſervaverim, etiam ad *curam civitatis* pertinere ſtrenuam pauperum proviſionem, adeoque hoſpitalium laicalium adminiſtratores ſenatui oppidano ſæpe rationes reddunt. De praxi Galliæ fuſius agit CHOPINUS *de polit. forenſ. eccl. lib. III. tit. 7.*

(a) *Cl. 2. §. Ut autem de relig. dom.* (b) *Cl. eod. §. permiſſa.*
(c) *Seſſ. 7. c. ult.* (d) *Seſſ. 28. c. 8. 9. ſeſſ. 25. c. 8.*
(e) *Stat. Bleſ. art. 65.* (f) *Declarat. 1639.*

inſtituta Pariſiis *camera reformationis hoſpitalium generalis*, duce Perronio, cui aſſidebant quatuor libellorum ſupplicum magiſtri & quatuor ſanctioris conſilii aſſeſſores. Hæc camera a ſolo conſilio ſanctiori pependit, & per annos LX. ſubſtitit, ſuppreſſa an. 1672. a Ludovico XIV. qui plura de adminiſtratione hoſpitalium edicta prodidit, quorum præcipuum eſt declaratio d. 12. Dec. 1698. Tantum de rebus ſacris.

INSTITUTIONUM

JURIS ECCLESIASTICI.

PARS ULTIMA.

CAPUT I.

De Juriſdictione Eccleſiaſtica.

Juriſdictio eccleſiaſtica tota ſpiritualis.

I. ABſoluta tractatione de *perſonis & rebus eccleſiaſticis*, quæ ſunt juris eccleſiaſtici objectum; ſupereſt, ut de ratione hujus juris exercendi h. e. *de judiciis* agamus. Juriſdictio Eccleſiæ proprie competens prorſus *ſpiritualis* (1) eſt, innixa poteſtati, quam Chriſtus dedit apoſtolis ſuis, dicendo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* (a). Quibus etiam dedit poteſtatem judicandi peccatores, dicendo: *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt* (b). Et: *ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & inter ipſum ſolum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos teſtes. Si non audierit eos, dic eccleſiæ. Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper*

(1) Si poteſtas hæc mere *ſpiritualis* eſt, reſpicitque ſalutem animæ, gratiam divinam, ſanctificationem vitæ & vitam æternam, ut apprime AUCTOR doctiſſimus *t. XIX. hiſt. eccl. in diſc. prælim. §. 1.* docet, non eſt *juriſdictio*, quæ *imperium coactivum & principatum* quendam involvit, ut *juriſdictio ſpiritualis ſit* ἀνυπεύθυνον, cum *ſpiritualia* coactionem reſpuant, juriſdictio autem ſine *imperio* concipi nequeat. Denique *juriſdictionem* talem *ſpiritualem* formando, ſimul formatur imperium *in conſcientiis*. Interim negari nequit, ſententiam Auctoris eſſe admodum temperatam, & a rationibus curiæ Romanæ abhorrentem.

(a) *Matth. XXVIII.* 18. 19. 20.
(b) *Joh. XX.* 22. 23.

ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo (*a*). Hæc igitur poteſtas eſt Eccleſiæ (1) propria, docendi, quæ Chriſtus præcepit, ſive credenda, ſive agenda, & doctrinam ejus interpretandi, ſecus docentes aut eam aliqua ratione alterantes reprimendi; ad preces & inſtitutionem fideles convocandi, paſtores & publicos miniſtros iis dandi & indignos removendi (2), diſtinguendi peccatores abſolvendos a pertinacibus, hoſque ex eccleſia ejiciendi (3), clerum denique vel unius Eccleſiæ vel plures paſtores, exercendi judicii cauſſa, congregandi (4).

II. Jus illud reſecandi a corpore Eccleſiæ eos, qui ex judicio eccleſiæ fratribus ſuis ſatisfacere tergiverſantur, per obliquum anſam dedit juriſdictioni temporali. Apoſtoli enim prohibuere Chriſtianis lites agitare coram magiſtratibus infidelibus, volueruntque ut cauſſas referant ad arbitros Chriſtianos (*b*). Tales utplurimum electi ſunt epiſcopi, qui hoc officio tanta fide functi ſunt, ut poſtea, etiamſi principes & magiſtratus Chriſtiani fierent, nec amplius judicia eorum recuſandi cauſſa eſſet, plures Epiſcoporum arbitrio ſe mallent ſubjicere. Quod imperateres indulſerunt, præcipientes, ut, qui ex conſenſu apud Epiſcopum litigare voluerint, non vetentur (*c*); nec ab eorum judiciis provocare liceat, & ut per judicum officia definitioni exſecutio tribuatur (*d*). Clericis quoque & monachis indulſerunt, ut litis cauſſa extra provinciam evocari non poſſent, ſed in omni negotio civili & in delictis eccleſiaſticis Epiſcopos judices haberent (*e*). *detorquetur in ſæcularem.*

III. Præterea quum plerique Epiſcoporum ſumma caritate & probitate lucerent, imperatores eos publico bono plurima negotia civilia voluere peragere. veluti in curatoribus furioſo dandis (*f*); in reditibus civitatum & metatorum exactione (*g*); in viſitandis carceribus (*h*); in tuendis mancipiis, infantibus expoſitis aliiſque perſonis miſerabilibus (*i*); in reprimendis aleatoribus (*k*), & ſcenicis mulieribus (*l*); ita tamen, ut in his omnibus rem ad pietatis & morum diſciplinam chriſtianam reducerent; *juriſdictionem* autem *coactivam* (5) nullam exercerent. *volentibus Imperatoribus Chriſtianis.*

IV. Le-

(1) Vel potius fuit *Apoſtolis* propria, quibus *dona extraordinaria* tributa erant, in quibus non habuere ſucceſſores. Loquor de poteſtate *remittendi* & *retinendi peccata*, id quod agnovit TERTULLIANUS *de pudic. c.* 21. Nec in jure *clavium* ſeu *ſolvendi* & *ligandi* aliqua juriſdictionis umbra latitat, utpote quod unice poteſtatem *docendi* & *interpretandi* ſcripturam circumſcribit, ut rerum Hebraicarum periti jam dudum obſervarunt. *

* De Hierarchia Eccleſiaſtica multa apud Theologos, quæ repetere ſuperfluum foret, in hujuſmodi potiſſimum cauſa, cujus veritati obſiſtere, nonniſi ex animo calumniandi oritur. Sed a notarum Auctore hæc omnia accipienda ſunt, utpote qui a Romana Eccleſia aberrabat.

(2) Ea poteſtas vero olim non epiſcopis, ſed *eccleſiæ* propria erat; & quidem ex naturali ratione, qua cuivis cœtui præfectos ſibi conſtituere indultum.

(3) Etiam hic actus ad univerſum cœtum fidelium, & quidem adhuc ſæculo III., non ad ſolum Epiſcopum relatus eſt, ut CYPRIANI & CORNELII literæ docent, quem quilibet cœtus peragebat non ex aliqua *juriſdictione* eccleſiæ propria, ſed ex *confœderata diſciplina*, quam ſtatus illius temporis, quo eccleſiæ adhuc a republica derelictæ erant, poſtulabat.

(4) Quomodo vero *hæc judicia* ex adductis locis deduci poſſint & debeant, non liquet. Quæ per tria prima ſæcula exercita ſunt, neceſſitati illius ævi adſcribenda, quæ non permiſit, cauſas eccleſiæ judicio Gentilium ſubjicere.

(5) Eam quoque revera non exercebant in

(a) *Matth. XVIII. 15. ſeq.* (b) 1. *Cor. V.* 12. *Conſtit. Apoſt. l.* 2. *c.* 45.
(c) *L. 7. C. de epiſc. aud.* (d) *l.* 8. *C. eod.*
(e) *l.* 29. *C. eod. Nov.* 33. (f) *l.* 27. *C. de epiſc. aud.*
(g) *l.* 26. *eod.* (h) *l.* 22. & 23. *eod.*
(i) *l.* 24. *eod.* (k) *l.* 25. (l) *l.* 33. *eod.*

præſertim in cauſſis clericorum

IV. Leges illæ, quibus in clericorum controverſiis cauſſæ cognitio ad Epiſcopum referenda, diſciplinæ eccleſiæ conformes ſunt. Clericis enim numquam licuit coram *judice laico* (1) comparere, ordinemque ſuum veluti contemtui aliorum exponere. Non quod epiſcopi quærerent, quod agerent, quippe tot negotiis diſtricti; nec quod laicis judicibus inviderent; ſed quod clericos omnino litigare ægre ferrent. Inde (a) ſtatutum eſt, ut clericus clericum conventurus rem deferat ad epiſcopum tamquam judicem, vel Epiſcopi judicio arbitros eligat; judices autem ſæculares non adeat (b). Quin ante (c) placuit, ut quiſque Epiſcoporum, presbyterorum vel aliorum clericorum, derelicto judicio eccleſiaſtico, publicis judiciis contendit, etiamſi pro ipſo prolata fuerit ſententia, locum ſuum amittat: & hoc in *criminali* actione. In *civili*, perdat, quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit: ſiquidem inique de Eccleſiæ conſortio judicat, qui de *judicio ſæculari* poſcit auxilium (d). Recentiores canones non diſtricte prohibuere implorationem judicis ſæcularis; ſed ne id fieret, inſalutato Epiſcopo (e). Sequioribus temporibus jus illud ſubinde majora incrementa ſumſit. Nam *an.* 866. Nicolaus I. ad Bulgaros (f) reſcripſit, eis nullum jus eſſe judicandi clericos. Quæ doctrina hauſta eſt ex falſis decretalibus, quas habet Gratianus (g) paſſim, & ex falſis legibus, quæ codici Theodoſiano adjectæ ſunt (h). Denique concilium Lateranenſe III. laicis ſub pœna excommunicationis prohibuit, ne clericum ad ſua tribunalia pertraherent, cui privilegio ex mente Innocenti III. renunciare non poſſunt (2), quum non ſit perſonale, ſed publici juris, cui privatorum pacto derogari non poſſit (i).

poſt etiam laicorum

V. Iiſdem temporibus, ſæculo ſcilicet XII. Eccleſiaſtici non ſolum prorſus exemti erant a juriſdictione ſæculari; ſed etiam in plurimis cauſſis (3) ipſi laicos judicabant: quod ſenſim invaluit. Collapſo imperio Romano in novis regnis ma-

in cauſis litigioſis, ad ſe devolutis, de quibus §. *antec.* actum, unde poteſtas eorum *audientia epiſcopalis* dicta fuit, quæ in nuda quadam *notione*, citra admixtum imperium, conſiſtebat. Ceterum vel ex hoc loco liquet, *juriſdictionem* concipi non poſſe ſine *coactione externa*, ſine *imperio* & huc pertinentibus adminiculis. Hoc poſito, ponuntur *judicia*, *pœnæ*, *mandata*, *legum juſſa* &c.

(1) Ita vero *clericorum ordo aliorum odio exponitur*, ſi ad judicem ſæcularem cauſam ſuam deferunt, quod citra *ambitionem* dici nequit. Id certum eſt, ex adductis locis conſtare, epiſcopos id omnino egiſſe, ut clericos a ſæculari judicio abſtraherent. Id vero imprimis ex Indultu imperatorum ſpeciatim iis datum erat, *l.* 13. *l.* 29. C. *de epiſc. aud.* & ita primario hoc legibus civilibus acceptum ferendum, ut vel *l.* 51. C. *de epiſc. & cler.* docet, quæ *ſoli privilegio*, clericis dato, hanc immunitatem adſignat.

(2) Quod hoc *jure divino* ordinatum dicatur in *c.* 4. *de cenſib. in* 6. Inde nequidem per *ſanctiones imperatorum* principumque hoc mutari poſſe, conſtituunt tradantque, poſtquam, quæ ab initio ex *privilegio Cæſarum* obtinuere, *proprio jure* ſibi attribuerunt. Enimvero hic recte diceres: *privilegio merito privandum eſſe, qui eo tam enormiter abutitur*. Olim ſane merum imperatorum privilegium hanc immunitatem a foro ſeculari fuiſſe, docet *l.* 51. C. *de epiſc. & cler.* qua permiſſa fuit clericis prorogatio juriſdictionis in ſæculares judices ex hac ratione, quod cuilibet integrum ſit, privilegio pro ſe introducto renunciare.

(3) Ex variis prætextibus ad forum ſuum tractis, 1. quod eſſent eccleſiaſticæ; 2. quod conſcientiam tangerent, vel alias 3. peccati evitandi reſpectus concurreret. Deni-

(a) *Concilio Chalced. c.* 9.
(b) *C.* 11. *r.* 1. *c.* 46.
(c) *Concilio Carthag. III.*
(d) *C.* 43. *ibid.*
(e) *C.* 4. *&* 11. *ibid. Concil. Aurel. III. c.* 32. *IV. c.* 20.
(f) NIC. *ad conſulta Bulgarorum c.* 70. 83.
(g) *C.* 11. *q.* 1. *c.* 14.
(h) *Lib.* 16. *tit. ult. & ibi Gothofr.*
(i) *C.* 12. *X. de foro compet. l.* 38. *de pactis.*

maxima ſemper epiſcoporum fuit auctoritas, præſertim apud Francos, qui reges ſemper habuere orthodoxos. Hi vero Epiſcopos de ſummis regni negotiis in conſilium adhibuerunt, & in omni re clericorum auxilio indiguere, quippe qui traditionem formularum conſervaverant, & propemodum ſoli literas pingere ſcirent. Renaſcentibus bonarum artium ſtudiis clerici *juri Juſtinianeo* tantumdem vel amplius operæ impenderunt, accanonibus imbibendis, tanto ſucceſſu, ut ſæculo XIII. omnis generis lites cauſſaſque deciderent (1). Suſcitati demum judices laici alta voce proclamant, Eccleſiam involaſſe jus regis (2). Qua de re Petrus Cunerius, advocatus regius, & Petrus Bertrandi, Auguſtodunenſis Epiſcopus, an. 1329. celebrem coram Philippo Valeſio Vincennis diſceptationem agitaverunt (a). Ibi Petrus Cunerius contendere, juriſdictionem Eccleſiæ eſſe mere ſpiritualem, ac neutiquam ad cauſſas ſæculares extendendam, exhibitis LXVI. articulis, quibus clericos poteſtatis ſuæ terminos excedere ſtatuit, quorum præcipuos hic exhibere juvat.

unde judices laici querelam ad regem deferant 1329.

VI. Incuſavit ergo Epiſcopos, quod privilegium clericale omnibus modis extenderent, tractis ad ſua fora cauſſis realibus vel mixtis, quibus clericus interveniret, eoque revocatis delinquentibus, qui ſe clericos dicerent, licet nec habitu, nec tonſura uterentur, ipſaque tonſura promiſcue omnibus daretur, ut ſubjectorum ſuorum augerent numerum. Deinde, quod juriſdictionem in laicos ſibi arrogarent vario obtentu, veluti jurisjurandi, ſi quod opponitur contractibus, quod ſæpe fit; executionis teſtamenti ob legata ad pias cauſſas, ex qua pendet obſignatio & inventarium; matrimoniorum & pactorum dotalium; tutelæ viduarum & orphanorum. Denique quod abuterentur excommunicatione, compellentes in cauſſis pecuniariis debitores ad ſolvendum ſub pœna excommunicationis; injungentes ſub pœna excommunicationis judicibus laicis, ut excommunicatos cogerent ad petendam abſolutionem; prohibentes, ne quid excommunicatis venderetur aut operæ locaretur; interdicto ferientes provincias, ubi judices ipſis morem gerere detrectarent, & cenſuris eccleſiaſticis jungentes mulctas pecuniarias. (3).

reſponſio epiſcoporum.

VII. Contra Bertrandi Eccleſiaſticos ſæcularis juriſdictionis æque ac ſpiritualis compotes (4) clamare, & ad ſingulos articulos reſpondere. Quorum nonnullos in

ejus articuli potiores.

Denique 4. quod laicis perſuaderent, ſe expeditius, citra anfractus, lites componere, & praxi antiqua juriſdictionem ſuam commendari, qua quævis cauſæ etiam ad tribunalia epiſcoporum delatæ ſunt. v. BASNAGE *de tribunal. epiſcop.* MORNACIUS *ad l. 8. C. de epiſc. aud.* AUCTOR *tom. XIX. hiſt. eccl. in diſc. præl. p. 8.*

(1) Ex rationibus jam adductis, adeo, ut, MORNACIO obſervante, in Gallia per illa tempora tota regia juriſdictio eviluerit emarcueritque.

(2) De motibus hiſce, ob ereptam juriſdictionem in Gallia excitatis ſuſius agit ESPEN. *P. III, jur. eccl. tit.* 1. *c* 2.

(3) Inde ſine dubio petenda ſunt diſſidia inter *clericos* & *laicos*, quorum tamen auctores illi extitere, aliena involantes. Huc reſpexit BONIFACIUS VIII. in *c. 3. de immund. eccleſ. in 6.* ajens: *clericis laicos infeſtos oppido tradit antiquitas, quod & præſentium experimenta temporum manifeſte declarant, dum ſuis finibus* (a clericis tamen turbatis) *non contenti nituntur in vetitum, ac illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt, quam ſit eis in clericos eccleſiaſticaſque perſonas & bona interdicta poteſtas.*

(4) Inepte provocavit ad exemplum Petri, cenſuitque, *eum Ananiam & Saphiram pro crimine furti & mendacii judicialiter condemnaſſe*; addit, Paulum quoque convictum fornicatorem condemnaſſe &c. quo nihil abſurdius dici potuit. Sed ita commenta corradenda erant, quibus iniquitas cauſſæ tegeretur ab epiſcopo Eduenſi.

(a) DURAND. *de modo gener. Concil. tit.* 70.
(b) *Libell. P. Bertrandi tom. 4. Biblioth. patrum.*

in abuſum tractos inficiari noluit, quem clerus non probaret & emendatum iret. Sed maximam partem defendit, nixus moribus & poſſeſſione, itemque imperatorum & regum conceſſione expreſſa vel tacita, qui cleri induſtriam in adminiſtranda juſtitia elegiſſent; exhortatus regem, ne quid innovaret. Quod & factum eſt.

quæ ejus facies hodierna in Francia.

VIII. Fuere Eccleſiaſtici, qui his juribus ſancte uterentur, veluti Ivo, presbyter & officialis Trecenſis, qui tum vixit. Fuere autem plures, qui iiſdem peſſime abuſi varios obtentus excogitarunt, quibus omnis generis lites ad ſuum forum traherent, liteſque quam diutiſſime in eodem protraherent. Artes illæ increbuere in receſſu pontificum Avenionenſi & in diuturno illo ſchiſmate; quas concilia Conſtantienſe, Baſileenſe & Tridentinum ex parte repreſſerunt: quæ ſingula ſuis locis reddemus. In Francia autem judices regii & ſenatus longius progreſſi, in criminalibus introduxere diſtinctionem inter *delictum commune* & *caſum privilegiatum*; in civilibus per diſtinctionem inter *poſſeſſorium* & *petitorium*, præter omnes cauſſas ſæculares (1), magnam eccleſiaſticarum partem ad ſua tribunalia traxere. Parlamenta admiſerunt *appellationem tamquam ab abuſu*, quoties judex eccleſiaſticus vel poteſtatis terminos egreſſus, vel contra canones aut leges regni judicaſſe inſimulabatur. Hi limites juriſdictioni Eccleſiaſticæ poſiti, ſtatuto an. 1539 & ſuperveniente conſuetudine confirmati ſunt, quibus cuncta converſa, ſic, ut hodie Eccleſiaſtici in Francia habeant, quod de *privatione juriſdictionis* conquerantur.

partes juriſdictionis eccleſiæ propriæ.

IX. Redeo ad diſtinctionem juriſdictionis Eccleſiæ *propriæ* & *alienæ*. Per ſe & proprie Eccleſia jus habet decidendi omnes quæſtiones doctrinales, ſive fidem, ſive morum ſpectent regulam, jus præſcribendi canones ſeu regulas diſciplinares ad vitam interiorem directas; jus ab earum obſervatione certis de cauſſis liberandi, eaſque, ſi ſalus Eccleſiæ id poſtulet, prorſus abrogandi; jus inſtituendi paſtores & miniſtros, ad perficiendum opus domini ad finem ſæculi, & ad hanc juriſdictionem exercendam; jus eoſdem miniſtros, ſi id e re videtur, deſtituendi; jus corrigendi liberos ſuos pœnitentiamque eis injungendi, ſive in ſecreto loco peccata ſua accuſaverint, ſive publice eorum convicti ſint; jus denique membra corrupta h. e. immedicabiles peccatores, qui ceteros inficere poſſent, a ſuo corpore reſecandi: Hæc ſunt jura illa Eccleſiæ propria, quibus imperatorum paganorum temporibus (2) gaviſa eſt, nec ab ulla potentia humana privari poteſt; licet de facto nonnumquam & vi majore eorum impediatur exercitium.

alienæ.

X. Cetera jura, quorum poſſeſſionem Eccleſiaſtici & olim habuere & etiamnum nonnullibi habent, nihilominus legitime acquiſita ſunt, & a regibus vel expreſſe vel tacite conceſſa. Nam quemadmodum bona immobilia, fundi & dynaſtiæ iis datæ, ita dari quoque potuit poteſtas judicandi, mulctas dictandi, carcerem, apparitoreſque & alios officiales habendi, & corporis afflictiones magis per

(1) Exhibet CHOPPIN. *de polit. for. eccl. lib. II. tit.* 1. *§.* 6. *in not.* arreſtum parlamenti de anno 1371. ſub CAROLO V. quo judicibus eccleſiaſticis interdicta eſt cognitio *de actionibus realibus, videlicet de rei vindicatione, petitione hereditatis, interdictis poſſeſſoriis, cauſſis retractuum hereditariorum, de reditibus annualibus aſſidatis ſeu debitis & petitis ſuper hereditagiis, ſuppoſito, quod partes hoc debere minime confiteantur &c.*

(2) Poſito quod hoc tempore ex conſenſu eccleſiæ hac poteſtate gaviſi fuerint epiſcopi, inde tamen minime ſequitur, ut eadem, pace eccleſiis reſtituta, frui debuerint, quia quæ pro neceſſitate temporum ſunt inſtituta, ea ceſſante, quoque mutanda fuere. Ait GREGORIUS in *c.* 2. *D.* 29. *Regulæ ſanctorum patrum pro tempore, loco, & perſona & negotio, inſtante neceſſitate, traditæ ſunt.*

per modum *caſtigationis* (1), quam *ſupplicii*, imperandi. Nec minores cauſſas hæc jura conſervandi habet Eccleſia, quam cetera bona ſua.

CAPUT II.

De Conciliis.

I. UT diſtinctius cognoſcatur *juriſdictio eccleſiaſtica*; videbimus primum, a quo illa exerceatur; deinde, ad quas cauſſas extendatur; tum, quæ ſit forma judiciorum; denique, quæ ſint pœnæ canonicæ.

II. Omnis juriſdictio eccleſiaſtica proprie eſt penes *Epiſcopos* (*a*). Chriſtus eam apoſtolis, apoſtoli ſuis diſcipulis per manuum impoſitionem; hi rurſus aliis continua ſerie uſque ad nos tradiderunt, tradentque ad finem ſæculi, quum Chriſtus promiſerit, ſe ſemper futurum cum diſcipulis ſuis docentibus & baptizantibus. Et quia Petrus in primis gregis ſui ducem conſtituit, voluitque, ut is fratres confirmaret; pie credimus, papæ jure divino (2) competere juriſdictionem in omnes Epiſcopos, & per omnem Eccleſiam, ne qua fidei depravatio gliſcat, neve canones vilipendantur.

Judex eccleſiaſticus ordinarius eſt epiſcopus: epiſcoporum papa.

III. Regimen eccleſiaſticum non eſt *dominatus* (3), ut principum ſæcularium (*a*);

regimen eſt reſtrictum

(1) Hoc modo pallientur pœnæ eccleſiaſticæ, ne videantur *criminali more* agere, quod tamen revera fit.

(2) Sed non omnes Gallos hoc pie credere, ſupra obſervavi ex traditis Auctori *di la primauté du pape*. Deinde admodum limitant & circumſcribunt hanc *juriſdictionem papalem* ſupremam, quod docent *quatuor propoſitiones*, quas eccleſiæ Gallicanæ deputati in conventu Pariſienſi anno 1682. ediderunt, & quæ a rege Ludovico XIV, *ut publicæ doctrinæ* vigorem haberent, corroboratæ ſunt. Sunt autem hujus tenoris: I. *Pontifici rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo creditam poteſtatem. Regentes ergo & principes nulli eccleſiæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici; neque auctoritate clavium eccleſiæ directe vel indirecte deponi aut illorum ſubditos eximi a fide atque obedientia ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe:* II. *Sic autem ineſſe Apoſtolicæ ſedi ac Petri ſucceſſoribus rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant S. œcumenicæ ſynodi Conſtantienſis a ſede apoſtolica comprobata ipſoque Romanorum pontificum ac totius eccleſiæ uſu confirmata, atque ab eccleſia Gallicana perpetuo religione decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ ſeſſ. 4. & 5. continentur, nec probari, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus concilii dicta detorquent:* III. *Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos. Valere etiam regulas, mores & inſtituta a regno & eccleſia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcuſſos:* IV. *In fidei quoque quæſtionibus præcipuas eſſe ſummi pontificis partes ejuſque decreta ad omnes & ſingulas eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Sedi Romanæ ejuſque aſſeclis admodum inimicas atque inviſas has propoſitiones fuiſſe, nemo in dubium vocabit. Acriter imprimis eas oppugnavit EUGENIUS LOMBARDUS in tract. cui titulus: *regale ſacerdotium Romano pontifici aſſertum* anno 1584. edit. quo imprimis id agit, ut auctoritatem Regum ſacram collectione teſtimoniorum multorum infringat, poteſtatem papæ in infinitum extollat, & facile prodat, cui ſectæ addictus fuerit. Defenſionem harum propoſitionum in compendio refert DUPIN *dans la nouvelle biblioth. des aut. eccleſiaſt. tom.* XIX. *p.* 404. *ſeqq.*

(3) Ita verba Chriſti interpretari vel potius invertere ſolent, quibus omne imperium Apoſtolis abjudicavit. Ait: *reges mun-*

(a) *Conſtit. Apoſt. l.* 2. *c.* 36.

(*a*); ſed caritati inædificatum & humilitate temperatum (*b*). Hinc primis temporibus Epiſcopi nihil non de conſilio presbyterorum, qui erant inſtar ſenatus Eccleſiæ; (*c*) & cum præſcitu diaconorum & clericorum egere. Res majores etiam ad populum retulere, (1) præ ſe ferentes auctoritatem ſuadendi magis, quam jubendi poteſtatem. Sed quo minus ſibi arrogarunt, eo plus auctoritatis ſibi compararunt.

ad conceſſum cleri.

IV. Hic igitur veterum judiciorum eccleſiaſticorum ordo, hic modus fuit. Epiſcopus medius inter presbyteros conſedit, veluti magiſtratus inter aſſeſſores. Diaconi inſtar apparitorum vel miniſtrorum juſtitiæ circumſtabant. Partes litigantes, vel ſi qui accuſati eſſent, coram cauſſas ſuas egerunt. Judicium fuit ſummarium, ab ambagibus ſolemnium remotum. Judex, in ipſam rei arcem intentus, non ſolum, quod juſtum, judicare, ſed & partibus perſuadere, rancorem & iram abſtergere, avaritiamque & nimiam ad terrena bona propenſionem corrigere (*d*). Talem ſe *arbitrum* ſemper exhibuiſſe legimus AUGUSTINUM (*e*).

vel diœceſani

V. Iſta conſuetudo judicandi in cœtu clericorum perduravit ad ſæculum XII. quod ex decreto Gratiani manifeſtum (*f*). In rebus arduis Epiſcopus præter ſuæ civitatis clericos convocavit cunctos per diœceſin ſparſos & titulis ruri affixos; quas convocationes hodie appellamus *ſynodos diœceſanas*. Sic & Epiſcopi nonnumquam a Metropolitano convocati formarunt concilia ſeu *ſynodos provinciales*, quibus ipſæ Epiſcoporum lites & majores Eccleſiæ cauſſæ diſceptabantur. Hæc igitur duo ſunt ordinaria *tribunalia* (2); alterum Epiſcopi in conſeſſu cleri ſui; alterum concilium provinciale. In illo ſolus Epiſcopus; in hoc omnes Epiſcopi, præſide metropolitano, judicabant.

Concilia provincialia quo ordine ac ritu habita?

VI. Concilia *provincialia* leguntur jam ſæculo II. unde inferre licet, ea ſemper in uſu fuiſſe, quoad per perſecutiones cogi poterant. Concilium Nicænum *c. 5.* ſtatuit, ut quotannis bis haberentur, vernali & autumnali tempore. Illud ante quadrageſimale jejunium, ut, omni rancore ſepoſito, purum Deo redderetur ſacrificium. Ex eadem ratione Epiſcopi jubentur *audientiam* habere diebus lunæ, ut partes haberent totam hebdomadem, qua conciliarentur, dieque dominica elevare poſſent, ex præſcripto apoſtoli, manus puras ſine ira & contentione (*g*). Formulæ ſynodorum & conciliorum, quæ ſuperſunt, ſatis innuunt, fuiſſe ea tribunalia, quibus lites compoſitæ, vitiaque correcta, ſed duce caritate & in-

mundi dominantur; vos autem non ſic. Dominatum his verbis tantum Apoſtolis prohiberi aſſerunt, qui eo tempore orbem occupaverat, non *legitimum imperium*. Enimvero tam alienus Salvator ab *omni imperio* fuit, ut *miniſtros* potius quam *imperantes* eoſdem conſtitutos, aſſeruerit, & exemplo ſuo Apoſtolis in hoc præiverit.

(1) Satis prudenter, quia poteſtatem judicandi, quam pro *neceſſitate temporum* exercebant, ex conſenſu populi Chriſtiani exercebant, ut *eccleſiæ miniſtri*, non *proprio jure*.

(2) Ex conceptu *regni eccleſiaſtici* loquitur Auctor. Hoc poſito, concilia nihil aliud eſſe poſſunt, quam *comitia & tribunalia eccleſiaſtica*, *collecta ex ſtatibus hujus regni*, *in quibus tum de gravioribus cauſis contenditur*, *tum quæ ad ſalutem hujus regni pertinere videntur*, *conſtituuntur*. Inde vero ſimul manifeſtum eſt, concilia tantum iis propria eſſe debere, qui eccleſiam in formam *reipublicæ* conjiciunt, eique peculiares magiſtratus & regentes attribuunt. Non nego, ſub perſecutionibus *concilia provincialia* in uſu fuiſſe; ſed hæc neceſſitas ejus temporis extorſit, quod abſque his tranquillitas & unio eccleſiarum per illa tempora conſervari non poſſet, cum omni reipublicæ præſidio eſſent deſtitutæ.

(a) LUC. *XII.* 25. (b) 1. PET. *V.* 2.
(c) *Vid. Part. II. c.* 15. (d) *Conſtit. Apoſtol. l.* 2. *c.* 47.
(e) *Vid.* POSSID. *in vit. c.* 19. (f) *C.* 15. *q.* 7.
(g) *Conſt. apoſtol. l.* 2. *c.* 47. 1. *Tim.* II. 8.

& indulgentia. Hunc autem ordinem concilii celebrandi præſcriptum legimus concilio Toletano IV. an. 633. (*a*): Primo mane, omni plebe ex eccleſia ejecta, omnes portæ claudebantur præter unam, quam oſtiarii cuſtodierunt. Per hanc intrarunt Epiſcopi; deinde presbyteri & diaconi, concilio interfuturi, qui erant plerumque ejus eccleſiæ, in qua conventus celebrabatur; porro notarii, h. e. clerici, notarum ſcribendarum periti, qui inſtrumenta prælegerent & acta conſignarent. Epiſcopi in circulo, & poſt eos presbyteri conſederunt, adſtantibus diaconis. Poſt longum ſilentium, quum archidiaconi voce ad orandum invitarentur, cunctis proſtratis, Epiſcoporum natu maximus preces fundere cœpit, invocando ſpiritum ſanctum ad remiſſionem peccatorum, & ad juſtum judicium reddendum, procul odio & favore. Poſt e diaconis quidam prælegit evangelium vel canones, vel alium librum inſtitutioni propoſitum. Tum metropolitanus fratres ſuos allocutus monuit, ut quiſque, quæ de ſingulorum officio dicerentur, æquis auribus acciperet, & viciſſim, quæ ſibi viderentur, libere, ſed placide diceret. His precibus, lectionibus & exhortationibus, quibus nonnunquam laici intererant, ut inde proficerent, triduum fere dabatur. Sed quum ad rem veniendum eſſet, laicis excedere juſſis, archidiaconus ad portam adſtitit, ut, ſi quis presbyterorum, monachorum aut laicorum quem convenire, aut concilio quidquam proponere vellet, eſſet, quem ejus rei cauſſa alloquerentur. Cunctis peractis, antequam patres diſcederent, ſubſcripſere decretis, ſive ad privatorum cauſſas, ſive ad diſciplinam pertinentibus, audiveruntque diem Paſchæ & proximi concilii indicatum. Poſt preces, quibus remiſſio culparum, ſi quæ admiſſæ, & conſervatio unionis flagitabatur, oſculo pacis mutuo ſibi valedixerunt Epiſcopi, quibus Metropolitanus impertivit benedictionem ſolemnem (*b*).

VII. Urgente magno malo, veluti exorto inter Epiſcopos præſertim majorum cathedralium magno diſſidio, extra ordinem celebrata fuere *concilia œcumenica*, h. e. ex omni orbe Chriſtiano convocata, (1) qualia ſunt Nicænum, Epheſinum, & reliqua uſque ad Tridentinum, quod eorum eſt ultimum. Non quod revera omnes ex omni orbe, ſed quod ii præſertim Epiſcopi, qui diſſidebant, comparuere, ceterique omnes comparere poterant. Labente imperio, diverſiſque in Europa regnis natis, celebrata ſunt concilia nationalia (2), ad quæ ſinguli ejuſdem regis ſubjecti Epiſcopi vocantur. Talia ſunt Toletana ſub Gothorum regibus in Hiſpania: talia Francica complura. Sed ordinarium tribunal ſemper cujuſque provinciæ eccleſiaſticæ concilium fuit. — *Concilia œcumenica* — *nationalia.*

VIII. Horum ex præſcripto concilii Nicæni diu quotannis duo fuere habita. Quod facile fieri potuit in tanto Epiſcoporum numero, qui alternatim confluere poterant ad Metropolin, domi manentibus abſentium interea procurantibus Ec- — *provincialia neglecta.*

(1) Ab imperatoribus, ut acta quatuor primorum conciliorum docent, quibus etiam præfuerunt, & deciſa auctoritate ſua roborarunt. Ipſam cauſarum deciſionem epiſcopis reſervabant, perſuaſione decepti, eos eſſe legitimos in hac cauſa judices, ut obſervavi in obſerv. ad PETR. de MARCA *de C. S. & I. lib. IV. c. 3. obſ. 5.*

(2) Itidem auctoritate regum coacta, ad quæ proteſtantes in Germania provocarunt, atque imperatorem inducere voluerunt, ut more veterum regum Francorum & imperatorum ageret, & hoc modo diſſidia componere ſtuderet. Verum curiæ Romanæ artibus hæc dudum evanuerant, poſtquam ex quiſquiliis Iſidori communis invaluerat opinio, ſine conſenſu pontificis talia concilia cogi non poſſe.

(a) *Tom. 5. Concil. p. 1704.*
(b) *Pontif. Rom. p. 595. ſeq.*

Eccleſias (1). Poſt remiſſius actum, quum Epiſcopi a primo zelo recedentes, laborem itineris ſumtuſque impendendos prætexerunt culpæ. Unde ſæculo VII. annui conventus commendati concilio in Trullo (*a*) ſeptimoque & octavo œcumenico. In occidente & ſub regibus noſtris Merovingicis rariora fuere concilia *provincialia* ob comitia regni bis ſingulis annis habita, quibus interfuere omnes Epiſcopi, & quæ inſtar habuere *conciliorum nationalium* (2). Majus impedimentum Caroli Calvi tempore a bellis civilibus, ab incurſione Normannorum & diſſidio perpetuo Regulorum. Unde ſæculo X. XI. XII. vix concilium niſi papæ auctoritate convocatum, qui vel ipſe vel legato miſſo præſidebat (3).

inſtaurantur. IX. Interim INNOCENTIUS III. concilio Lateranenſi 1216. regulam de conciliis provincialibus quotannis habendis renovavit (*b*). Quod quum negligeretur, concilium Valentiæ in Hiſpania an. 1322. habitum voluit, ut ſingulis bienniis celebrarentur; denique concilium Baſileenſe (*c*) ea reduxit ad ſingula triennia: quod concilium Tridentinum (*d*) ratum habuit, voluitque, ut ubique terrarum inſtaurarentur, monitis Metropolitanis, ut talia cogerent, & Epiſcopis, ut ea frequentare non recuſarent, ita quidem, ut Epiſcopi *ingenui*, qui nullius archiepiſcopi eſſent ſuffraganei, eligerent, cujus conciliis intereſſe mallent: pœna adjecta canonica. In Francia idem ſancitum edictis *Melodunenſi art.* 1. alio *an.* 1610. alio 1646. Neque tamen inde a concilio Burdigalenſi an. 1626. aliud vidimus (4).

CAPUT III.

De Judice ordinario & delegato.

Vicarii & officiales epiſcoporum. I. Epiſcopi majorum præſertim cathedrarum, multis negotiis obruti, judicium nonnullarum cauſſarum in quemdam presbyterum, vel in archidiaconum devolverunt. Quod frequentius factum, ex quo Epiſcopi juriſdictionem in plerisque

(1) Nec epiſcopus Romanus exemtus erat, ſed itidem bis in anno, h. e. tempore *quadrageſimalis jejunii* & in *menſe novembris* concilium provinciele cogebat, nec ſine eo quicquam decernebat.

(2) Etenim non tantum quæ ad negotie *publica* & *civilia* pertinent, in his ſunt deciſa, ſed etiam præteree ſollicite determinate, quæ diſciplinam eccleſiaſticem tangunt. Atque in hoc imprimis auctoritas regia in his cauſis epparuit, e regibus Francorum conſervete, & contra ejus hoſtes propugnata. Plena ſunt *capitularia* ſcitorum eccleſiaſticorum, quæ ea de ceuſa *collectionibus conciliorum* quoad maximam partem inſerta.

(3) Id vero diſciplinæ eccleſiaſticæ entiquæ, per ſeptem ſæcula conſervatæ, repugnaſſe, evincunt genuina antiquitatum documenta, ut etiem AUCTOR *tom.* XVI. *de hiſt. eccl. in diſc. præl.* §. 2. obſervat. Praxin hanc novam eccleſiis, ut modo obſervavi, obtrudit pſeudo-Iſidorus, impoſtor nefendus, fingendo ſub perſonis epiſcoporum Romanorum primitivæ eccleſiæ, nullum concilium ſine conſenſu pontificis celebreri poſſe. Hæc nova doctrine decepit quoſcunque, qui nefes eſſe duxere, a praxi imaginaria primitivæ eccleſiæ recedere.

(4) Quia impedimente haud ſunt ſublate, quæ illis hucuſque obſtiterunt, ut fetetur PETRUS de MARCA *de C. S. & I. lib. VI. c.* 15. *in f.* Hæc ſunt: 1. quod nuncii ſedis Romanæ iis nomine papæ intereſſe cupient: 2. quod graveti faciles eſſe ſoleant, ab horum conciliorum decretis eppellare, *tanquam ab abuſu*, id quod epiſcopis non poteſt non moleſtum eſſe eorumque auctoritatem lædere.

(a) *c.* 8. *an.* 692. (b) *C.* 25. *X. de accuſat.*
(c) *ſeſſ.* 25. (d) *ſeſſ.* 24. *Ref. c.* 2.

riſque etiam civilibus cauſſis ſibi arrogarunt. Archidiaconi juri dicundo ita aſſueverunt, ut *juriſdictionem propriam* affectarent; & in pluribus diœceſibus præſcripſerunt *primam inſtantiam* (1). Unde Epiſcopi maluere delegare presbyteros, quorum mandata pro lubitu revocari poſſent. Hos vocarunt *vicarios* vel *officiales*, quo ſenſu *officialis* vocabulum uſurpatur a Petro Bleſenſi (2) (*a*) circa annum 1179. & ſæculo ſequenti tribus conciliis Turonenſibus an. 1231. 1236. & 1239. (*b*) officium eorum conformatur: ubi ſimul apparet, archidiaconos tum habuiſſe ſuos officiales. Sed poſtea officiales & vicarii diſtincti fuere, & *officiales* appellati, quibus *contentioſa*; *vicarii* autem *generales* ſeu *vicarii majores*, quibus *voluntaria* fuit ab Epiſcopo mandata juriſdictio. Officiales autem immenſum multiplicati ſunt, quum & capitula tales habere vellent, & Epiſcopi plures, nonnunquam in eadem diœceſi obtentu multitudinis negotiorum inſtituerent; reclamantibus judicibus ſæcularibus, qui perhibebant, quod ſæpe verum eſt, officialium multitudine lites multiplicari.

II. Habuere etiam Metropolitani officiales ſuos, qui non ſolum in diœceſi jus dicerent; ſed etiam de *appellationibus*, e ſuffraganeorum diœceſibus ad Metropolitanum delatis, cognoſcerent. Nam querelæ illæ, quæ olim raro ab Epiſcopi ſententia ad concilium provinciale deferebantur, jam tum converſæ erant in *appellationes ordinarias*. Et quum concilia rarius celebrarentur, Archiepiſcopus ſeu potius archiepiſcopi officialis appellationum prope unus judex fieri cœpit. Hæc judicis mutatio potiſſimum in cauſſa fuit, quod omnis juriſdictio eccleſiaſtica caderet. Vix enim hominum proborum & rerum intelligentium tanta copia erat, quæ ad officialium munus obeundum requirebatur. Deinde ſi vel maxime omnibus numeris abſoluti eligerentur officiales, facilius tamen falli poterant & minori auctoritate erant, quam Epiſcopus in presbyterorum conſeſſu præcipuis clericorum ſtipatus. Ne quid dicam, quam parvi momenti auctoritas ſit presbyteri *officialis* cujusdam Metropolitani comparatione totius *concilii provincialis*. *ac metropolitanorum multiplicati,*

III. Non igitur mirandum, reverentiam judiciorum eccleſiaſticorum exoleviſſe, quam cenſurarum plauſtris recuperatum ibant. Nam in his tribunalibus, prout *ſolemnia formularum* (3) invaleſcunt, *bona fides* vacillat. Judicia illa olim ami- *corruperunt veteris juriſdictionis naturam.*

(1) Inde 1. Ita *ordinariam* dicuntur habere juriſdictionem, ut ea his adimi, nec 2. forum eorum tolli aut mutari queat; recurſus tamen 3. ab eis patet ad epiſcopalia judicia ſuperiora, quæ magis ab epiſcoporum nutu, præſcripto, & determinatione dependent. Denique 4. tandem inde factum, ut archiaconi, epiſcoporum more, officiales, a ſe unice dependentes, judiciis ſuis præficerent.

(2) Sarcaſtice eoſdem perſtringit PETRUS BLESENSIS, &, *credo*, ait, *hujuſmodi officiales non ab officio, nomine, ſed ab officio, verbo, mutuaſſe vocabulum*, quod magis officiant, quam proſint. Neque enim de ſimplici & plano decidere lites, ſed tricis forenſibus imbuti & aſſueti lites ex litibus movere ſtuduerunt. Pergit enim: *officium officialium hodie eſt, jura confundere, ſuſcitare lites, tranſactiones reſcindere, innectere dillationes, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, verſutias concinnare*. Hi ipſi potiſſimum fuere, qui uſum juris Romani in fora eccleſiaſtica trahebant, abſque quo *decretalium* praxis nulla erat. Ex gloſſis, ex interpretibus utriuſque juris, deſerto jure patrio, deciſiones hauriebant, & quid juſtum eſſet, deſumebant, inde illæ turbæ, iniquitatum ſegetes, aliaque mala provenere, a PETRO BLESENSI adducta.

(3) Hæc imprimis ſtylo curiæ Romanæ accepto ferenda, & ex ſcholis Italiæ facile ad omnia judicia eccleſiaſtica devoluta, præſertim cum *jus canonicum* & *Romanum* ubique regnare inciperet, unde tanquam ex equo Trojano omnes ſubtilitates, olim incognitæ, in hæc fora tranſierunt, poſtquam omnia *forenſi modo* peracta fuere.

(a) *ep.* 25. (b) *Tom.* 2. *concil. p.* 441. *c.* 12. *p.* 504. *c.* 4. 6. *p.* 567. *c.* 8.

Digitized by Google

amica, quibus, duce caritate, verum juſtumque exigebatur, concordiaque partium, præciſis omnibus diſſidiorum radicibus, quærebatur, degeneraverant in tribunalia, in quibus *ſtrictum jus* regnabat, omneſque ſubtilioris juris apices captabantur, nemine quidquam de jure ſuo remittente: quo litigantium animi paſcebantur magis quam ſedabantur. Presbyteri & clerici, qui ad cauſſas vel orandas vel judicandas provolabant, caritatem ac ſanctimoniam procul habuere. Hinc principes magnam partem poteſtatis, quam Eccleſiæ conceſſerant, revocarunt, & privati homines, quia nunc neceſſario litigandum erat, judicem laicum æque lubentes adire voluerunt. Id mali inde redundavit in Eccleſiam, ut dum nimium adpeteret, jurium etiam competentium partem amitteret.

Qui ſint judices ordinarii? IV. Ut igitur adpareat, quæ hodie juriſdictionis eccleſiaſticæ facies ſit, animadvertendum eſt, duplicis generis eſſe judices, *ordinarios & delegatos*. Ordinarii ſunt, qui juriſdictionem per ſe vel propriam habent (1), veluti Epiſcopi, eorumque officiales, vicarii, Metropolitani, primates, papa: præterea capitula exemta intuitu totius corporis & certæ partis diœceſeos, in locis, ubi ſunt in poſſeſſione; item abbates monaſteriorum, quæ præter exemtionem territorium habent & juriſdictionem, licet pauciſſimorum privilegia ſuſtinere poſſint examen rigoroſum. Eodem referri poſſunt abbates regulares, priores clauſtrales, cunctique monaſteriorum vel aliarum communitatum religioſarum ſuperiores. Nam interior harum congregationum diſciplina pedetentim in *juriſdictionem* (2) converſa eſt, quæ ſcriptis ceteriſque ſolemnibus exercetur. Exemptiones eas liberant a juriſdictione Epiſcopi; habent tamen plures querelarum gradus ſeu inſtantias, appellantque a ſuperiore particulari ad *Provincialem*, a provinciali ad *Generalem* vel ad papam: nonnumquam & alioſum, ſpecie adpellationis tamquam ab abuſu, vel per modum querelæ ad ſanctius regis conſilium.

qui delegati? V. Delegati ſunt qui habent juriſdictionem alienam, & delegantur ad certam cauſſam (3), qua deciſa mandatum exſpirat. Horſum referendi ſunt *conſervatores apoſtolici* v. gr. privilegiorum academicorum, qui ſunt inſtar *delegatorum generalium* & perpetuorum; item legati pontificis, qui, quoad durat legatio, omnia faciunt, quæ papa in locis, ubi degunt, facere poſſet: quamquam alii eos habeant loco judicum *ordinariorum* (4). Nuntii in Hiſpania & in pluribus aliis pro-

(1) *Per ſe ac propriam habere juriſdictionem* idem eſt ac ordinario jure vi *officii* eam exercere in ſubjectos, *lege* vel *conſuetudine* aut *privilegio*, tribuunt. Epiſcopus dicitur primario *ordinarius*, quod ex *jure divino* eam credatur exercere: papa vero *ordinarius ordinariorum*, quod ſupremam in epiſcopos poteſtatem gerat. Inde *jus ordinariatus* nihil aliud eſt, quam *juriſdictio epiſcopalis*. Officiales itidem dicuntur *ordinariam* exercere *juriſdictionem*, quod *ordinario* & per modum *regulæ* de cauſis quibuſcunque in genere cognoſcant, in oppoſitione ad *delegatos*, qui per modum *exceptionis* & ſic *extra ordinem* ad certam cauſam dantur. Interim *officiales* adhuc dependent ab epiſcopo, & ſic *jus avocandi cauſas* ipſi non ademtum.

(2) Poſtquam peculiaris quædam *reſpublica monaſtica*, introductis capitulis, eſt conſtituta ſub *generalibus* & *provincialibus*, qui magis magiſque, poteſtatem ſuam auxerunt, maxime in illis ordinibus, qui ab epiſcoporum poteſtate exemti ſunt. Inde tandem eorum *inſpectio* in *juriſdictionem* eſt converſa, ut AUCTOR obſervat. De *juriſdictione* harum congregationum prolixius agit HERICURTIUS *dans les loix eccleſ. de France P. 1. c. 10. p. 71. ſeqq.*

(3) Hi proprie *delegati* ſunt, quod *extra ordinem* jus dicant, nec per ſe tuam habeant poteſtatem: *generales delegati* magis officialibus ordinariis æquiparandi, niſi quod ad certum cauſſarum genus conſtituti ſint. Huc etiam pertinent epiſcopi, qui *delegatam* poteſtatem gerunt in monaſteria exemta, nomine pontificis immediate exercendam.

(4) Eodem ſenſu, quo *officiales* epiſcoporum dicuntur habere *ordinariam juriſdictionem*. Nam etiam ſunt officiales pontificis, tribunal in provinciis ſibi decretis exer-

Digitized by Google

provinciis juriſdictionem habent; in Francia non item. Delegati papæ perpetui cenſeri quoque poſſunt *quæſitores fidei* in terris, ubi eorum juriſdictio admittitur: itemque in ſuo genere monaſteriorum *viſitatores* delegati ſunt judices.

VI. Delegatorum poteſtas limitata eſt terminis mandati, quos migrare nequeunt, adeo, ut dubitatum fuerit, num exceptiones judiciales admittere debeant (*a*). Delegatio non ſolum cauſſa deciſa, ſed etiam revocatione mandati, re adhuc integra, & morte, ſive ordinarii, ſive delegati, finitur, quippe ad omnes mandati regulas exigenda. Pontificis delegati plura habent præcipua. Poſſunt enim, ad exemplum delegatorum principis, (1) ſubdelegare (*b*): quod judicis ordinarii delegati non poſſunt, quum non eorum, ſed ordinarii, juriſdictio ſit propria. Poſſunt ſuas ipſimet, ſi ordinarius tergiverſetur, exſequi ſententias, & cenſuris uti; quum delegatorum ceterorum ſententias ordinarius exſequatur. De exceptionibus, quæ delegato opponuntur, judicat *ordinarius*; quæ pontificio delegato, vel ceteri condelegati (2) judicant, vel arbitri. Hæc ſingularia peperit difficultas Romam recurrendi, præſertim in Francia, ubi rex non vult, ut cives foris litigent. Nec pontifex reſcripta delegatoria quibuſcumque perſonis; ſed vel ordinariis locorum, vel iis, qui in unaquaque diœceſi deſignati & idonei judicati fuerint, tradere poteſt. Quæ vero in decretalibus (*c*) & in concilio Tridentino (*d*) de *conditione delegatorum* traduntur, ea in Francia non attenduntur. *[margin: horum poteſtas.]*

CAPUT IV.

De juriſdictionis eccleſiaſticæ adminiſtris,

I. NOviſſimis temporibus Epiſcopi tam raro ipſimet ad judicandum acceſſerunt, ut jus eorum a ſæcularibus judicibus in dubium vocaretur, quos *dynaſtis*, juriſdictionem ſubalternam habentibus, compararunt, qui per leges regni Francici hanc *per alios* exercere tenentur. In quo tamen falluntur, ut qui maxime. Dynaſtiæ enim, quibus *juriſdictio patrimonialis* inhæret, ab omnis generis hominibus, immo & a feminis ac infantibus poſſideri queunt, & plerumque poſſidentur a nobilibus, qui caſtra ſequuntur, juſti & æqui ignaris (3). E con- *[margin: Epiſcoporum in juriſdictione]*

exercent ad inſtar legatorum apud Romanos, denique cauſarum quarumcunque eccleſiaſticarum judices ordinarii cenſentur.

(1) Facultas *ſubdelegandi* delegatis pontificis potiſſimum conceſſa propter *dignitatem eccleſiaſticam*, qua coruſcant, neque enim alios delegat, quam in hac conſtitutos ex præſcripto juris canonici *c.* 11. *d. reſcript. in* 6. Non ergo hoc indiſtincte ad delegatos principum applicari poteſt, niſi æque *illuſtri dignitate* conſpicui fuerint, utpote ſi imperator ſtatus imperii delegat. Videlicet *ſubdelegandi* poteſtas delegatis, quorum fides & induſtria eſt electa, regulariter non competit, niſi ex voluntate delegantis *expreſſa* vel *præſumta*: hæc colligitur vel ex *dignitate* peculiari delegati, vel ex *peculiari ſtatu*, ob quem ſubdelegatio neceſſaria eſt, veluti ſi delegatio facta in capitulum, civitatem imperii, abbatiſſam &c.

(2) Utpote ſi clauſula adjecta: *ſi non omnes*, quæ facultatem ceteris non recuſatis præbet inquirendi in *recuſationum cauſas*, cum ſoli procedere non poſſint, niſi de impedimento uni alterive objecto cognitum fuerit.

(3) Quique non per *electionem* judices fiunt, ſed *hereditario jure*. Atque ideo etiam in Germania receptum eſt, ut nobiles hanc juriſdictionem aliis mandare poſſint. Epiſcopis idem conceſſum eſt propter *eminentem dignitatem*, quamvis ad hoc non teneantur, cum jure ſuo uti non poſſint.

(a) *C.* 23. *X. de off. ind.* (b) *C.* 28. *eod.*
(c) *C.* 11. *de reſcript. in* 6. (d) *ſeſſ.* 5. *c.* 10.

Digitized by Google

E contrario Epiſcopus canonum gnarus & ad jus dicendum idoneus eſt vel eſſe debet: hoc enim conſecrationis formula commemorat inter ejus præcipua.

adminiſtri ſunt officialis, II. *Officialis* igitur tantummodo loco & vice fungitur Epiſcopi. Ei ſuccenturiatur *vicarius*, quem *vicegerentem* adpellant, Epiſcopi mandato inſtruendus. Ceteri adminiſtri juriſdictionis ſunt *promotor*, *procuratores poſtulantes*, *ſcribæ*, *notarii*, *apparitores*.

fiſcalis, III. *Promotor* eſt inſtar procuratoris officii generalis, qui publico bono ac nomine interpellat poſtulatque, inſtituendus ab Epiſcopo, qui ei, ubi opus, adjungit vicarium. *Procuratores poſtulantes* hodie vix ſunt, qui non aliis muneribus *advocati* fungantur, eorumque vicem *obeunt* advocati ſeu procuratores tribunalium ſæcularium ſeu *notarii apoſtolici*. Hoc nomine inſigniuntur, qui *pontificis auctoritate* in provincia condunt publica inſtrumenta, & quidem in cauſis eccleſiaſticis: *notarii,* quales etiam habuere Epiſcopi. Sed utrumque genus notariorum in Francia ſublatum eſt, creatis an. 1691. notariis *regiis apoſtolicis* (1). Scribam conſtituit *ſcribæ,* Epiſcopus, & emolumenta, ex hoc munere capienda, quum in reditibus Epiſcopatus cenſeantur, plerunque locari ſolent.

libelliones, IV. In Francia ſunt præterea *libelliones* (graphiarii) *inſinuationum Eccleſiaſticarum* a rege conſtituti. Nam Henricus II. quum nonnulla proviſionum pontificiarum vitia ſuſtuliſſet, an. 1553. voluit, ut omnes proviſiones, aliaque inſtrumenta, quibus aditus ad beneficia panditur, actis inſinuarentur, ne qua fraus committi poſſet; *libellionum* ſeu *graphiariorum* nominatione Epiſcopis permiſſa: quam tamen Henricus IV. ſibi vindicavit, inſtitutis an. 1595. novis tabellionibus, qui, ut ceteri, ſæculares eſſent & domaniales. Clerus autem interceſſit, horumque officia redimendi facultatem impetravit. Ludovicus XIII an. 1637. conſtituit cenſores procurationum ad reſignandum, aliorumque ad beneficia ſpectantium actorum, eodemque edicto numerum eorum, qui in curia Romana expeditionibus invigilant, definivit, ac alia in cauſis beneficiariis utilia præcepta dedit. Sed quum cenſores iſti reipublicæ graves viderentur; clerus pretium iis, quod pro hoc munere erogaverant, reſtituit. & Ludovicus XIV. an. 1646. publico edicto eos abrogavit; cetera autem pater næ conſtitutionis capita confirmavit, addit que, ut vigiles illi in curia Romana ſint laici, viginti quinque annis majores, nulli perſonæ Eccleſiaſticæ obnoxii, cautione trium millium librarum ſtringendi; libelliones autem inſinuationum itid m ſint laici, a perſonarum eccleſiaſticarum miniſterio, & a cognatione procuratorum Romanorum remoti, ne qua ſit metuenda colluſio. Hi libelliones poſtea ſuppreſſi; ſed an. 1691. reſtituti ſunt, nova conſtitutione de pluribus huc pertinentibus rebus prodita.

apparitores. V Interim in hoc foro tam pauca verſantur litigia, ut plerique miniſtrorum pluribus fungantur officiis, ut iidem ſint notarii apoſtolici & procuratores poſtulantes, immo interdum etiam procuratores in curia Romana, aut libelliones inſinuationum, aut advocati ſummorum tribunalium. Apparitores etiam ſunt laici, qui citationes inſinuant, aliaque munia obeunt, quæ tamen etiam per apparitores judicum ſæcularium obiri poſſunt. Ex omnibus igitur hujus tribunalis membris ſolus officialis, vicegerens & promotor clerici ſunt. Officialem autem oportet eſſe presbyterum, & theologiæ vel juris doctorem aut ſaltem licentiatum (*a*).

CAPUT

(1) A prioribus in eo differunt, quod illi *auctoritate pontificis* vel *epiſcoporum* crearentur, quia ceteri, a poteſtate ſæculari creati, crederentur inhabiles ad negotia eccleſiaſtica peragenda. Sed aliam prorſus philoſophandi rationem recepit Rex Galliæ anno 1691. ſuaque auctoritate creavit Notarios, titulumque *regiorum* & *Apoſtolicorum* eis attribuit. Hi duplici juramento obſtringuntur, tum coram *judicibus regiis*, tum etiam coram *officiali* illius epiſcopi, in cujus diœceſi officio ſuo fungi debent.

(a) *Stat. Bleſ. art. 45. declar. 1680.*

CAPUT V.

De competentia Judicis eccleſiaſtici.

Judicis eccleſiaſtici ſunt cauſſæ ſpirituales

I. JUriſdictioni eccleſiaſticæ, ut ceteris, lites definiendæ & crimina vindicanda proponuntur. Prius genus rerum vocantur *cauſſæ civiles*. Moribus Franciæ hodiernis eccleſia ſolum de cauſſis *mere ſpiritualibus*, nullo habito perſonarum reſpectu, & de cauſſis *perſonalibus* eorum, qui in ſacris ſunt, cognoſcit. *Mere ſpirituales* (1) cauſſæ ſunt ſacramentorum & cultus publici.

præſertim matrimoniales.

II. Inter ſacramenta ſolum *matrimonium* conventionibus patet, quæ tamen pleræque per adpellationes *tamquam ab abuſu* in forum ſæculare deducuntur. Nam qui matrimonium *nullum* declarari deſiderant, quod vel a minoribus, vel ſine trina proclamatione, ſine conſenſu parentum, ſine teſtibus, abſente paſtore, &c. initum ſit, ii a matrimonii celebratione *tamquam ab abuſu* adpellant (2), poſtulantque, ut matrimonium *male*, *nulliter* & *abuſive* contractum declaretur; quod facilius a judice laico, quam ab eccleſiaſtico impetrari norunt. Sponſalia tamen plerumque ad judicem eccleſiaſticum perferuntur, ſi vel *conſummanda* ſunt; vel *reſolvenda*. Prius præcipitur, ſi acceſſit concubitus; &, ſi pars refractaria eſt, vel dolo fecit, quo minus connubium perfici poſſit, pœna canonica ac eleemoſyna injungitur, partibuſque commendatur, ut de damno ac de eo, quod intereſt, laicum judicem adeant (3). Nam ſi eccleſiaſticus de eo cognoſceret, *abuſus* foret.

qua ratione?

III. Si matrimonium conſummatum impugnatur, quod vel prior conjux ſuperſtes, vel votum emiſſum, vel gradus prohibitus, vel aliud impedimentum *dirimens* ſubſit, veluti impotentia; judici eccleſiaſtico competit cognitio. Si nullum declarat matrimonium ob vinculum præcedens, vel ob cognationem; partibus injungitur, ut mutuum congreſſum vitent; ſi ob impotentiam, impotenti interdicit, potenti permittit matrimonium. Olim probandæ impotentiæ *congreſſus* (4) injuncti: ſed talia judicia, a temporum noſtrorum pudore abhorrentia, proſcripta ſunt ſenatus conſulto Pariſienſi d. 18. Febr. 1677. Quoties matrimonium nullum declaratur, partibus, niſi in bona fide fuerint, pœna canonica, quippe in canones peccantibus, eſt infligenda. Matrimonio ſubſiſtente, ſi conjux conſueſcere nolit, vel a toro ſeparari velit; judicis eccleſiaſtici deberet eſſe cognitio,

(1) Jus canonicum in his non acquievit, ſed omnia negotia & res, quæ etiam *per indirectum* eccleſiam tangere videntur, *ſpiritualia* per abuſum dixit, ut ſæpiſſime obſervavi. Inde in infinitum *cauſas fori eccleſiaſtici* extendit, ſæculariumque poteſtatem diminuit. Plenius eas ſecundum juris canonici principia recenſet D. SCHRADER *de cauſis fori eccleſiaſtici*.

(2) Jus canonicum hanc praxin eo ipſo promovit, quod *appellationes extrajudiciales* admiſerit, quibus non admiſſis, appellatio talis locum habere non poſſet. Ceterum liquet ex traditis Auctoris, quo prætextu *cauſæ matrimoniales* ad fora eccleſiaſtica fuerint *tractæ*, videlicet quod *ſacramenti* rationem habeant, de quo judices eccleſiaſtici tantum judicant.

(3) Secundum principia *juris canonici* etiam judex eccleſiaſticus de eo *incidenter* cognoſcit, ſicuti in cauſa divortii etiam *incidenter* de privatione lucrorum dotalium jus dicit, *c.* 3. X. *de donat. int. vir. & uxor.* Sed *libertas Gallicana* non admiſit hæc juris canonici placita, quæ, quod mirandum, admiſere fora eccleſiaſtica proteſtantium.

(4) De hac methodo *indecora & parum honeſta* in utramque partem, multo cum eruditionis apparatu, ediſſerit ANNÆUS ROBERTUS *lib. IV. rer. judicat. c.* 10. Occaſionem, qua tandem hæc turpiſſima probandi impotentiam ratio ſublata fuerit, enarrat HERTIUS *de inſpect. oculari* §. 11.

tio, quia *debitum conjugale* eſt juris divini (1), & conjuges corporum ſuorum non ſunt compotes (*a*). In praxi tamen diſtinguitur. Nam ſi agitur ad conſummandum, h. e. ſi pars partem in judicio proſequitur, ut recipiatur, quam *inſtantiam adhæſionis* adpellamus, & ſi actor vincit; eccleſiaſticus judex reum vel ream de officio admonet. Sin agitur *ad ſeparationem*, laicus cognoſcit, quia ſeparatio corporum comitem habet *ſeparationem bonorum*.

& quæ ad cultum publicum pertinent, item beneficiaria.

IV. Cultus publicus litibus anſam præbere poteſt, ſi vel *ſacra turbantur*, vel fundationes, ſeu legata pia non perſolvuntur, vel cantores ſtipendio defraudantur, vel ſtatuta diœceſeos ratione horarum non obſervantur. De quibus omnibus judex judicat eccleſiaſticus.

V. Idem cognoſcit de *cauſſis beneficiariis*, quum eccleſiæ maxime interſit, qui miniſtri eligantur, quomodo reditus adminiſtrentur. Quod utut nemo eat inficias; invaluit tamen abhinc annis CCC. diſtinctio inter *poſſeſſorium* & *petitorium*; hac occaſione. Iis temporibus, quibus reges minus, & dynaſtæ plus auctoritatis habuere, ſæpe contigit, ut, qui jus ab beneficia venditarent, vi ea occuparent, vel poſſidentem vi ejicerent. Duo rivales nobiles, de epiſcopatu contendentes, ſuis quiſque amicis & agnatis ſtipati, ſpeciem belli excitarunt in provincia; ad quod ſopiendum regii judices accurrentes pronuntiarunt, uter interea, dum de jure coram Metropolitano aut papa lis definiretur, poſſidere deberet. Quod improbari non poterat, quoad intra *ſummarium* ſe continebant, ſimplicemque poſſeſſionem facti ei, cujus jus maxime apparebat, præſtabant, ac alteri vim interdicebant, ſepoſita jurium cognitione & diſcuſſione. Sed non intra hos terminos ſubſtitere, perhibentes, in cauſſis beneficiariis nullam poſſeſſionem juſtam eſſe ſine *titulo* (2), quia bona eccleſiaſtica non ſint inſtar bonorum ſæcularium, quæ a proprietario derelinqui & primi occupantis fieri poſſent. Unde ante de *titulo* & de *habilitate*, quam de poſſeſſione, judicandum eſſe inferebant. *Titulos* autem adpellant acta, quæ dant jus ad beneficium, ut ſunt literæ proviſionum, proviſionum laudatio, inſtrumentum de poſſeſſione impetrata. *Habilitatem* vocant acta, quæ probant perſonæ habilitatem, veluti teſtimonium e libro baptiſmali, de tonſura, de ordine, de laurea academica impetrata. Quod quum ſæpe in longiorem diſcuſſionem exeat, ac interim neceſſarium ſit, ut partibus ſua aſſignentur nomina, quo conſtet, uter actor, uter reus ſit; duplicis generis poſſeſſoria conſtituenda fuere, alterum ſummariiſſimum, quod durante hac diſcuſſione obtineret;

(1) Sed non omne quicquid eſt *juris divini*, ad forum eccleſiaſticum pertinet, alioquin enim etiam paternum in liberos imperium, debitum ſubditorum obſequiale, & plura alia ad hoc forum eſſent trahenda, ſi de iis contenderetur. Proinde Auctoris ratio parum ſtringit, nec prudenter praxin Galliæ redarguit.

(2) Alias hoc *poſſeſſorium* appellari ſolet *mixtum*, in quo præter *poſſeſſionem* etiam demonſtrandus eſt *titulus*, quod vel præſumtio ſit contra poſſeſſorem, veluti regalium, vel quod poſſeſſio ſola eum relevare nequeat, ut in beneficiis, quamvis POSTIUS *de manut. obſ.* 42. *n.* 24. vel ſolam poſſeſſionem ſufficere crediderit. Videlicet communi perſuaſione in eam itum eſt ſententiam, beneficia eccleſiaſtica, qualiacunque ſint, cum aliis juribus haud conferenda eſſe: poſſeſſionem ſolam facile operari poſſe, ut fures & prædones officia ſacra occuparent: intruſos non eſſe in republica eccleſiaſtica tolerandos &c. v. STRYK *de neceſſitat. edendi titulum poſſeſſ. c. V.* quod *de titulo edendo in beneficiis eccleſ.* agit. Et tamen *poſſeſſio beneficiorum* magis reditus, commoda, & emolumenta concernit, quæ æque poſſeſſori cuicunque interim permitti poſſent, ac quidem inutili clerico, *titulato* licet. Ceterum extra Galliam interpretes juris canonici in alia omnia eant, quod cognitio de *titulo*, nec in totum nec in tantum, judici ſæculari permiſſa ſit. FELICIANUS de OLIVA *de for. eccl. P.* 1. *q.* 8. *n.* 58. *ſeqq.* Verum non immerito hanc clericalem philoſophiam reliquit Gallia, quæ unice in opprobrium poteſtatis civilis excogitata eſt.

(a) 1. *Cor.* VII. 4.

ret; alterum ordinarium, quod plenam & definitivam poſſeſſionem ac *manutenentiam* daret. Quo facto judex laicus ex præſcripto ſtatuti *de an.* 1539. (*a*) partes ad judicem eccleſiaſticum *petitorii cauſſa* (1) ablegare deberet; ſed hoc negligitur, quia, quum obtentu *poſſeſſorii* cauſſa accurate cognita, & ſæpe in ſecunda ac tertia inſtantia ventilata eſt, inutile ac oneroſum partibus videtur, de eadem re novam litem auſpicari. Quidquid hujus eſt, hodie partes in *petitorio* de beneficiis judicem eccleſiaſticum adire non poſſunt; qui ſi in hujuſmodi cauſſis ſententiam quamcumque ferret, regii procuratores ab eodem, *tamquam ab abuſu*, adpellare non dubitarent: idqne auctoritate ſenatus conſulti d. 15. Jun. 1626. publicati (*b*). Sic eccleſia in Francia; penitus privata eſt cognitione in *cauſſis beneficiariis*. Sententia proviſionalis in poſſeſſorio, quam *recredentiæ* (2) vocamus, executioni datur, nulla adpellationis ratione habita; nec poſſeſſorium *ordinarium*, adpellatione interpoſita, ſuſpenditur, ſecundum formam recredentiæ (*c*). Si alter ex litigantibus durante lite decedit, lis proſequenda non eſſet, quia beneficiorum heredes non dantur, & (*d*) præcipitur, ne lite pendente litigioſa beneficia aliis conferantur. Sed proviſiones ex aula Romana ad hanc regulam non adſtringuntur, quum reſignatarius reſignanti, vel noviter proviſus defuncto veluti ſucceſſor ſingularis vel heres ſurrogetur. Surrogatio tamen poſtulanda eſt, & quidem intra annum, qui terminus *actionibus poſſeſſoriis* eſt præſtitutus.

VI. Eadem diſtinctio extenſa eſt ad *decimas*, de quibus in *poſſeſſorio* cognoſcunt laici judices: cognoſcunt etiam de quota decimarum plene, & de curatorum portione congrua ſummariter. Quod de decimis eccleſiaſticis eſt intelligendum; nam de *infeudatis*, quæ habent naturam bonorum ſæcularium, etiam in petitorio cognoſcunt. *decimales,*

VII. In cauſſis *mere perſonalibus* clericorum, & quæ verſantur inter clericum & lai- *perſonales clericorum,*

(1) Neque enim *petitorium* per *poſſeſſorium mixtum* abſorbetur, in quo titulus tantum *demonſtratur* h. e. præſumtive & probabiliter editur; minime vero *plene* de eo diſputatur, quod petitorio reſervatur, rejectis ad illud exceptionibus altiorem indaginem habentibus. Ceterum quod in Francia petitorium, abſoluto poſſeſſorio, ut plurimum negligatur, advocatorum imperitiæ adſeribendum, qui exceptionibus oppoſitis reſpondent, eaſdemque contra genium hujus remedii reſolvunt.

(2) *Vindicias*, ait GUILIELMUS BUDÆUS *in annot. ad Pand. ad tit. de orig. jur. hodie recredentiam vocamus, quod ex verbis Aſconii Pediani in Verrinas Ciceronis intelligere poſſumus. Lis vindiciarum eſt, inquit, cum litigatur de ea re apud Prætorem, cujus incertum eſt, quis debeat eſſe poſſeſſor, & ideo qui eam tenet, ſatisdat pro prade litis vindiciarum adverſario ſuo, quo illi ſatisfaciat is, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua jurgium eſſet: rurſus ſponſione ipſe provocatus ab adverſario certa pecunia aut æſtimationis, quam amittat, ni ſua ſit hereditas, de qua contendit.* Poſt pauca pergit: *Hujuſmodi poſſeſſio non juſta & abſoluta eſt poſſeſſio, ſed fiduciaria & velut depoſitoria, ut hac noſtra recredentia rationibus reddendis de fructibus eſt obnoxia. Fiduciariam autem appello, quam ſuo manu regia poſſidere vocant, quaſi fide data accepta.* Ita revera *recredentia* eſt *ſummarium poſſeſſorium*, in quo *proviſionaliter*, quis interim donec *cauſa poſſeſſionis* deciſa fuerit, poſſidere debeat, decernitur, atque ita præcavetur, ne partes ad arma veniant, ut plenius docet LUD. POSTIUS *de manutenendo obſ.* 3. *n.* 34. 35. 36. Dicitur autem *recredentia*, quia res concreditur & committitur *interim* alicui cum cautione, obſervante PAULO CHRISTINÆO *vol.* 6. *deciſ. Bulg.* 92. *n.* 18. Breviter: la *recreance* gallis eſt *ſummarium poſſeſſorium*; *la maintenue* vero *poſſeſſorium ordinarium*. Conſ. STRYK *de decret. interim. c.* 1. *ne* 30. *ſeqq.* PAPONIUS *in corpore jur. Franc. lib. VIII. tit.* 11.

(a) *art.* 49. 57. (b) *du Freſ. Journ. C.* 1. *c.* 112.
(c) *Ed.* 39. 61. *Brod. in Louet. R.* 23. (d) *C.* 2. *ut lite pend. in* 6.

Google

& laicum, ſi clericus reus ſit, cognoſcit eccleſiaſticus judex (1). Sed ubi vel tantillum cauſſæ *realis* vel *mixtæ* concurrit, veluti in actione hypothecaria; Clerici, etiamſi conveniantur, laicum adeunt, æque ac ſi agitur de implendo contractu coram notario inito, aut de agnatione ejus, quod promiſſum eſt. Immo etiam in cauſſa *mere perſonali*, ſi clericus contra clericum in eodem foro degentem agit, laicum adit, cujus & juſtitia promtior, & exſecutio facilior, quæ apud eccleſiaſticum languet (*a*). Equidem clericus conventus in cauſſa mere perſonali forum laicum declinare, ac petere poteſt, ut ad eccleſiaſticum remittatur (2). Sed & omittere poteſt, invitis conſtitutionibus canonicis, quæ hoc privilegium *juris publici* eſſe (3) præcipiunt, cui privati renuntiare non poſſint (*b*).

ſolatium epiſcoporum

VIII. Habent tamen epiſcopi, quo orbitatem judiciorum ſolentur, ſi perpendunt, juriſdictionem eccleſiaſticam origine-tenus & ex mente evangelii non in eo conſiſtere, ut quam plurimæ cauſſæ coram epiſcopis diſceptentur, ſed ut diſceptationes judiciales ab epiſcopis præveniantur & ſufflaminentur: licet hodie nec lites inter ipſos clericos, ut olim, impedire, nec miniſtros eccleſiæ dignos, quod canones jubent, eligere valeant.

CAPUT VI.

De Proceſſu civili.

origo proceſſus formularii.

I. Videamus jam nunc, quo ordine in foris eccleſiaſticis *cauſſæ civiles* diſceptentur, ut poſtea ſeparatim *criminalia* conjungi poſſint. Primis ſæculis quum judicia eccleſiaſtica in cauſſis ſæcularibus eſſent inſtar *arbitriorum*, & in ſpiritualibus caritatem ſequerentur; procul habuere formulas tribunalium ſæcularium, regulis ſcripturæ ſacræ & canonibus unice intenta. Quæ judiciorum eccleſiaſticorum & ſæcularium differentia eluceſcit (4) ex collat. Carthag. (*c*), & ex

---

(1) Moto itaque concurſu contra clericum, judex eccleſiaſticus creditores quoſcunque citat, quia in hoc caſu rei vices ſuſtinet, & creditores ut *actores* ad agendum provocantur. Extenſum quoque hoc eſt ad epiſcoporum *familiares* & *ſervientes*, ut vocantur in diplomate URBANI IV. apud UGHELLUM *in Ital. ſacra tom. I. p.* 314. 316. *nov. edit.* Quod ſi laicus cum clerico ſimul conveniatur ob continentiam cauſæ, forum eccleſiaſticum, ut potentius, prævalere aiunt, quod utrum Gallia admittat, dubio non caret.

(2) Quod immunitas hæc *Dei ordinatione* & conſtitutionibus canonicis conſtituta ſit, ut aiunt Patres Tridentini *ſeſſ. XXV. de reform. c.* 20. Lepidam addit rationem ALEXANDER IV. in diplomate apud UGHELLUM *tom. I. Ital. ſacr. p.* 315. *nov. edit. quod ſervus ſuo domino ſtet & cadat*, qua indigitare voluit, clericorum dominos ſolum eſſe epiſcopos, non item principes.

(3) Patrum hanc rationem in *prorogatione* ſtringere facile liquet, quæ etiam in aliis, privilegiato foro utentibus, locum habet. Magis ſtringit eo in caſu, ſi in totum ſeſe ſubducere juriſdictioni epiſcopali, & ſæculari ſeſe ſubmittere vellet clericus, quod permiſſum non eſt.

(4) Veſtigia adhuc quædam ex antiquo procedendi modo ſuperſunt in *decreto* GRATIANI, quippe quod ex illis ſcriptis collectum eſt, quæ nondum formulas proceſſus civilis agnovere, in uſum demum poſt hanc collectionem deductas. Huc refero modum procedendi, traditum in *c.* 4. 5. & 8. C. 35. *q.* 6. ſi matrimonium contractum impugnatur ob nimiam conjugum propinquitatem, qui proceſſus a regulis hodiernis plane abludit.

(a) *Stat.* 1539. *art.* 92.

(b) *C.* 12. *X. de foro compet.*

(c) *Act.* 1. *n.* 40. *ſeq.*

& ex compluribus conciliis. Sed quingentis & amplius abhinc annis formularum ambages, velut agmine facto, irruperunt in tribunalia ſacra, quibus ſtudium *juris Juſtinianei* feneſtram aperuiſſe videtur, cujus placita veterem modum agendi, ſolo uſu conſervatum, everterunt, quum judices eccleſiaſtici ſtrictum jus omneſque juris formas obſervare niterentur, quas judices ſæculares neglexere, quippe qui nobiles erant ac milites, nulla literarum cultura tincti, ſoli *conſuetudini* (1) inſiſtentes. Poſtea clericos elegere judiciorum aſſeſſores, quibus juriſdictionem mandarunt: qui hoc modo jus formularium in cuncta tribunalia, maxime in ſuprema illa, quæ *Parlamenta* vocamus, intulerunt: ita ut totus ordo judiciorum, quo hodie in foris ſæcularibus utimur, canonum interpretibus debeatur, ejuſque origines ſint e decretalibus eruendæ. Qualis ille jam ineunte ſæculo XIII. fuerit, patet ex decreto concilii Lateranenſis an. 1216. quod judex jubetur *ſemper adhibere perſonam publicam, quæ fideliter univerſa judicii acta conſcribat, videlicet citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones, petitiones, reſponſiones, interrogationes, confeſſiones, teſtium depoſitiones, inſtrumentorum productiones, interlocutiones, adpellationes, renuntiationes, concluſiones &c.* (a).

II. In Francia ultimis duobus ſæculis plures conſtitutiones de ordine judiciario, in compendium redigendo, promulgatæ, difficilius in ſacris tribunalibus obtinuere, ob longius conſervatum *linguæ latinæ* uſum (2), priſtinis formulis familiarem; quam tamen ſenſim eliminavimus ſic, ut conſtitutio an. 1667. in civili, & conſtitutio 1670. in criminali proceſſu exacte obſervetur. Neque tamen propterea modus agendi ubique eſt uniformis, quum in ſingulis tribunalibus quædam obſerventur ſingularia, quæ præſides habent propria. Alii enim ſunt regularum & ordinis obſervantiſſimi: alii ſuperflua reſecantes ad deciſionem properant. Enarrabo itaque univerſum ordinem, quive actus in judiciis neceſſario ſint expediendi, adductis etiam iis, quæ tribunalia eccleſiaſtica cum ſæcularibus habent communia, quum forſitan non omnes, qui hæc legunt, fori tritura ſubacti ſint. Indicabo etiam multa vetera, quæ in deſuetudinem abiere, & tamen ad perfectam *decretalium* intelligentiam ſunt neceſſaria. *cujus ordo in Francia uſitatus,*

III. Ut lites componi poſſint, opus eſt, ut partes coram judice compareant, jura ſua deducant, ſententiaque judicis pronuncietur. Hæc tria igitur, *comparitio*, *litis conteſtatio* & *ſententia*, ſunt omni proceſſui eſſentialia, ad quæ cetera omnia referri poſſunt. Ut comparitio obtineatur, monenda eſt pars adverſa ſcri- *enarratur, habetque tria eſſentialia,*

(1) Et ita *jus patrium* conſervantes. In Germania eadem rerum mutatio contigit. Tribunalia epiſcoporum eccleſiaſtica mox ſæculo XII. cum decretalibus, quæ proceſſum juris Romani tradunt, explicant, inculcant, juris Romani ſcita pedetentim ſecuta ſunt, quod abſque eo juris Canonici ſeu *decretalium* ſcita intelligere non poſſent. In ceteris judiciis, oppidanorum ſcilicet, atque nobilium, jus patrium obſervatum, donec tandem ſæculo XV. jus Romanum *prorſus & ubique* per introductionem Academiarum erumperet.

(2) Hic ſimul cum proceſſu, in decretalibus delineato, tractus eſt ad tribunalia eccleſiaſtica, quem adhuc hodie Germani in iis obſervant. Rationem utplurimum in eo conſtituunt, quod ab iis appellari poſſit ad curiam Romanam ſeu tribunalia nunciorum; quæ nulla acta *legitima* eſſe cenſent, niſi in lingua latina conſcripta, nec in alia lingua *acta prima inſtituta*, in ſecunda edenda, recipere poſſint, cum exoticarum linguarum peritia deſtituti ſint. Enimvero cum non in quibuſvis cauſſis appellari poſſit ad pontificem, ut in *civilibus*, quæ inter laicos coram officialibus ventilantur; ratio adhuc alia, quæ *generalior* eſt, quærenda & priori adjungenda. Illa vero præcipue in eo conſiſtit, quod *uſus linguæ* in ſtylo curiæ, quem merito *Tyrannum fori* dixeris, omne ferat punctum, quem cum curia Romana efformaverit, non potuit non quoque uſus latinæ linguæ in fora cum proceſſu curiæ Romanæ introduci.

(a) *C. 11. X. de probat.*

ſcripto, quod in foro eccleſiaſtico *citationem* adpellamus. Hæc olim decreto judicis mandato per apparitorem denuntiabantur; hodie ad exemplum tribunalium ſæcularium ad requiſitionem partis expeditur, & per omnis generis apparitores vel miniſtros inſinuatur (*a*). Forma ejus utrimque eſt eadem. Nam factum eſt in libellum redigendum, cui petitio ſummariter inſerenda, & exempla documentorum probantium ſubjicienda. Hoc ſcriptum inſinuandum eſt vel ipſi *perſonæ*, vel *ad domum* (1), & exemplum ejus illi relinquendum.

v. Citationem, IV. Citationes ad judicem delegatum fiunt virtute mandati, quod citato exhibendum, eique ſimul commiſſio indicanda (2), qui ejus notitiam habere non poteſt. Indicandus etiam eſt locus, in quo comparendum, quum proprium auditorium delegati non habeant. Præſtituendus eſt ſingulis citationibus certus dies profeſtus. Actiones enim, die ſolis vel feriato inſtitutæ, nullæ forent. Feriis tamen humanis, ut tempore meſſis vel vindemiæ, conſenſu partium quæſtiones judiciales ſuſcipi poſſunt. Citationes ad perſonas incertas, vel ad plures, qui non efficiunt *univerſitatem* (3), directæ, locis publicis affiguntur, vel e ſuggeſtu pro concione publicantur. Agere omnes in judicio poſſunt, qui non ſunt in aliena poteſtate, nec laborant infamia. Agimus vel ipſi, vel per alios, qui vocantur procuratores ad cauſſam vel *poſtulantes*, qui diſtincti ſunt a *procuratoribus ad negotia*. Tales in Francia *honorabili officii titulo* in omnibus tribunalibus ſunt conſtituti, quorum opera neceſſaria eſt, quum non omnes judiciorum ordinem calleant: non tamen ſuo, ſed partium nomine (4) agunt. Procuratores univerſitatum ſyndici adpellantur. Citati comparent vel ipſi, vel ſcripto procuratori tradito. Qui non comparet, *contumax* adpellatur, & ſemper in culpa eſſe cenſetur. Nam etiamſi ad judicem incompetentem vocatus eſſet, venire tamen deberet, & cauſſas *fori declinatorias* proponere. Secundum canones contumax cauſſa non cadit, ſed vel condemnatur in expenſas, (*b*) vel miſſione in poſſeſſionem, (*c*) vel cenſuris eccleſiaſticis coercetur (*d*). Judicis in arbitrio fuit, quam pœnam eligere mallet. Miſſio in poſſeſſionem eſt partus juris Romani, tenditque ad defatigandam contumaciam, (5) dum actor in actione REALI immittitur in poſſeſſionem rei litigioſæ, & in *perſonali* in poſſeſſionem omnium rei bonorum uſque ad ſummam concurrentem. Sed hac poſſeſſione, quæ eſt tantum

(1) Si neminem domi offendunt, citatio foribus ædium affigenda, vocatis teſtimonii cauſa vicinis, quod ex jure Romano depromtum eſt. HERICURTIUS *dans les loix eccl. de France p.* 129. §. 6. Hoc facto, relatio de hac inſinuatione ad acta referenda, deſignatis atque denominatis vicinis, in quorum præſentia affixa fuerit. JO. PAPON. *in corp. jur. Franc. lib. VII. tit.* 4. *art.* 1. Ceterum hoc ſingulare eſt in praxi Galliæ forenſi, quod dies, quo reus comparere debet, decreto citationis inſeri non ſoleat, verum viatori tantum mandetur, ut citationem faciat in certum & competentem diem, ut IDEM *art.* 10. *cit. l.* declarat.

(2) Id quod commodiſſime fit per tranſmiſſionem literarum delegationis, tum ut hoc modo citans ſeſe ad hanc cauſam legitimet; tum etiam, ut limites delegationis exacte ſciat reus.

(3) Hæc ad inſtar unius cenſetur perſonæ, & præſidi vel præfecto ejus inſinuatio fieri poteſt.

(4) Ergo hi non ſunt *domini litis*, quod figmentum quidem jus canonicum paſſim ſequitur, ſed in Gallia vix uſum habet.

(5) Ut reus tædio cuſtodiæ hujuſmodi flexus tandem compareat ſeſeque defendat. In effectu hæc miſſio eſt *ſequeſtrationis* inſtar, quæ admodum gravat reum, interim varia incommoda habet, adeoque in Germania per leges imperii publicas prorſus ſublata.

(a) *Ordin.* 1667.
(b) *C.* 6. *X. de dol. & contum.* (c) *C.* 4. *X. de eo qui mitt. in poſſ.*
(d) *C.* 3. *& ult. X. ut lite non conteſt.*

tantum rei ſervandæ cauſſà, nullum jus acquiritur, niſi poſt lapſum anni, & accedente *ſecundo decreto* (*a*). Olim cenſuræ eccleſiaſticæ & ipſa excommunicatio frequentabantur: quod concilium Tridentinum prohibuit (*b*), quoties vel pignora capi, vel mulctæ pecuniariæ exigi, vel perſonæ in carcerem compingi, vel beneficiorum privatione coerceri poſſunt, ita ut cenſuræ, deficientibus aliis mediis, ſint ultimum refugium. Quod autem contumax *pœnis* magis, quam *cauſſæ amiſſione* plectatur, in cauſſa eſt trita juris regula, *ut lite non conteſtata non procedatur ad probationem vel ad ſententiam definitivam* (*c*) (1). Ob publicam tamen utilitatem excipiuntur cauſſæ *matrimoniales*, ubi in mora periculum, & *beneficiariæ*, ne eccleſiæ læſionem patiantur, ubi miſſio in poſſeſſionem *ſine cauſſæ cognitione* aleæ plena videtur, quum diligentiſſimus quiſque ad agendum non ſit digniſſimus (*d*). Potius ſummariter rationes ac probationes excutiuntur, ut in poſſeſſionem mitti poſſit, ſi jus apparens eluceat, ut contumax puniatur, ſic tamen, ut refuſis expenſis admittatur rurſus ad judicium. Hic agendi modus, quum humanior videatur ac commodior, ad omnes cauſſas extenditur. Itaque contumacia actoris efficit, ut reus abſolvatur; rei, ut actori, quod petitum eſt, adjudicetur; ceſſantibus ceteris contumaciæ pœnis. Olim poſt comparitionem actor tenebatur in ſcriptis libellum porrigere (*e*), quo facto ad conſultandum & reſpondendum dilatio reo indulgebatur. Cui præcidendæ conſtitutum eſt (*f*), ut ſupplicationi pro citatione libellus infereretur. Quod & juſtum eſt, (2) quum actionem intentaturus non ſolum petitionem, ſed & probationes omnes in promtu habere debeat. Reus comparens ſæpe objicit exceptiones, quibus intentatam actionem vel eludere; vel judicium ſuſtaminare, vel examen cauſſæ fruſtrare intendit. Primum genus earum ſunt *fori declinatoriæ*, quibus oſtendit, ſe coram judice præſenti ſtare non debere. Et hæ quidem in principio ſunt obmovendæ, quum poſtea non attendantur. Implicat enim, reſpondiſſe, & perhibere, reſponderi non poſſe. Sequuntur *dilatoriæ*, quæ litem retardant & examen cauſſæ ſuſpendunt. Item *peremtoriæ*, quæ probatæ actionem perimunt (3). Sunt & *perſonales*, quibus actori quæſtio ſtatus ſeu qualitatis, ſub qua agit, (4) movetur. Harum celebratiſſima in canonibus eſt exceptio *excommunicationis*, licet noſtris moribus inutilis. Quum enim excommunicati infames fiant, alios in judicio proſequi nequeunt, quia etiam *in loco judicii* inſtitutum

(1) Qua de cauſa ſecundum jus commune lis pro *negative conteſtata* habetur, ad hunc effectum, ut actor probationem ſuſcipere, & ea peracta ſententiam definitivam ferre poſſit. In quibuſdam tamen Germaniæ judiciis revera reus punitur *amiſſione cauſſæ*, quando ſub pœna *confeſſi* & *convicti* citatur, & denuo non comparens pro *confeſſo* & *convicto* judicatur.

(2) Idem quoque in legibus Germaniæ tam univerſalibus quam particularibus proviſum, & inde factum eſt, ut *dilatio deliberatoria*, olim poſt oblationem libelli danda, per *citatoriam*, ſeu quæ in citatione continetur, abſorbeatur.

(3) Quatenus mox probari poſſunt, ut ſunt rei judicatæ, transactæ, juramento judiciali deciſæ, aliæque *litis finitæ* ſeu quæ ſtatim indicant, revera litem jam mortuam, extinctam, & finitam eſſe, unde etiam exceptiones præſcriptionis, ſolutionis, compenſationis &c. huc referri debent *c.* 1. *de L. C. in* 6. Altioris indaginis quæ ſunt, rejiciuntur poſt litis conteſtationem.

(4) Unde naſcitur exceptio *legitimationis ad cauſam*, ſi ut heres, ut ceſſionarius &c. actor agit. Si in hac probanda deficit, nulliter actum, quicquid actum eſt.

(a) *C.* 1. *X. de eo qui mitt. in poſſ. C.* 2. *X. de ſeq. poſſeſſ.*
(b) *ſeſſ.* 25. *c.* 3. (c) *t. t. X. ut lite non conteſtat.*
(d) *C. ult.* §. 1. *eod.* (e) *t. t. X. de libell. oblat.*
(f) *Ordin.* 1539. *art.* 16.

ſtitutum colloquium ex mente interpretum involveret commercium (1) cum his hominibus . Hæc exceptio in qualibet parte litis opponi poterat (*a*) iis temporibus, quibus excommunicationes frequentiſſimæ , magno abuſui ſubjectæ. Unde concilium Lugdunenſe 1245. conſtituit, ut ea uſurus. ipſam excommunicationis ſpeciem nomenque excommunicatoris exprimat, & utrumque intra *octiduum* probet, nec niſi bis eam alleget (*b*). Reo objici nequit (*c*) quippe qui invitus ad tribunal trahitur deſenſione ſua haud quaquam defraudandus, (2) immo reſpondere tenetur, *ne videatur de ſua malitia commodum reportare* (*d*). Haud minus canonibus celebrata eſt exceptio *ſpolii* . Jure communi ſpoliatus h. e. vi e poſſeſſione rei litigioſæ dejectus, ab eo, qui dejecit, ante conveniri non poteſt , (3) quam reſtitutus ſit, ne uſurpator violentiæ fructum habeat . Porro ſi quis bonis omnibus ſpoliatus eſſet, actiones omnes intentatas declinare poterat, impar ferendis ſumtibus. Sed hæc principia diverſas fraudes peperere . Spolium enim adpellata eſt quævis injuſta dejectio ſi vel maxime ſententia judicis injuncta; & actori ſæpe objecta eſt exceptio ſpolii ab altero facti (4). Hnc obtentu eludebantur omnia judicia criminalia , & qui impune peccare moliebantur, illi numquam reſtitui deſiderarunt. Hinc Concilio Lugdunenſi 1274. variis modis reſtricta eſt hæc exceptio (*e*), quæ in Francia pariter exulat. Exolevere-

reconventio in Francia exul. runt etiam reconventiones , quas olim eccleſiaſtica tribunalia, ſed laica numquam, admiſere (*f*). Interim reo integrum eſt, qualemcumque adverſus actorem actionem ſub nomine *petitionis incidentis* inſtituere, præſertim in cauſſa connexa ſi non connexa eſt, non auditur, ſi partes non eidem judici ſubjectæ ſunt , Sic clericus coram officiali a laico conventus *petitione incidenti* laicum ferire non poteſt, niſi ſit admodum connexa.

CAPUT VII.

De Proceſſu civili continuatio.

2\. *litis conteſtationem.* I. SI nullæ exceptiones oggeruntur, vel oggeſtæ a judice rejiciuntur ; ad arcem cauſſæ penetrandum eſt, propoſitis judici defenſionibus vel ſcripto vel viva voce; quo caſu prologo ſententiæ inferuntur. Primum de defenſione judicinm fit litis conteſtatio, quæ eſt caput & cynoſura litis univerſæ (*g*). Nam ante-

(1) Quod admodum abſonum eſt , cum *familiare commercium* tantum cum excommunicatis interdictum ſit , non quod ex *neceſſitate vitæ civilis* inſtituendum . Ut itaque hoc abſurdum Auctor vitet , notanter addit : *ex mente interprecum* .

(2) Ad hunc affectum tamen ei objici ſolet , ne ipſe in perſona compareat , ſed per procuratorem potius , ad quod alias cogitur .

(3) Non tantum in cauſa connexa , ſed etiam in quacunque alia. Impedit hæc exceptio, intra 15. dies probanda , litis conteſtationem, ut reus, niſi *plenarie* reſtitutus fuerit, reſpondere haud obſtrictus ſit. Nec ſufficit reſtitutio poſſeſſionis , niſi de damnis expenſis & fructibus ſatisfecerit . Paupertati tamen ſpoliatoris ex æquitate hoc dari ſolet , ut audiendus etiam ſit ante plenariam fructuum & damnorum reſtitutionem, quæ ad litis intentatæ terminum reſervatur . GABRIEL ALVAREZ de VALASCO *de privil. pauper. quæſt.* 46. *num.* 10.

(4) Abuſum vero hæc praxis ſapit , nec fundamento ullo juris ſubnixa , forſan tamen ex hoc errore deducta , quod ſicuti actio ſpolii contra omnem poſſeſſorem dari dicatur, Ita etiam exceptio.

(a) *C. 12. X. de except.*
(b) *C. 1. de except. in 6.*
(c) *C. 5. X. de except.*
(d) *C. 7. X. de judic.*
(e) *C. 1. de reſtit. ſpol. in 6.*
(f) *Conſuet. Pariſ. art. 106.*
(g) *C. 54. §. licet X. de elect.*

Digitized by Google

antequam judex partium intentiones percepit, earumque probationes audiendas eſſe cenſuit; dici nequit, partes litigare. Litis conteſtationis effectus inſignes ſunt. Eſt enim *quaſi contractus*, quo partes conveniunt de judicato ſolvendo; & reus, qui ante in *bona fide* fuit, in *mala fide* conſtituitur (1). Firmantur etiam qualitates agentium & actionum in tantum, ut mutari nequeant (2). Ex quo formularum ſolemnia opplerunt tribunalia eccleſiaſtica, duplex judiciorum genus formandum fuit; *ſolemnium*, quibus ambages formulariæ ſtrepituſque & figura judicii exacte obſervantur, & *ſummariorum*, quibus cuncta viva voce arctatiſrue dilationibus peraguntur (*a*). Indicatæ ſunt etiam cauſſæ, quæ *ſimpliciter & de plano* ſine judiciorum ſtrepitu & figura tractandæ, leviores ſcilicet, vel majores, quæ moram non ferunt, ut beneficiorum, decimarum, matrimoniorum (*b*). Quæ quum hodie fere ſolæ officialibus relictæ ſint, ſatis apparet, eorum judicia eſſe *ſummaria*. Et quo magis a ſolemnibus recedimus, eo propius veterem judiciorum eccleſiaſticorum ſimplicitatem attingimus.

II. Lite conteſtata, partes ad probationes accinguntur, de quibus judex cognoſcit. Probatio eſt vel *vocalis*, vel *literalis*. *Vocalis* vel a partis adverſæ *confeſſione*, vel a *teſtium depoſitione* proficiſcitur. Licet enim partibus ſemet mutuo interrogare de *factis & articulis* congruis; (3) & qui reſpondere detrectat, habetur pro *confeſſo* (*c*). Judex quoque in qualibet litis parte interrogare poteſt (*d*). Sæpe actor reo juramentum defert; refert nonnumquam reus, & interdum judex, deficiente probatione, actori injungit (*e*). Juramentum litis deciſorium in foro eccleſiaſtico frequentius eſt, quum eccleſiaſtici plus conſcientiæ fideique dare præſumantur. Majoris negotii eſt probatio per teſtes. Hi citandi ſunt a judice, coram quo depoſitiones ſecreto edunt in ſcripturam redigendas, quam in cauſſa *civili examen* (*enquête*;) in *criminali informationem* adpellamus. Si examen detrectant, mulctis aliiſque pœnis cogi poſſunt, ſi noti ſunt; ſi ignoti, cenſuris eccleſiaſticis, (*f*) quibus præmittuntur monitoria generalia, publicis locis affigenda, vel pro concione publicanda, quibus judex eccleſiaſticus, propoſito facto, quod fere atrox crimen eſſe ſolet, omnes, ad quos ejus rei notitia pervenit, exhortatur ad revelandum, (4) adjecta pœna excommunicationis, ſi poſt

quam ſequuntur probationes vel vocales,

(1) Hunc effectum communiter attribuunt litis conteſtationi, & quidem ſine ullo diſcrimine per *l.* 25. *§.* 5. *de hered. petit.* Et tamen idem effectus etiam *controverſia mota* adſcribitur, *c. l.* imo ſoli etiam *denunciationi* in *l.* 20. *§.* 11. *eod.* Litis conteſtatio ſane hunc non operatur, ſed *ſcientia rei alienæ*, quæ modo per *denunciationem*, modo per *controverſiam motam*, modo etiam per *litis conteſtationem* reo ingenerari poteſt. Hæc ubi deficit, mala quoque fides ceſſat.

(2) Nam ſi vel maxime cauſa reum non tangat, poſt litem tamen *ſuo nomine* conteſtatam æque tenetur, ac ſi cauſa eum tangeret.

(3) Quem in finem *poſitiones* ex libello format actor, quæ tamen non *probationis* gratia offeruntur, ſed tum ut litis conteſtatio eo planior fiat, tum etiam ut religione juramenti, quod reus ſubire debet de malitia, a temeraria negatione deterreatur.

(4) Prolixior eſt hæc praxis, quam ut binis verbis tangi poſſit. Plenius de ea egerunt ANTONIUS LAZARIUS *in quæſt. canon. de monit. ſeu excommunicat. ad effectum revel.* & THEOPHILUS RAYNAUDUS, ſocietatis Jeſu theologus, *de monitoriis eccleſiaſticis ad extorquendam reſtitutionem aut revelationem*, in quo tractatu imprimis *cap. III.* praxis ab auctore facta enarratur. Fundamentum ejus deprehenditur in *c. un. extrav. comm. de furtis.* Supponunt traduntque, conſcium veritatis, cujus detectio quæritur, per poteſtatem eccleſiaſticam adſtringi poſſe ad revelandum ſub comminatione excommunicationis, ſi intra terminum præfixum haud paruerit. Poſtquam enim excommunicationi effectus prorſus

(a) *Cl. ſæpe* 2. *de verb. ſignif.*

(b) *Cl.* 2. *de judic.*

(c) *C.* 10. *X. de fide inſtrum.*

(d) *l.* 21. *de interrogat.*

(e) *C. ult. X. de jurejur. juncta gloſſa.*

(f) *C.* 11. *X. de teſtib. cog.*

Digitized by Google

poſt trinam publicationem ceſſaverint. Quæ fere unica ad probationem factorum occultorum via admodum teritur, dum & judices laici in cauſſis mere ſæcularibus ſæpe eam eligunt, & officialem, qui publicationem detrectat, fructuum ſequeſtratione compellendum cenſent; quod Concilio Tridentino (*a*) diſerte prohibitum, cautumque, ne in cauſſis levioribus monitoria adhiberentur.

vel literalis III. Probatio literalis conſiſtit in ſcripturis publicis, privatis. Publicæ per ſe fidem faciunt, ſuntque eæ, quæ a publicis perſonis ex officio agentibus conceptæ (*b*). Scriptura privata fidem non facit, niſi recognita, vel literarum comparatione vera deprehenſa fuerit. Stricte ſolis inſtrumentis *authenticis* fides adhibenda, niſi exempla ſint per manum publicam facta, & quidem pars adverſa ſtricto jure petere poteſt, ut ipſa *exemplificationi* interſit (1), quæ olim juſſu judicis erat ſuſcipienda (*c*). Si inſtrumenta ſunt penes perſonam publicam, compelli a judice poteſt ad edenda exempla. Inſtrumenta ex curia Romana adlata tum demum in tribunalibus noſtris fidem faciunt, ſi duorum *agentium in rebus* teſtimonio nituntur.

3. ſententiam IV. Probationes abſolutæ partibus mutuo aperiuntur, ut intra terminum eas impugnent: quo facto, vel ſaltem termino elapſo, ſententia ferri poteſt. Si tamen in Eccleſiam vel in rempublicam aliquid detrimenti redundaturum eſſet; promotori ſeu procuratori generali acta tradenda ſunt, ut ipſe arbitrari poſſit. Sententiæ ſunt duplicis generis, *interlocutoriæ* & *definitivæ*. Illis aliquid fieri jubetur, dum lis decidatur, v. gr. ſequeſtratio. Nam quoties judex hoc vel illud in cauſſa ſuſcipiendum imperat (2), interlocutoriæ vim habet. His autem lis deciditur.

definitivam. V. Olim ſententiæ, licet ex inſtrumentis & ſecreto judicatum eſſet, partibus ſcripto recitandæ erant: quod in foris ſæcularibus primum neglectum, & (*d*) generatim ſublatum eſt. Concordato (*e*) duo anni ad finiendam inſtantiam præſcribuntur judicibus delegatis, quod Concilium Tridentinum (*f*) ſancit etiam de ordinariis. Unde partibus a lapſu biennii judicem ſuperiorem adire, litemque coram eo proſequi datum. In Francia nec biennium perdurandum eſt; ſed, ſimulatque partes ſubmiſerunt, judicem ceſſantem bis interpellant de ferenda definitiva. Si rurſum ceſſat, pars læſa veluti a denegata juſtitia adpellat, & adverſus judicem agit *ex ſyndicatu* ad reſarciendum damnum, & ad *id quod intereſt*. (*g*) Hæc eſt forma proceſſus *primæ inſtantiæ*. De adpellationibus poſt crimina dicemus.

CA-

prorſus inſolitos tribuerunt, qui etiam ignotos ſtringere, eorumque conſcientiis laqueos, terrores & cruciatus imponere poſſunt, non adeo mirandum eſt, hac methodo ſæpe felicius crimina manifeſtari, quam ordinaria inquiſitione. Plurima etiam de hac materia congeſſit JOSEPHUS GIBALINUS *de ſacra juriſdict. in ferend. pœn. & cenſur. eccleſ. diſq. II. q. 2.* cui jungendus JACOBUS EVEILLON *dans le traité des excommunications & monitoires. c. 19. p. 389.*

(1) Ut exemplo fides plena adſcribi poſſit, cognoſcendum de originalis valore & fide; æquum ergo juſtumque eſt, ut adverſa pars audiatur, & ejus exceptiones, ſi quas habet, judex examini ſubjiciat, atque de iis decernat. Hoc neglecto, fidem plenam exemplum operari nequit.

(2) Vel etiam *punctum incidentem* decidit, ſuper quo uterque ſatis auditus eſt. Hæc ſpeciatim vocatur, interlocutoria *mixta*, quia *vim definitivæ* intuitu ejus controverſiæ incidentis, quam definit, habet.

(a) *ſeſſ. 25. c. 3.*
(b) *C. 2. X. de fid. inſtrum.*
(c) *C. ult. eod.*
(d) *Stat. 1644.*
(e) *tit. 29.*
(f) *ſeſſ. 24. c. 20.*
(g) *Ordin. 1667. tit. 25. art. 4.*

CAPUT VIII.

De hæreſi, aliiſque læſarum Religionum criminibus.

Quid hæreſis?

I. MAjor juriſdictionis eccleſiaſticæ vigor in ulciſcendis criminibus, canonum carbone notatis, quia magis ſacra & bonos mores lædunt, quam ſocietatem civilem turbant, licet principum legibus quoque coerceantur ac vindicentur. Criminum eccleſiaſticorum atrociſſimum eſt *hæreſis*, quæ fidei Chriſtianæ fundamenta labefactat. Hæreſis autem eſt *pertinax defenſio dogmatis, eccleſiæ univerſalis judicio condemnati*, ſive decreto concilii œcumenici, quod Arianiſmo Niceæ contigit; ſive pontificio oraculo, per totam eccleſiam recepto, quale D. Innocentius adverſus Pelagium edidit; (*a*) ſive ſanctione concilii particularis ab univerſa eccleſia agniti, quod Pauli Samoſateni placitis Antiochiæ contigit. (*b*) Hujus autem cauſſæ duæ diſceptationes ſunt; altera *de jure*, ut appareat, num dogma orthodoxum ſit, an hæreticum, de quo unice *eccleſia*, id eſt, (1) epiſcopus vel concilium provinciale, vel papa cognoſcit (*c*); altera *de facto*, num hic vel ille ſit hæreticus, quam in Francia judices laici, ſi hæreſis manifeſta eſt, ſalvo judicio Eccleſiæ, ſibi arrogant, quum hoc caſu de exſequendis legibus regiis, deque pœna eorum, quos Eccleſia condemnavit, agatur. Jam vero principes pœnas ſæculares huic crimini, quod tranquillitatem publicam diverſitate ſententiarum turbat, præſtituerunt. Vix enim fieri poteſt, ut inter homines, religionum debita reverentia flagrantes, qui mutuo vel pro ſacrilegis vel pro ſuperſtitioſis habentur, pax ſervetur (2). Neque huc facit, quod vulgo jactitant, principi nullum conſcientiæ alienæ, nullum opinionum humanarum competere dominium. Sufficit, ut jus habeat impediendi propullulantes perverſas doctrinas. Nec indulgendum eſt, ut adverſus Deum & dogmata divina, liberius, quam adverſus principem, adverſus leges reipublicæ fundamentales, vel contra bonos mores, quidquam effutiatur (3).

II. Hæ-

(1) Sæpe jam obſervavi, ea, quæ *eccleſiæ* tribuuntur, proprie de epiſcopis, ut ejus præfectis & magiſtratibus, intelligenda eſſe. His jus *decidendi* & de quæſtionibus fidei decernendi datum eſſe credunt. Quid vero ſi epiſcopi inter ſe diſſentiunt, ut Euſebiani olim & orthodoxi? potentior pars prævalet, eaque ſententia deciſiva creditur, quam amplectuntur dominantes. Sic olim approbabant imperatores illam formulam, quam Damaſus papa, & Petrus Alexandriæ epiſcopus, magna in auctoritate conſtituti, receperant. *l.* 1. *C. de ſumma trinit.* Et ſic fere ſemper in his controverſiis obſervatum fuit, ut, quæ pars prævaleret, *orthodoxiam* conſtitueret. Nunquam *Remonſtrantes* condemnati fuiſſent, niſi adverſarii eorum in ſynodo Dordracena prævaluiſſent, eique JOANNES BOGERMANNUS, hæreticorum malleus & perſecutor implacabilis, præfuiſſet. v. GERARDUS BRANDT *in hiſtor. reform. Belg. vol. III. lib.* 33. *ſeqq.* Paucis: religio dominans denominari ſolet *orthodoxa*, quia publice approbata eſt: damnata & reprobata (id quod ex judicio *majoris partis* fit) vero *hæreſin* ſapere dicitur. Ita vero contingit, ut quod hodie *orthodoxum* judicatum fuit, mox atro hæreſeos notetur carbone, quoniam tempora mutantur, & mox hæc, mox alia multitudo prævalet.

(2) Cur vero non? ſi domantur hæreticorum perſecutores: ſi diſſentientibus omnis calumniandi ratio ſevere interdicitur, pax etiam inter diffidentes in religione ſervari poteſt.

(3) In *theſi* non inepte philoſophatur Auctor. Aſt quem mihi dabis hæreticum, qui *dolo malo* (abſque quo crimen concipi nequit) contra Deum loqui, vel contra bonos mores quid effutiſſe convinci potuit?

Errantes

(a) *ep.* 24. 25. *Hiſt. eccl. l.* 23. *n.* 34.
(b) EUSEB. *l.* 7. *c.* 30.
(c) *C.* 9. *X. de hæret.*

quæ pœnæ? II. Hæreſis purgatur abjuratione erroris & profeſſione fidei catholicæ. Si poſt abjurationem hæreticus in eamdem vel aliam hæreſin recidit; *relapſus* audit, cujus generis hominibus difficilior redditur abſolutio, ne ſacramenta profanentur (*a*). Condemnantur etiam credentes, receptatores, deſenſores & fautores hæreticorum (*b*). Pœnæ canonicæ ſunt atrociſſimæ: nam clerici gradu privantur; laici & clerici excommunicantur, atque in hoc ſtatu morientibus denegatur ſepultura eccleſiaſtica. (*c*) Quid quod a beneficiis & officiis eccleſiaſticis liberi eorum excluduntur, & quidem primi & ſecundi gradus in paterna; primi tantum in materna linea. (*d*) Sæculares pœnæ a principibus pro temporum & hæreticorum varietate variæ conſtitutæ ſunt, ut mulctæ pecuniariæ, confiſcatio vel partis vel omnium bonorum, fuſtigatio, carcer, exilium, ultimum ſupplicium (1).

relapſorum.

apoſtatarum, III. Hæretici *nati* excuſatius peccant; *facti*, *apoſtatæ* vocantur, & atrocius puniuntur. Quum enim religioſi profeſſi & clerici, qui in ſacris, quando ordinem deſerunt, ut uxorem ducant vel ſæcularem vitam agant, *apoſtatæ* adpellentur (*e*): juſtius ſic adpellantur, qui ad exemplum eorum, qui ad Mahometiſmum deficiunt, profeſſioni Chriſtianæ fidei nuntium miſere. In tales Eccleſiæ ſalva manet juriſdictio, cujus filii, utut rebelles, (2) non eſſe deſinunt, ſacro lavacro tincti, quod imprimit characterem indelebilem.

infidelium, IV. Sed infideles, qui ſemper tales fuere, ut Judæi, Mahometani, Idololatræ, non ſubjecti ſunt *juriſdictioni Eccleſiæ*, quæ tamen fidelibus commercium periculoſum cum his omnibus interdicere (*f*), & adverſus eorum auſus brachium ſæculare implorare poteſt (3). Principis enim eſt, eos reprimere, ſi Chriſtianam fidem facto vel verbis impugnant, Chriſtianos ſeducunt, falſam religionem publice exercent. Quibus malis ut obviam eatur, princeps prohibere poteſt, ne quis in territorio habitet, qui non profiteatur religionem territorii (4). Ex hoc capite CCC. abhinc annis Judæi; ex hoc capite an. 1685. Calviniani e Francia fuerunt ejecti. Quum hæretici & infideles errores ſuos in deliciis habeant, ferendum eſt, ut in ſuis territoriis leges ferant contra veram religionem.

Errantes *dolo malo* errare, & *contra Deum loqui* dicuntur, qui a judicio dominantis eccleſiæ h. e. cleri recedunt. Ita ubique rationes ſubduxere hæreticorum maſtyges, quos *hæretificos* dicunt, quamcunque inſpexeris religionem.

(1) Non tantum pœnas graviſſimas & capitales hæreticis dictitant catholici. Fuere etiam quidam inter reformatos, qui eodem ducti ſunt fervore, ut BEZA & ipſe ſynodi Dordracenæ præſes, JOANNES COGERMANNUS, Bezæ aſſecla, qui capitali ſupplicio plectendos hæreticos dixerat, vid. MICHAEL de la ROCHE *dans les Memoires literaires de la grande Bretagne tom. IX. p.* 11. Nec hoc adeo mirandum, cum ipſemet CALVINUS hæreſin SERVETI morte afficiendam eſſe cenſuerit, quod moderatiores indigne tulerunt, oſtendentes hæreticos non eſſe gladio puniendos, v. de la ROCHE *cit. l. tom. II. p.* 190. *ſeq.* Ipſe Henricus VIII. poſtquam jam obedientiæ eccleſiæ Romanæ nuncium miſerat, plures hæreticos necare juſſit, quo eo magis *orthodoxiæ* gloria coruſcaret, ut aliquot exemplis IDEM obſervat *p.* 157. *ſeq.* Inde liquet, quid *dominatus in religione* præſtare, quamque infelices effectus producere queat.

(2) In hoc potiſſimum hujus criminis *atrocitas* quæritur: qui diſſentiunt a fide catholica, in communione ejuſdem eccleſiæ manere nequeunt, unde dicuntur *rebelles*, & ſic contra ſtatum reipublicæ eccleſiaſticæ delinquunt.

(3) Ita *per indirectum* poteſtatem eccleſia in infideles exercere dicitur, quod eos omni commercio cum fidelibus intercludere queat, quod plenius illuſtravit RICCIULLUS *de jure perſon. extra grem. eccleſ. exiſtent.*

(4) Inde factum, ut judæi in Germania

(a) *C.* 9. *X. de hæret.* (b) §. 13. §. *credentes cod.*
(c) *C.* 8. *cod.* (d) *C.* 15. *cod. in* 6.
(e) *C.* 1. *&* *ult. X. de apoſtat.* (f) *C.* 5. 6. 15. 16. *X. de Jud.*

gionem. Sed iſtæ leges neminem bonum abſterruere umquam, quo minus illic habitent, animarumque ſaluti invigilent, ſcientes, Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus (*a*). Nec eos eſſe metuendos, qui corpus ſolum occidere poſſunt (*b*). In hujuſmodi anguſtiis religio Chriſtiana nata eſt; in his crevit, in his adolevit; quæ certiſſimum perhibent de fide verorum Chriſtianorum teſtimonium.

V. Hæreticis ſuccenturiantur ſchiſmatici, quia, auctore Cypriano, *qui unitatem Eccleſiæ non tenent, fidem non tenent* (*c*). Eſt autem ſchiſma diviſio, quæ lacerat Eccleſiam, dum pars plebis, vel cleri inſurgit adverſus legitimum paſtorem, communionemque ejus exoſa, falſum doctorem ſuo nutu ſibi eligit (1). Hujus criminis eædem pœnæ ſunt ac hæreſeos. Inter alia omnes ordinationes, beneficiorum collationes, aliique actus judiciales, a prælatis ſchiſmaticis peracti, irriti ſunt (*d*). Interim hæretici & ſchiſmatici non amittunt poteſtatem adminiſtrandi ſacramenta, ſi quam habuere, haud magis, quam alii peccatores, quia character ſacerdotalis æque eſt indelebilis ac baptiſmalis. Peccant ſaltem, quod hac poteſtate utuntur extra Eccleſiam. Ut igitur baptiſmus ab hæretico vel ſchiſmatico adminiſtratus æque validus eſt, ac baptiſmus ab ebrio vel impudico homine adminiſtratus (*e*); ita qui ab hæretico vel a ſchiſmatico Epiſcopo ordinantur, presbyteri ſunt, modo Epiſcopus ille recte ordinatus ſit. Quos enim laici vel ſimplices presbyteri Epiſcopos vel paſtores, quocumque nomine veniant, conſtituunt, ii nunquam non laici ſunt manentque. Si igitur canones ſchiſmaticorum ordinationes irritas declararunt, hoc intelligendum eſt de interdicto perpetuo, de quo Eccleſia diſpenſare poteſt (*f*). *ſchiſmaticorum*

VI. Hæretici plerumque ſunt blaſphemi (2). Nam qui fidem non tenet, de Deo & de divinis myſteriis, quæ contemnit, irreverenter loquitur; atque hoc ipſum eſt, quod proprie blaſphemiam vocamus. In eumdem cenſum veniunt vanæ & inſolitæ *execrationes*; quarum aliæ aliis pro verborum natura & animi affectu atrociorem pœnam merentur (*g*). Eodem pertinet *perjurium*. Nam Deo illudere videtur, qui fidem ſub invocatione numinis datam violat, aut Deum vindicem vocat promiſſi, quod ſalva fide & ſine crimine ſervare nequit. *blaſphemorum,* *perjurorum*

VII. *Sacrilegium* eſt quodlibet factum, quo *religio* (3) *deſpicatui* habetur, ut aucha- *ſacrilegorum, aſtrologorum,*

---

nia non aliter, quam interveniente *diſpenſatione* commorari queant, & ſic jus judæos recipiendi regalibus annumeratum ſit.

(1) Id quod citra *hæreſin* etiam contingere poteſt, aliis de cauſis, inter quas per ſæcula plura eminuit *ambitio*, ſeu *imperii gloria*. Hoc crimen rurſus tangit ſtatum publicum eccleſiæ dominantis, ejuſque caput imprimis petit, quod non poteſt non abominabile iis videri.

(2) Ut hæreticos eo magis gravent, omniumque odiis exponant, conſtituère ſolent dominantes, eos eſſe *blaſphemos*. Jam olim infideles ipſi Salvatori & Apoſtolis blaſphemiæ crimen objecerunt, quam praxin perſecutores & flagella hæreticorum in uſus ſuos traxere, & hoc atro carbone eos notarunt. Quam vellem vero, ut proteſtantes ſaniores facti fuiſſent, inter quos (proh dolor!) plures reperi, qui nil blaſphemias earumque imputationes in ore habent. Videlicet quos a ſe diſſentire animadvertunt, *hæreticos* appellant: "hæretici autem *contra Deum loqui* dicuntur"; qui autem contra Deum loquitur, blaſphemus eſt.

(3) Vel quicquid vulgo *religioſum ſanctumque* habetur, vel dicitur, licet nulla *religio* rei inſit. Unde non tantum datur ſacrilegium *ſacrarum rerum*, ſed etiam *nuptiarum*, & *politicum*, utpote ſi contra reverentiam principi debitam quid committitur". Quo majora vero ſuperſtitio ſumſit incrementa, eo plures hujus criminis enatæ ſunt ſpecies, ut vel quadraginta ſpecies referre

(a) *Act. IV.* 19. (b) *Matth. X.* 28. (c) *C.* 12. *q.* 1. *c.* 18.
(d) *C.* 1. *X. de ſchiſm.* (e) *de conſecrat. diſt.* 4. *c.* 40.
(f) *C.* 24. *q.* 1. *c.* 37. *C.* 2. *X. de ſchiſm.* S. THOM. *ſupplem. q.* 38. *art.* 2.
(g) *C.* 2. *X. de maledic.*

euchariſtiæ, ſacri olei, ſacrorum vaſorum, Eccleſiarum, cœmeteriorum profanatio; immunitatis ſacrorum locorum violatio in terris, ubi ea obſervatur; furtum ſeu uſurpatio rerum Deo conſecratarum; clericis & religioſis intentata vis (*a*). Cum hoc crimine ſæpe conjunctum eſt *ſortilegium*, ceteraque maleficia eorum, qui cum dæmonibus commercia jactitant ad furta invenienda, ad res futuras divinandas, ad amorem aliorum ſibi conciliandum, ad damnum inimicis dandum (*b*). Ejuſdem furfuris ſunt *magia*, *aſtrologia judiciaria*, *chiromancia* ac reliquæ divinationum ſpecies; item conceptiones verborum & characteres certis morbis pellendis aut certis effectibus naturalibus ſufflaminandis. Quum inter hæc remedia & effectus eorum nulla ſit naturalis proportio; ſi qui ſunt, ii dæmoni adſcribendi ſunt, quum Deus nullibi miraculis patrandis ſemet obligaverit. Si nulli ſunt, quod frequentiſſimum eſt, criminis loco tamen eſt profeſſio artium jure divino prohibitarum & animus iis inhiandi. Hæc crimina fere nutrit *ſuperſtitio*, quæ generatim indigitat omnes actiones obtentu religionis ſuſceptas, licet nec publico Eccleſiæ calculo (1) adprobatas, nec utiles ad pietatem (*c*). Notabilis & pertinax ſuperſtitio crimen habetur; ſed plerumque *languentium* aut *ignorantium* (2) morbus eſt. Moribus noſtris laici horum criminum rei non ad judicem eccleſiaſticum vocantur, sed ad laicum, qui de iis cognoſcit, legum regiarum vindex.

maleficiorum, divinatorum,

ſuperſtitioſorum,

CAPUT IX.

De Inquiſitione ejuſque origine.

Origo inquiſitionis

I. INde a quingentis annis hæreſium aliorumque criminum cauſſa conſtituta ſunt peculiaria tribunalia, quæ *inquiſitionum* vocantur, quæve per Italiam Hiſpaniamque, licet in Francia exulent, tantæ ſunt auctoritatis, ut de iis pauca in medium afferre operæ pretium videatur. En eorum natales. Supra diximus, *fratres prædicatores* maxime convertendis Albigenſibus aliiſque hæreticis primum deſtinatos fuiſſe, (3) quod munus ſibi pariter recens inſtituti ſumſere *fratres minores*: quorum animis, dum calerent, utendum cenſuit pontifex, quum maximopere proficerent. Nam *voce* & *ſcriptis* refutarunt hæreticos, principeſque & populos excitarunt, ut pertinaces perſequerentur pellerentque (4). Nume-

ferre integrum foret ex decretis conciliorum, mox ſpeciali diſſertatione colligendas.

(1) Ergo publicum eccleſiæ judicium & approbatio facit, ne aliquid *ſuperſtitionis* in cenſum referri poſſit. Hoc principium in eccleſia Romana magnos ſuperſtitionum peperit cumulos, nec illæ ceſſabunt, quamdiu in hoc principio ſubſiſtitur.

(2) Obſervarunt jam alii, utplurimum hoc morbo affectos fuiſſe monachos, & imprimis quidem mendicantes, qui *ſuperſtitioni* utplurimum adeo deditі fuere, ut fere, quicquid mali inde in eccleſiam derivatum eſt, ex monaſteriis, tanquam ex fonte perenni, fluxerit. Hæc eos plus roboris *ſuperſtitioni* ſuperaddiderunt, quo magis, in ſæculis barbaris, ignorantia per monachos promota fuit. conf. *c. ſeq.* §. 1.

(3) Dominicum hic zelus ſanctus vel quaſi inflavit atque animavit, ut hanc provinciam ſibi poſtularet, & primus *inquiſitor generalis* fieret. Non minori ardore FRANCISCUS in Italia hæreticis bellum indixit, eoſque oppugnavit, ut his duobus ducibus immaniſſima illa inquiſitio, per quam ſævitum eſt in quoſcunque, natales ſuos debere videatur.

(4) En converſionem hæreticorum monaſticam, ſed plus quam barbaram. Tali methodo haud uſus eſt Chriſtus, multo minus Apoſtoli, unde ſequitur, ut Chriſti ſpiritu & Apoſtolico haud ſint prædіti, qui hac *monaſtica methodo* in convertendis hære-

(a) *C. 17. q. 4. c. 2.*
(b) *C. 1. 2. X. de ſortil.*
(c) *C. 26. q. 2. c. 6.*

Numerum conditionemque hæreticorum, cujuſque loci exacte explorarunt; quam diligentes epiſcopi, quam aſſidui principes, quam promti ceteri ex plebe eſſent in extirpandis hæreticis, curate obſervarunt, Romamque retulerunt. Juriſdictione tum quidem deſtituti, animarunt tamen nonnumquam magiſtratus ad proſcribendos vel puniendos hæreticos, ac dynaſtas ad arma ſumenda, populumque ad belli ſocietatem ſigno crucis panneo, pectori affixo, excitarunt, harumque expeditionum ſociis eaſdem *indulgentias* dederunt, quas nacti ſunt, qui ad bellum ſacrum in terram ſanctam profecti.

Lex edictis Friderici II. Imperatoris.

II. Quum Fridericus II. pontifici Honorio III. reconciliatus Paduæ degeret, die 22. Febr. 1224. quatuor edicta promulgaſſe dicitur; quibus ſæcularibus judicibus hæreticos, ab Eccleſia judicatos, puniendos commendavit; obſtinatis ignem ultorem: pœnitentibus carceres perpetuos præſtituit; pœnas adverſus perduellionem & læſæ majeſtatis crimen ad hæreſin extendit, omneſque leges cum jure civili, tum jure canonico adverſus hæreticos latas confirmavit (1) (*a*). Præterea tuendos recepit *inquiſitores*, quod nomen iis, qui hæreticos indagarunt, datum, quodve in quadam lege Theodoſii magni adverſus Manichæos deprehenditur (*b*). Innocentius IV. qui an. 1243. in ſolium Romanum evectus eſt, obſervandis legibus hiſce perpeti cura invigilavit *Dominicanoſque* & *Franciſcanos*, qui Eccleſiæ hac in re utiliſſimam operam navabant, eximia auctoritate ornavit, & Epiſcopis, quibus cognitio de crimine hæreſeos competebat, adjunxit, atque magiſtratibus mandavit, ut, ex judicio *Epiſcoporum* & *Inquiſitorum*, apparitores conducerent, a quibus hæretici in carceres compingerentur, & bona eorum occuparentur. Hoc ipſum præſtitit Innocentius, edita d. 15. Mai. 1252. bulla ad omnes rectores, conſilia & communitates in Longobardia, Æmilia & Marchia Treviſana, 31. articulis propoſitis, qui ſtatutis omnium civitatum inſerti ſunt (*c*). Quorum primo magiſtratus omnes, ſimulatque munera ſua ineunt, jurejurando ad obſervantiam illam adſtringuntur, ni muneribus excidere; & hæreſeos

Inquiſitio Italica.

hæreticis utuntur. Quæ vulgo dubia ex dicto Chriſti: *compelle intrare*, adferuntur, prolixa opera examinata ſunt in tractatu BAELII *dans le Comment. philoſ. ſur les paroles de Jeſus-Chriſt, Contrain-les d'entrer, ou Traité de la tolerance univerſelle.* Ceterum quanta auctoritate terribili inſtructi fuerint hi *inquiſitores* papales, docet INNOCENTII III. inſtructio, data fratribus RAYNERIO & GUIDONI, relata a RAYNALDO *ad ann.* 1198. *n.* 37. vi cujus injunctum eſt principibus, ut quos hi legati anathemate perculiſſent atque hæreticos pronunciaſſent, e ſua ditione ejicerent, bonaque eorum fiſco addicerent; ſi vero in iis ulterius morarentur, morte eos adficerent, id quod ni facerent, anathemate eos, terraſque interdicto ferirent; præterea vero propoſitis præmiis papalibus h. e. indulgentiis, aliorum zelum incitavit, qui legatis ſuis operam auxiliumque in perſequendis hæreticis præſtarent.

(1) Tres omnino leges FRIDERICI II. ſunt, quibus inquiſitionem contra hæreticos magnopere promovit, quas integras refert PHILIPPUS a LIMBORCH *in hiſtor. inquiſ. lib. I. c.* 12. Crudeliores leges vix excogitari potuiſſe crediderim, quibus factum, ut innocentiſſimi etiam, quibus *omnis proclamatio & appellationis beneficium* ſeu omnis defenſio denegata, clericali furori ſubjecti fuerint, qui mox *hæreticos* declararunt, quos ſibi infeſtos crediderunt. Denique ipſum Imperatorem magis ſtudio opprimendi eos, quos odio habebat, quam pietatis has leges tuliſſe, multa ſuadent, de quibus argumenta adfert RAYNALDUS *ad ann.* 1233. *ſ.* 33 *ſeq.* adeo ut GREGORIUS IX. eum admoneret, ne perdendis fidelibus, ſed delendis perfidis operam daret. Verum his ipſis armis, quibus hoſtes impugnabat, mox ipſemet petitus, & anno 1245. a pontifice excommunicatus, imperio privatus, & ſic eidem legi, quam in alios ſtatuerat, ſubjectus fuit.

(a) *Novell. collat.* 10. *Direct. inquiſ. in fin. auth. l.* 10. *C. de hæret. & Manich.*
(b) Vid. *l.* 4. §. 4. *ad mortem quoque inquiſitio extendatur C. de hæret. & Manich.*
(c) *Poſt director. p.* 6.

ſeos ſuſpecti cenſeri malint. Hanc conſtitutionem, paucis mitigatam, ſeptem poſt annis 1259. & poſt eum annis ſex Clemens IV. 1265. renovavit. Sed licet in his tribus provinciis magna eſſet pontificis auctoritas, non tamen ſine maximo labore firmari potuit inquiſitio. Nam compertum fuit, Inquiſitores cæco impetu (1) ferri, nimia ſeveritate opes emungere, officio abuti in vindictam privatam, populoſque ſermonibus ſuis concitare ad ſeditiones, quarum duæ ſunt memorabiies, Mediolanenſis 1242. & Parmenſis 1279. Venetiis inde ab Innocentio IV. omnes pontifices inquiſitionem obtrudere moliebantur, donec Nicolaus IV. an. 1289. rempublicam eo permoveret; de qua re certa conventio inita (*a*) Veneta igitur inquiſitio ex cura Romana non pendet; ſed ducem habet ſententiarum exſecutorem, & rei nummariæ depoſitarium. In urbe tres ſenatores; extra urbem rectores civitatum huic judicio adhibendi ſunt. In Tuſciam an. 1258. receptum eſt hoc tribunal, cui præfecti ſunt familiares D. Franciſci, terræ illius alumni.

Veneta,

Hiſpanica, III. Inſtinctu Raymundi de Pennaforti an. 1233. inquiſitio immigravit in Aragoniam; cognita etiam in nonnullis civitatibus Germaniæ ac Franciæ, præſertim in Occitania, unde ortum habuit; ſed in his haud diu commorata. Regnum Neapolitanum ob diſſidia regum & pontificum intactum manſit ab hoc judicio, quod in Aragonia quoque elanguit, ac in ceteris Hiſpaniæ provinciis vix ulla ſui veſtigia reliquerat. Sed Ferdinandus catholicus, poſt penitus ejectos Mauritanos, quum novorum Chriſtianorum pleroſque videret ad ſimulationem Chriſtiani ritus compoſitos, metu eos, præſertim Judæos, quibus terra affluebat, in officio continendos eſſe cenſuit. Ejus precibus an. 1483. Sixtus IV. dedit bullam, qua Thomas de Turrecremata, Dominicanus & regi a confeſſionibus, qui hoc opus urſerat in primis, conſtitutus eſt *inquiſitor generalis*. Quo nomine an. 1484. conventum egit Hiſpalenſem, ubi univerſus judicii ordo, quo etiamnum utuntur, deſignatus eſt. Idem Thomas an. 1485. confirmatur ab Innocentio VIII. ex quo tempore hoc munus in Hiſpania ſemper fuit maximum atque honorificentiſſimum (2). Interim pontifici nihil juris in inquiſitionem Hiſpanicam, præterquam quod inquiſitorem generalem, quem rex cunctis provinciis præponendum nominat, confirmare ſolet, qui viciſſim ex nutu regis nominat ſingularum provinciarum inquiſitores. Ipſe eſt conſilii inquiſitorii præſes natus abſolutaque præditus poteſtate, ſemperque a latere regis. Conſilium illud leges inquiſitoribus præſcribit, eorum lites decidit, peccata punit, miniſtros inferiores caſtigat, adpellationes recipit, nec niſi regem agnoſcit ſuperiorem, & ex eo pendent ceteræ omnes in Sicilia, Sardinia, ceteriſque Hiſpaniæ terris, immo apud Indos, h. e. in inſulis Philippinis & in Americæ continenti ſtabilitæ in-

Luſitanica quiſitiones (*b*). Luſitaniæ regi Joanni III. an. 1535. Paulus III. Inquiſitionem dedit Hiſpanicæ ſimillimam. Hiſpani hujuſmodi tribunal in regno Neapolitano formaturi impediuntur a pontifice, quia ſubjiciendum foret conſilio inquiſitorio Hiſpanico. Unde in illo regno hæretici judicantur ab Epiſcopis vel a pontificis

id eſt

(1) Tantum horrorem injecere hi inquiſitores ſingulis, ut mallent neſcire & ignorare quæ ad fidem ſunt neceſſaria, quam ſe periculo mortis ſubjicere. Optime AUCTOR *tom. XIX. hiſt. eccl. in diſc. prælim. ſ.* 13. obſervat, ex hac via inquirendi natam eſſe ſummam *ignorantiam* & *hypocriſia*, dum ſecurior ratio ſemet conſervandi alia non erat, quam *ſilere* nec in ſacra placita inquirere.

(2) De ratione hujus tribunalis peculiari, prout etiam nunc obtinet, fuſius agit prælaudatus a LIMBORCH. *lib. I. c.* 20. *p.* 79. unde liquet, poteſtatem eſſe, ut non poſſit non ſummum præjudicium regiæ poteſtati abſolutæ creare.

(a) *Fra Paolo hiſt. dell' inquiſit.*

(b) LUD. A PARAMO *l.* 8. *tit.* 2. *c.* 8. *l.* 2. *tit.* 2. *c.* 3.

id eſt inquiſitorum Romanorum delegatis, quibus tamen venia proregis opus eſt. Simile quid auſi ſunt Hiſpani in Belgio, ubi dux Albanus regnante Philippo II. armata manu rem aggreſſus eſt. Cujus immanitatis metu defecere Batavi cum fœderatis provinciis; nec in reliquo Belgio inquiſitionis ullum monumentum.

IV. In Francia, (1) quum recentiores hæreſes effloreſcerent, querelæ audiebantur de negligentia Epiſcoporum in perquirendis puniendiſque ea labe infectis. Unde decurſum ad judicia extraordinaria. Nam Pariſienſis ſenatus ab Epiſcopis impetravit literas, quibus ſenatoribus clericis vices ſuas demandarunt, ex quibus compoſitum eſt concilium inquiſitorum a Clemente VII. an. 1525. confirmatum (*a*). Sed inciderunt bella civilia & edicta pacificationum, quibus hæc omnia abolita, ut nullum inquiſitionis Francicæ ſuperſit veſtigium, præterquam quod Toloſæ modico ſtipendio alitur quidam e familia dominicanorum, qui inquiſitor audit, ſed ſine ulla functione. *Francica,*

V. Ex hæreſi Lutherana anſam arripuit Paulus III. Romæ inſtaurandi hoc tribunal, quod remiſſum erat ſæpius; inſtituta congregatione cardinalium, cum poteſtate abſoluta de hæreſi ſimilibuſque criminibus cognoſcendi, inquiſitores inſtituendi & deſtituendi, eiſque normam functionum præſcribendi. Quum Sixtus V. diverſas alias congregationes, quæ Romæ florent, inſtituiſſet; huic primum locum adſignavit. Conſtat ea cardinalibus ſeptem ac diverſis miniſtris, præſidemque habet ipſum pontificem, ejuſque poteſtas per omnem Italiam, immo, ſi papam audias, (2) per totum orbem terrarum extenditur. *Romana.*

VI. In terris, quibus inquiſitio recepta eſt, competit ei jus lectionem librorum, qui periculoſi videntur, prohibendi, & prohibitos libros auferendi; eos autem, quorum nonnulla loca ſuſpecta ſunt, expunctis ſuſpectis verſiculis vel vocabulis, corrigendi: ſine qua mutilatione venum exponi nequeunt (*b*). *Index eus purgatorius.*

CAPUT X.

De Proceſſu inquiſitionis.

I. Tribunal inquiſitionis eo nomine maxime terribile ſit, quod noviſſimæ conſtitutiones adverſus hæreticos ſtricte obſervantur, quæ tamen *generales* ſunt, & ex mente legiſlatorum etiam ab ordinariis h. e. ab Epiſcopis ſeu eorum officialibus obſervandæ. Hæ leges volunt, ut qui ſine alia probatione *ſola fama* (3) hæreſeos notam contraxit, adigatur ad purgationem canonicam, quæ fit per *Inquiſiti quomodo puniantur?*

(1) Alexander IV. in Francia rogatu Ludovici regis inquiſitorem fidei inſtituerat, jam anno 1255. Priorem Pariſienſem ordinis prædicatorum; ſed non diu duraſſe videtur hoc tribunal, quippe quod Gallis admodum infeſtum videbatur, ſicuti etiam hodie quoque tale tribunal abominantur.

(2) Anno 1542. Paulus III. tribunal inſtituit, deputavitque ſex Cardinales inquiſitores generales *in omnibus reipublica Chriſtiana locis, tam citra quam ultra montes ubilibet exiſtentibus*, ut docet LIMBORCH *cit. l. lib. I. c.* 29. Pius IV. anno 1564. poteſtatem eorum admodum auxit, nec Pius V. ſuo defuit officio, ſed imprimis brachium ſæculare ubique locorum imploravit, ut hiſce inquiſitoribus ſedulo aſſiſterent, & eorum induſtriam in exſtirpandis hæreticis promoverent.

(3) Id vero omni rationi adverſum eſſe, nemo facile negaverit. Notum eſt, quam lubricum *famæ* indicium ſit, quæ utplurimum ab his, qui nobis infeſti ſunt, originem trahit, quæ tamen mox in inquiſitionem rapit etiam innocentiſſimos. Vel ex

(a) *Preuv. Gall. l.* 2. *c.* 8.

(b) Vid. *præfat. indicis Hiſpan.*

per teſtes juratos: qua de re infra (*a*). Suſpectus autem abjurare debet (*b*). Diſtinguuntur autem tria ſuſpicionum genera; ſuſpicio *levis*, *vehemens* & *violenta*. Vehemens infert præſumtionem juris, contra quam valet probatio, veluti eſus carnis die prohibito; prolatio errorum in rebus fidei. Qui poſt probationem recidit in eamdem ſuſpicionem, habetur pro *relapſo*, licet antea crimen non probatum fuerit (*c*). Suſpicio violenta foret, ſi quis hæreticorum conventicula frequentaret, ſi ultra annum excommunicationem *de cauſſa fidei* perferret. Hæc operatur *præſumtionem juris & de jure*, contra quam nulla admittitur probatio, acceleratque condemnationem hominis tamquam hæretici (*d*). Jam vero qui ex ſuapte confeſſione hæreſeos convincitur, licet reſipiſcat & ejuret errorem, damnatur ad condignam pœnitentiam vel ad perpetuos carceres, ut per omnem vitam in pane & aqua pœniteat. (*e*) Si relapſus eſt, licet reſipiſcat, judici ſæculari ad comburendum traditur, ita tamen, ut ſacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ non denegentur (*f*). Qui convictus impœnitens manet ac pertinax, etiamſi relapſus non ſit, flammis traditur. Idem ſupplicium manet eum, qui aliunde convinci poteſt, licet ipſe neget hæreſin, ac fidem profiteatur catholicam (*g*). Hæ ſunt hæreticorum pœnæ novis legibus conſtitutæ (*h*).

Ordo procedendi. II. Ordo autem procedendi is eſt (1). Inquiſitor mandatum a pontifice vel pontificis vicariis acceptum exhibet Epiſcopo ſeu ejuſdem *vicario generali* & miniſtris tribunalium ſæcularium, hoſque adigit ad jusjurandum de exſecutione legum civilium & eccleſiaſticarum adverſus hæreticos. Primi inquiſitores a principibus literas liberi commeatus & ab eorum miniſtris hoc jusjurandum tam rigide exegerunt, ut, ſi id facere detrectarent, ipſos excommunicarent, officiis removerent, civitateſque interdicto premerent. Sed poſtquam certa tribunalia habent, eorumque juriſdictio agnita eſt; violentis illis mediis abſtinent. Longinquis terris, ſi magnus ei campus eſt aſſignatus, inquiſitor dare poteſt delegatos, ſibimetque adjungere *vicarium generalem*. Habet autem promotorem ſeu fiſcalem, (2) ſcribam, qui aliunde debet eſſe perſona publica, veluti notarius apoſto-

ex hoc ſolo *crudelitas* hujus tribunalis cognoſci poteſt. Optime de hac *diffamatione*, qua onerari ſolent viri honeſti & pii, ediſſerit JO. LASSENIUS in tr. quem inſcribit: *arcana politico-Atheiſtica*, ubi p. 199. hoc *axioma politico-atheiſticum* ponit: *ſi bonum noveris, argutiis tuis contrarium, remedium, hæreticum dicito, obtinebis omnia: religionis magna vis*. Nemo non ignorat ſtatum clericorum corruptiſſimum, adeoque inde ſimul colligit, nihil facilius fuiſſe, quam ſub horum dominatu tyrannico quaſcunque perpeti calamitates, ſub prætextu, quod *favor fidei* hoc ſuadeat.

(1) De ordine procedendi contra hæreticos, & omnibus aliis quæ ad officium inquiſitorum contra hæreticam pravitatem ſpectant, ex mente Romanæ eccleſiæ fuſius agit JOANNES CALDERINUS *in tr. de hæreticis*, cui jungendæ ſunt *quæſtiones XXV. quæ frequentiori uſu in materia fiſcali coram judicibus fiſci ſ. inquiſitionis controverti ſolent*, collectæ a GABRIELE a QUEMADA. Infinitas etiam irregularitates in hoc proceſſu collegit JOANNES a ROYAS quas vocat *ſingularia in favorem fidei*, quæ revera *ſingularia* ſunt, quia ab omni jure & ratione exorbitant.

(2) Prolixior eſt tractatio de miniſtris hujus inquiſitionis, ut hic referri poſſit. Planiſſime omnia conquiſivit a LIMBORCH in *hiſtor. inquiſ. lib. II.* ubi *c. II.* agit de *inquiſitoribus*: *c. III.* de *vicariis & ſociis inquiſitoris*; *c. IV.* de *aſſeſſoribus & conſultoribus neceſſariis pro officio inquiſitionis*:

(a) *Director. inquiſ. part.* 3. *c.* 38.
(b) C. 13. *adjicimus X. de hæret.* C. 8. *de hæret. in* 6.
(c) C. 8. *eod.* (d) C. 7. *eod.*
(e) C. 9. *c.* 15. *X. de hæret.* (f) C. 4. *de hæret. in* 6.
(g) *Concil. Biterrit.* 1246. *c.* 9. *C.* 13. *X. de hæret.*
(h) *Direct. inquiſ. p.* 2. *c.* 34.

apoſtolicus, pluresque *familiares*, qui ſuæ & inquiſitoris ſecuritati arma geſtant, ſuſpectos in vincula rapiunt, ſecretique plerumque ſunt denuntiatores. Pro natura & moribus provinciæ plures vel pauciores miniſtros habet, & quum in Hiſpania plurimum poſſit, duodecim miniſtrorum numerantur genera: quo ipſo ejus juriſdictio mirifice amplificatur, quum omnes illi homines in cauſſis cum *civilibus*, tum *criminalibus*, coram inquiſitione non ſolum conveniendi ſint, ſed & ipſi alios conveniant (*a*).

III. Inquiſitor munus ſuum ſolemni oratione in æde primaria, in qua proponit *edictum fidei* (1), auſpicatur. Sic adpellant monitum generale ad omnes homines, ut intra certum tempus eos omnes, qui hæreſeos, apoſtaſiæ ac ſimilium criminum ſuſpecti ſunt, denuntient, revelentque, quæ norint. Terminus præſtituitur 30. vel 40. dierum, intra quem qui veniunt ac ſemet ipſos accuſant, liberantur a pœnis conſuetis: unde *terminus gratiæ* audit. Hoc edictum non ſolum ſub auſpiciis muneris, ſed etiam in *viſitationibus* proponi ſolet. Poſthæc accuſationibus vel denuntiationibus aures præbet, vel ex officio, ut judex ordinarius, ex ſola forma inquirit, & ſuſpectum, ſi gravatus eſt, in carcerem abripiendum jubet, interrogatque, licet tumultuarie, quia novæ leges permittunt, ut cauſſæ hæreticorum ſummariter tractentur, & hæreſeos crimen, ceteris omnibus execrabilius, nullum favorem (2) mereri videtur. Inquiſitor autem cuncta alta nocte premit, ne accuſati vel ignem ultorem effugere, vel erroribus ceteros contaminare queant. Præparata cauſſa, adhibito Epiſcopo vel vicario ſuo generali, itemque doctorum vel aliorum proborum virorum concilio, ſententiam profert (*b*). Sentencia autem pro varietate diffamationis, ſuſpicionis, convictionis, item pœnitentiæ & impœnitentiæ, eſt varia. Pronunciatur autem in loco publico, cum debita ſolemnitate: (3) & hoc ipſum eſt, quod Hiſpani ACTUM FIDEI

a monitoriis,

---

nis: c. V. de *promotore fiſcali*, *c. VI.* de *notariis inquiſitionis*: *VII.* de *judice & receptore bonorum publicatorum*: *c. VIII.* de *exemtore & officialibus inquiſitionis*: *c. IX.* de *familiaribus* ſive *ſtipatoribus*.

(1) De hoc *edicto fidei* agit LIMBORCH *cit. tr. lib. IV. c.* 2. obſervatque, magna cum ſolennitate illud proponi die dominico præſtituto. Quin, ut illius diei ſolennitas tanto major ſit, omnes ſermones eo die ſuſpenduntur, atque indulgentiæ XL. dierum ad ſermonem illum venientibus promittuntur. Hoc facto, per ſuum Notatium ex ambone prælegi jubet *literas monitorias*, quæ ſunt ipſum *fidei edictum*, quod exhibet prælaudatus AUCTOR *p.* 246.

(2) Meretur tamen eum favorem, ne *tumultuarie* procedatur, quod tamen, ipſo Auctore obſervante, fit, quo ipſo nihil crudelius excogitari potuit. Inde propullularunt egregia illa dogmata de *notorio*, ut ſine proceſſu in eo mox procedatur ad executionem.

(3) Plures huc pertinent obſervationes, quæ *actum fidei* abſolvunt, relatæ a LIMBORCHIO *cit. l. lib. IV. c.* 41. 1. Inquiſitor diem dominicum vel feſtum huic actui præfigit; 2. hunc parochi in ſingulis eccleſiis populo denunciant, & eccleſiam nominant, in qua inquiſitor ſermonem *de fide* habiturus ſit: 3. omnibus huc confluentibus promittitur indulgentia XL. dierum: 4. pridie hujus dei ſolennis e carceribus ad publicum actum fidei deducendi comam & barbam deponunt, ut deſignent, hæreticos in eam formam, in qua nati ſunt, rediiſſe h. e. in filios iræ; 5. captivi, ornatu, quo in publicum ſpectaculum prodituri ſunt, inducuntur, diverſo tamen modo, prout vel pœnitentes vel impœnitentes vel relapſi ſunt, ut IDEM *p.* 369. declarat: 6. poſt ſolis ortum eccleſiæ cathedralis major campana ſonat, omneſque ad miſerandum ſpectaculum invitat: 7. honoratiores accedunt ad domum inquiſitionis, ut rei cujuſque latus cingant: 8. Notarius S. officii nomina captivorum recitat eo ordine, quo ſinguli nudis pedibus in proceſſione ire debeant, ſimulque fidejuſſores ex honoratioribus deſignat, qui eorum latera cingant: 9. Proceſſionem præcedunt Dominicani cum vexillo ſ. officii: 10. templum intrantes ſedibus locantur deſignatis, inquiſitore

(a) *Direct. part.* 3. *pet tot.* PARAMO *de inquiſ. Tolet. l.* 3. 4. 5.
(b) *C.* 20. *de hæret. in* 6.
(c) *Cl.* 1. *de hæret.*

FIDEI (*Auto de fe*) adpellant. Quem ut tanto celebriorem reddant, plerumque plures diverſorum criminum reos aſſervant, quos ſimul ſupplicio tradant. Attollunt in loco frequenti ſuggeſtum, ex quo inquiſitor vel ſocius verba facit ad populum de *fide*, deque erroribus reorum, quos in ſublimi loco expoſitos oſtendit populo. Denique ſententia fertur ac ſinguli ſine mora perimuntur.

IV. Qui convicti aut violenta ſuſpicione gravati, ſed pœnitentes ſunt, ii publice abjurata hæreſi abſolvuntur ab excommunicatione. Inſigne pœnitentis accipiunt veſtem, quam *ſaccum benedictum* (*ſanbenito*) vocant, quæ eſt inſtar humeralis, cruce Andreana a tergo & in pectore ſignatam, quamque, quoad vivunt, geſtare, ac certis diebus ad portam eccleſiæ cum cereo accenſo in manibus ſe ſiſtere, vel ſimilem pœnitentiam agere tenentur. Nonnumquam in perpetuum carcerem detruduntur (*a*). Qui convicti ſunt & impœnitentes, vel pœnitentes & relapſi; illi, ſi ſunt in ordinibus, de gradu dejecti, curiæ ſæculari traduntur ad ſupplicium (*b*). Equidem ſententiæ inſeritur formula, qua inquiſitor & epiſcopus efficaciter intercedunt, ut citra mortis periculum judex ſententiam moderetur (*c*). Sed formula nuda eſt, qua eccleſiaſtici judices irregularitatis ſuſpicionem amoliuntur. Nam ſi judex vel recuſaret, vel momentum differret exſequi leges imperiales, quæ ultimum ſupplicium in hæreticos conſtituunt, excommunicandus (1) foret (*d*). Ad omnem ſcrupulum amovendum, Paulus IV. ab hoc irregularitatis genere immunes declaravit; qui præſente pontifice in cauſſis criminalibus conſulti ſuffragantur ad mortem vel corporis mutilationem: quod a Pio V. probatum & ad omnes inquiſitores eorumque conſiliarios extenſum eſt (*e*). Actibus fidei interſunt judices laici eorumque miniſtri, quibus ſimulatque rei traditi ſunt, diſcedunt eccleſiaſtici, laiciſque permittunt, ut ſententiam reddant, exſequanturque ſubito. Atque hoc eſt in Hiſpania omnium ſpectaculorum maximum: quod ut eo terribilius reddant, impœnitentes, ſaccis nigris, quibus flammæ infernales & dæmonum figuræ depictæ, indutos, in rogum conjiciunt. Hac ſeveritate opus eſſe exiſtimant, ut metu mali quidquid Judæorum ac Maurorum ſupereſt, qui ingenium nondum mutarunt, in officio contineatur.

Inquiſitio, in Francia caul, improbatur. V. Alia Francis ſedet ſententia, perſuaſis, ad ulciſcenda crimina eccleſiaſtica, quum epiſcoporum ſufficiat auctoritas, opus non eſſe delegatis extra ordinem, qui ad ultimum in tribunal ordinarium abire poſſent. Nam verendum eſt, ne homines, alienæ juriſdictionis adminiſtri, mandati regulas migrent, culpaſque ac ſuſpiciones augeant exaggerentque, ut ſit, quod agant. Porro inconcinnum eſt, ut in terris, in quibus per duo ſæcula hæretici non tolerantur, quotidie hæretici vel apoſtatæ inventi puniantur. Præterea metus ille *hypocritas* quidem; at *vere Chriſtianos* non faciet. Severitas utilis eſt reprimendis naſcentibus

tore cum ſuis conſiliariis thronum a dextera occupante, rege vero thronum a ſiniſtra: 11. Tum ſermo a Dominicano quodam habetur *de fide & officio inquiſitionis*, in quo actus fidei potiſſimum collocari ſolet: 12. finito ſermone duo lectores cathedram alternis conſcendunt, & ſententias in ſingulos latas prælegunt.

(1) En hypocriſin turpiſſimam! mortem eorum & quidem acerbiſſimam intendunt, pro quibus intercedunt: ne eccleſia ſanguinem ſitire videatur, hunc agunt ludum, in quo crudeli appetitu ſanguinem hæreticorum ſitiunt, in quo mores primitivæ eccleſiæ mitiſſimos prorſus depoſuerunt, & ſub veſte ovina lupum omnia devorantem tegunt. Hæc vero AUCTOR prudentiſſimus ita enarrat, ut ſimul oſtendat, ſe ea minime cum cordatioribus approbare, ut etiam *§. ſeq.* declarat.

(a) PARAMO *l. 1. t. 2. c. 5.*
(b) *C. 9. X. de hæret.*
(c) *C. 27. X. de verb. ſignif.*
(d) *C. 8. de hæret. in 6.*
(e) PEGNA *in 2. part. direct. comm.* 20.

Digitized by Google

bus hæreſibus; ſed ſi omni tempore atque omni loco ad præſcriptum legum ſtricte adhibetur, ſacra noſtra exoſa reddit, efficitque, ut juſtitiæ obtentu maxima mala patrentur. Haud poſtrema pars libertatis eccleſiæ Gallicanæ in eo poſita eſt, quod has novas leges & hæc nova tribunalia, quæ nihil cum indole veteris eccleſiæ commune habent, procul habuimus.

CAPUT XI.

De Simonia.

I. MAximum poſt hæreſin crimen eſt *ſimonia*, quam & ipſam veteres ſæpe hæreſin adpellant, quum vix fieri poſſe credant, ut ad emendas res ſpirituales accedat, qui a fide non aberraverit (1). Huic crimini nomen a Simone Mago, primo hæreſiarcha, qui Petro pro donorum divinorum communicatione aurum obtulit (*a*). Celebre ejuſdem criminis exemplum eſt in Veteri Teſtamento Gehaſi, (2) Eliæ prophetæ famulus (*b*). Obſervandum itaque eſt præceptum domini, apoſtolos ad prædicandum & mirabilia opera edenda emittentis, ac dicentis: *Gratis accepiſtis, gratis dabitis* (*c*). Non vero imitandi ſunt falſi doctores, quorum meminit Paulus, qui religionem *quæſtui habent* (*d*). Majore ignominia verbum Dei & ſacramenta obrui nequeunt, quam ſi rebus profanis ac pretio parabilibus æquiparantur; nec miniſterium eccleſiaſticum turpius fœdatur, quam ſi in matrimonium ac quæſtum vertitur (3). *Simoniaci unde audiant?*

II. Simoniaci ergo ſunt, qui prædicationem verbi & ſacramentorum adminiſtrationem emunt vendunt, ſic, ut docere, baptizare, remittere peccata, ſine pretio recuſent. Simoniaci ſunt, qui ordinationem epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, aliorumque eccleſiæ miniſtrorum, & per conſequens collationem officiorum, & beneficiorum eccleſiaſticorum emunt vendunt. Nec ſolum collatio officiorum & beneficiorum; ſed & omnes actus eo pertinentes, ut electio, confirmatio, nominatio, præſentatio, reſignatio, exploratio, poſſeſſio, inauguratio, inſtrumentorum expeditio, debent eſſe gratuitæ (4) (*e*). Damnatur etiam ſubt i- *qui ſint?*

(1) Alii ut MOREAU *de la ſimonie c.* 23. hanc addit rationem, quod Simoniaci infinita ſubterſugia excogitare ſoleant, quibus ſimoniam tegant, & ita per indirectum eam defendant, ut licitam & ut permiſſam. Quis vero curiam Romanam hac ratione ab hæreſi excuſabit, quæ itidem ſubterſugia talia conquirere ſolet, quibus praxin ſuam tegit, contra quam ex profeſſo ſcripſit LAUNOIUS *de veneranda eccleſ. Romana circa Simoniam traditione*. Ceterum de Simonia præter LAUNOIUM egerunt JOANNES ANSILLON. MAURITIUS, PERTSCHIUS, JAEGERUS aliique. *

* Tantum abeſt ut in Eccleſia Romana Simoniaci excuſari poſſint, ut graviſſimæ in illos pœnæ ſtatutæ fuerint, definitumque ſit id omne, quod hoc peccatum conſtituat.

(2) Impoſturam quidem ſingularem per *ſimulationem* commiſit, ſed non ſimile delictum, quod Simon, intentabat, adeoque fruſtra ad hoc provocatur exemplum.

(3) Ita rectiſſime Auctor ſubducit rationes, ſimulque tacite notat praxin communem, ſecundum quam plerique magis quæſtum quærunt in beneficiis, quam ut officio ſacro debito modo præſint, bonumque verum eccleſiæ quærant. Si ergo in hoc Simonia committitur, heu quam læta ſeges Simoniacorum ubique deprehenditur!

(4) Quid ergo de curiis Romanis dicendum, in quibus hæc omnia ingenti redimuntur pretio, & abſque ære gravi nihil impetrari ſolet? An hæ habent ſingulare privilegium, quo impune has redemtiones exercere poſſint? Hoc ſi deeſt, uti omnino deeſt, vel in iis non committitur Simo-

(a) ACT. *VIII.* 18. (b) 2. *Reg. V.* 20.
(c) MATTH. *X.* 8. (d) 1. TIM. *VI.* 5. (e) *C.* 1. *q.* 3. *c.* 8.

ſubtilitas argutantium, *officium* quidem eſſe debere *gratuitum*; *beneficium* autem *pretio* æſtimari poſſe. Nam beneficium ita officio innexum eſt, ut ab eo pactis privatorum ſeparari nequeat. Officium autem eſt res mere ſpiritualis (*a*). Diſpenſatorum & defenſorum officium olim verſabatur in bonis eccleſiæ externis, & tamen concilium Chalcedonenſe illud æque ac cetera omnia vendi prohibuit (*b*). Canonum jure ſimoniaci ſunt, qui aliquid exigunt pro licentia docendi (*c*); pro admiſſione ad vitam religioſam, cui pœnitentia & uberior perfectio propoſita eſſe debet (*d*); pro ſepultura eccleſiaſtica; pro conſecratione eccleſiarum; pro benedictione nuptiali (*e*). Hæ fere res illæ ſunt, quæ in quæſtum verti non debent.

non pretiſe ementes, III. Pretium, quod prohibetur, non conſiſtit ſolum in pecunia numerata; ſed & in quavis re, quæ pecunia æſtimari poteſt; immo & in officiis alteri præſtitis, licet æſtimationis ſint incertæ. Beneficia, quandoquidem de his maxime ſermo eſt, dignitati perſonarum; non gratiæ, non retributioni, non aliis externis cauſſis danda ſunt. Commendationibus tantum dignitas perſonarum collatoribus eſt proponenda.

ſed quovis pacto ſibi proſpicientes, IV. Venditionis vocabulo intelliguntur omnes contractus venditioni affines; ut locatio, conductio, cenſus conſtitutio (1). Nam iis temporibus, quibus feuda & bona cenſitica conſtitui cœpere, idem de beneficiis eccleſiaſticis nonnulli facere audebant: quod improbatum (*f*). Prohibitum eſt etiam rem ſpiritualem beneficiorum licet cum re temporali locare. Horum contractuum anima eſt conſenſus, quem in hoc argumento ſemper eruere magni laboris eſt, & ad crimen determinandum neceſſarium. Non enim abſolute prohibemur occaſione functionum ſpiritualium accipere, quod donatur (2) non ex *pacto* (*g*). Chriſtus ipſe apoſtolis permittit vivere ſumtibus eorum, quos docent, quum dignus ſit, qui laborat, mercede ſua (*h*). Ipſe indulſit, ut ſanctæ mulieres comites de bonis ſuis ei ſuppeditarent (*i*). Ut ſacerdotes veteris Teſtamenti vixere ex alta-

---

Simonia, vel Romana curia, omnibus ad imitandum propoſita, præ ceteris hoc vitio infecta eſt. Ego vero facile patrocinium eccleſiæ Romanæ præberem, ſi opus eſſet, oſtenderemque, in his negotiis expediendis pro certo pretio tale vitium non deprehendi, quod Simoni attribuunt, quamvis ſi in exceſſu peccetur, notam *avaritiæ* non effugiant accipientes. Neque enim, quod ſufficit, his redemtionibus *ſpiritualium* emtio intenditur, alioquin nec ſalva conſcientia fructus beneficiorum percipi poſſent, qui pro *officio ſpirituali* percipiuntur.

(1) Interim tamen pontifices utplurimum cenſum ſibi reſervarunt pro conceſſione exemtionum aliorumque jurium. Praxin hanc ita excuſat pontifex in *c.* 6. *X. de relig. dom. nos quoque cum libertatis privilegium vel protectionis præſidium aliquibus eccleſiis indulgemus, gratis accipimus cenſum gratis oblatum, & in literis noſtris ad ſucceſſorum noſtrorum memoriam cenſus etiam exprimimus quantitatem*. Vides involucra, quibus ſeſe hoc vitium (loquor ex hypotheſi Romanæ eccleſiæ) tegat. Gratis quod offertur, non conſtituit Simoniam, & tamen niſi offeratur, nihil impetratur.

(2) Hoc modo honoraria a Simonia excuſari ſolent, quod *pactum* in iis deſit. Hoc modo forſan ſe purgabit eccleſia Romana, quod nunquam paciſcatur cum illis, quibus per *bullas* vel *ſignaturas* aliquid concedit. Quia vero Roma nihil gratis præſtat, evidens eſt, hos, qui aliquid in curia hac petunt, tacite promittere, ſe pretia conſueta ſoluturos eſſe. Sic pactum quidem deeſt *expreſſum*, nunquam *tacitum*.

(a) *Pragmat. de elect.* §. 4. *& de annat. Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *c.* 14. *ſtat. Bleſ. art.* 20. (b) *C.* 1. *q.* 1. *c.* 8. (c) *t. t. X. de magiſtr.*
(d) *C.* 40. *X. de ſimon.* (e) *C.* 8. *c.* 9. *eod.*
(f) *t. t. X. ne prælati vices.*
(g) *C.* 18. *X. de ſim.*
(h) *Luc. X.* 7. (i) *Luc. VIII.* 3.

altari; ſic dominus vult, ut annuntiantes evangelium ex evangelio vivant. Et ſi populo ſpiritualia profundimus, quid juſtius, quam ut temporalia metamus (*a*)?

non retributionem ſponte oblatam accipientes.

V. Igitur diſtinguendum inter *retributionem permiſſam*, & inter quæſtum ſeu *mercimonium* prohibitum. Non enim ſimoniacum eſt, accipere, quod ſponte offertur intuitu functionum noſtrarum ſacrarum; licet canones hoc nonnumquam ad majorem cautionem prohibuerint, quia in foro externo haud facile diſcernitur, num retributio ſit plane libera, neque arte quadam ab accipiente elicita. Nec ſimoniacum eſt, accipere, immo & in judicio proſequi (1), retributiones, veteri obſervantia, legibuſque & ſtatutis locorum præſcriptas (*b*); licet ab initio innoxiæ non fuerint: modo animus purus, nec alia ſit intentio, quam ut neceſſaria vitæ ſubſidia habeamus. Ex hoc principio excuſantur annatæ & quidquid pontifici datur pro beneficiorum proviſionibus, quod ſpeciem tributi præbet, quale eccleſia neceſſitatibus aulæ Romanæ ſuppeditandum recepit (*c*). Idem dicendum de jure deportus; de juribus tabularii, & cancellariæ, quæ uſu invaleſcere poſſunt, ſi ſint modica (*d*).

Simonia multiplex

VI. Simoniacum autem eſt, de re ſpirituali quocumque modo paciſci aut conventionem inire, veluti ſi dicerem: Non prædicabo, non ſacramentum hocce adminiſtrabo, non conferam, non reſignabo tibi hoc beneficium, niſi dederis mihi centum. Vel ſi alter diceret: Quod tibi dari vis, ut des? Immo ne quidem diſerta & craſſa hujuſmodi conventione, ſed animo ſolo ſimonia committitur, quibuſcumque verbis utaris, immo etiamſi verba non interveniant (2), quum Deus cor reſpiciat; immo ne quidem opus eſt, ut conventio impleta ſit. Interim hi diverſi gradus naturam criminis alterant. Unde doctores diſtinguunt inter ſimoniam *mentalem*, *conventionalem* & *realem* (*e*). *Mentalis* eſt, quæ intra voluntatem ſubſiſtit, nec in actum externum prorumpit, veluti ſi collatori munuſculum offero ſub ſpe obtinendi beneficii; de qua tamen nullam mentionem facio. Hæc ſimonia, ad forum conſcientiæ remittenda, in foro externo habet impunitatem. *Conventionalis* eſt, quæ ſe exſerit per pactum expreſſum vel tacitum verbis ac ſignis declaratum: ſic ut alter alterius propoſitum perſpexerit, licet impletum non ſit. Horum uterque plecti poteſt in foro externo. *Realis* denique ea eſt, quæ utrimque adimpleta. Et hanc quidem maxime deteſtantur canones, qui omnes ad eam concurrentes, veluti proxenetas; depoſitarios, ſimoniacos declarant.

mentalis, conventionalis, realis.

pœnæ.

VII. Pœnæ hujus criminis ſunt, clericorum quidem, dejectio e gradu; laicorum excommunicatio (3). Præterea ſimoniaci nullum ex hoc crimine fructum repor-

---

(1) Non improbo Auctoris ſententiam; aſt ſimul inde infero, vix dari caſum, quo non excuſari poſſit hoc vitium, ſi *ambitum eccleſiaſticum* excipias.

(2) Sed ita excuſatio, quam Auctor in gratiam curiæ Rom. adfert, corruit, quia licet hic deſit *pactum*, ut dixi modo, mente tamen intenditur datio pretii conſueti pro pallio, pro confirmationibus &c. imo etiam curia Romana mente quoque pretium hoc intendit, & pro illo omnia expedit.

(3) Et jurium, quibus abutuntur, privatio. Sic patroni eccleſias vendentes merito jure patronatus privantur. Imperatoribus imprimis hoc vitium imputatum eſt in collationibus epiſcopatuum, nec negari poteſt, magnopere hic peccatum fuiſſe, ut tempora HENRICI IV. & V. docent. Utrum vero pontifici ex hac cauſa jus fuerit, imperatores, jure ſuo abutentes, inveſtitura hac privandi, vel inde dubium eſt, quod pontificis poteſtas tam exorbitans in imperatores & reges nondum probata fuerit.

(a) 1. *Cor. IX.* 3. *Vid. part. II. c.* 10. (b) *C.* 42. *X. de ſim.*
(c) *S. Thomas* 2. *q.* 200. *art.* 2. 3. *Pragmat. de annat.* §. *voluit tamen.*
(d) *Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 1.
(e) NAVARR. *Man. c.* 23. *n.* 103. *&c. Gloſſ. in c. un. de Cleric. non reſid. in* 6.

reportare debent. Unde veteres canones ordinationes ſimoniacas irritas declararunt, i. e. illicitas, prout de hæreticis diximus; ut, qui ita ordinati ſunt, officium facere non poſſint, ni irregulares videri velint. Collatio beneficii ſimoniaca abſolute nulla eſt, & beneficium vacuum manet ac *impetrabile*; immo poſſeſſor ſimoniacus ad fructus perceptos reſtituendos obligatur. Immo etiam ceteris beneficiis, ſi qua habet, excidit ſpoliaturque.

confidentia eſt Simoniæ ſpecies.

VIII. Simoniæ ſpecies vel adjunctum ſæpe eſt *fiducia*, (1) quam in cauſſis beneficiariis haud inconcinne *fideicommiſſum* adpellares. Eſt enim pactum, quo alteri beneficium ea lege traditur, ut fructus, vel poſt certum tempus ipſum titulum, alteri reddat Prioris exemplum ſit militum ductor, qui impetratum a rege pingue beneficium conferendum curat in fratrem aut ſacellanum, ut modica penſione contentus majorem redituum partem ipſi tradat. Poſterius faciunt, qui pingue quoddam beneficium, univerſæ familiæ alendæ idoneum, familiæ ſervaturi, poſt mortem titulati curant, ut beneficium conferatur amico, qui id veluti depoſitum cuſtodiat, dum puer e familia, cui id deſtinatur, legitimam ætatem attigerit. Hæc ingenioſa fraus exeunte ſæculo XVI. Francis noſtris fuit commendatiſſima, quum multa majora beneficia, immo & epiſcopatus, alieno nomine poſſiderentur a feminis & ab hæreticis. Hujus criminis eædem pœnæ ſunt, quæ ſimoniæ. Nam præter reſtitutionem locum habet excommunicatio ipſo facto & omnium reliquorum beneficiorum privatio (*a*).

CAPUT XII.

De homicidio & de concubinatu.

Aſſaſſinia

I. HActenus de criminibus, quibus maxime divina majeſtas læditur; ſequuntur, quæ in homines committuntur, in quibus familiam ducit homicidium, (2) homicidiique atrociſſima ſpecies aſſaſſinium, quod conſiſtit in locata opera ad occidendum alterum. Concilium Lugdunenſe II non ſolum in hos homines, & qui eorum operam conducunt; ſed etiam in eorum fautores & receptatores ſtatuit excommunicationem & privationem omnium officiorum & beneficiorum (*b*). Duella quoque legibus eccleſiaſticis (*c*) prohibita ſunt, ex quo barbarorum moribus inveterata publice inibantur, æque ac torneamenta (*d*). Ut ſepultura eccleſiaſtica privandi ſint, qui in duellis occumbunt (*e*). Sed hæc

duella, torneamenta,

(1) Plures obſervationes circa hanc materiam tangit atque examinat FLAMINIUS PARISIUS *de confidentia beneficiali*, ita tamen eas explicat, ut hæc *fiducia* ſemper a vitio purgari poſſit. In fraudem legis hanc tendere & excogitatam fuiſſe, nemo negaverit; ſed quid non mortalia pectora cogit uſus inveteratus?

(2) Cum in jure canonico unice in hunc finem *criminum* materia tradatur, ut cenſuræ, in ea conſtitutæ per concilia & pontificum decreta, inde liqueant, commentatione prolixiori ſuperſedebo, cum *criminum* primaria ratio in jure civili excutienda ſit. Paucis tantum obſervo: I. olim quævis crimina graviora, quatenus publice nota erant, ejectione punita fuiſſe, ut eccleſiæ ſua conſtaret integritas: II. ejectos tamen, peracta duriori pœnitentia receptos fuiſſe. III. paulatim tamen ubi pro occultis etiam criminibus ſatisfaciendum eſſe conſtituerunt doctores eccleſiæ, pœnitentiarum varia genera introducta fuiſſe, a delinquentibus per certa annorum curricula ſubeunda, de quibus antiquorum conciliorum canones pleni ſunt.

(a) *Conſtit. Pii V. d. 1. Jun. 1569.*
(b) *C. 1. de homic. in 6.*
(c) *t. t. X. de purg. vulg. t. t. X. de cleric. pugn. in duell.*
(d) *t. t. X. de torn. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 19.*
(e) *Conſtit. Pii V. d. 1. Nov. 1567.*

hæc male obſervantur, belle ſuccedentibus torneamentis, & in Hiſpania concurſationibus cum tauris, quæ ſub iiſdem pœnis ſunt prohibitæ. Sunt etiam ſeveræ pœnæ ſtatutæ in eos, qui abortus procurant, animaſque infantium baptiſmo privatorum ſalute privant (*a*); in parentes, qui partum exponunt; qui infantes in lecto ſecum jacentes in ſomno ſuffocant (*b*). *procurationes abortus prohibitæ.*

II. Homicidium clericorum, & quævis clerico illata vis, acerbiſſime vindicatur. Qui clericum extra caſum inculpatæ tutelæ verberibus afficit, ipſo facto (1) excommunicatus cenſetur (*c*); & qui vaſallus epiſcopi aut patronus preſbyteri cædem molitur, feudo vel jure patronatus excidit (*d*). Similiter clerici, qui aliis vim inferunt, atrocibus pœnis caſtigantur. Iis enim, ne quidem juſto bello, arma geſtare permiſſum (*e*). Clericus percuſſor officio privatur (*f*), & ſi quem, etiam caſu, occidit, irregularis fit, niſi caſus prævideri non potuit, & clericus verſatus ſit in re licita, veluti ſacerdos ille, qui tintinnabulum pulſans impulſu illo tintinnabulum præcipitavit in puerum adſtantem, qui necatus eſt (*g*). Qui ſemetipſos interimunt, peccatores impœnitentes habentur, privanturque eccleſiaſtica ſepultura & precum fructu. (*h*). *homicidæ,*

III. Proximum ab homicidio crimen eſt adulterium, quo pertinent omnes illicitæ conjunctiones, quibus genuini natales vitiantur, natique opprobrio & infamia obruuntur. Hujus generis crimina ad præſcriptum juris divini ſevere ulciſcitur eccleſia, virique adulterium æque ac uxoris, ſi noſcitur, condemnat (*i*). In Francia tamen judex Eccleſiaſticus in laicis adulteros in foro externo non animadvertit. Adulterium impedit matrimonium, contrahendum inter eos, qui id commiſerunt promiſſo matrimonio, ſi liberi fuerint (*k*). Omnis conjunctio vel concubinatus vivo marito aut vivente uxore eſt revera adulterium. *adulteri qui ſint*

IV. Concubinatus, jure civili toleratus vel ſaltem impunitus, jure eccleſiaſtico crimen reputatur (2). Laici, ſive conjugati, ſive cælibes, in hoc crimine hærentes, ab ordinario ex officio ſunt reprehendendi, & poſt trinam admonitionem, ſi parere nolunt, excommunicandi. (*l*) Concubinæ autem ex locis, quibus ſcandalo ſunt, manu militari expelluntur. Clericorum concubinatus majus flagitium involvit, primis ſæculis inauditum. Non enim ordinabantur, niſi qui lecti & aſſidua probitate conſpicui eſſent; inferiores autem, quorum major numerus, plerique uxores habuere. Sed ſæculo X. clericorum, etiam presbyterorum concubinatus publico uſu ſic vulgatus erat, ut propemodum permiſſus crederetur. Unde plures conſtitutiones natæ (*m*). Plebi injunctum, ne Miſſam con- *concubinatus prohibitus.*

---

(1) Hoc facinus *ſacrilegium grande* conſtituit, quia clericus ſpiritualis & ſacrata perſona eſt, cujus violatione Deus ipſe lædi videtur. Nec ab hoc reatu excipiuntur reges & principes, qui prælatum forſan carceribus mancipant, ſed ut ſecuri tutique eſſe poſſint, petere debent ad minimum abſolutionem ad cautelam, ut loquuntur.

(2) Nec a ſtupro & fornicatione diſtinguitur. Unde pedetentim factum, ut jura olim concubinatui, legibus permiſſo, data, ad ſtuprum & liberos inde natos hodie applicata fuerint. Sic olim naturales tantum legitimabantur, quod hodie ad eos, qui ex ſtupro nati ſunt, applicant: olim ex ſtupro natis alimenta non debebantur, bene tamen naturalibus, quod hodie ex ſtupro natis applicatur &c.

(a) *C. 20. X. de homic.*
(b) *C. ult. X. de his qui fil. occid.*
(c) *C. 17. q. 4. c. 29.*
(d) *C. 12. X. de pœnis.*
(e) *C. 23. q. 8. c. 6.*
(f) *C. 1. X. de cler. percuſſ.*
(g) *C. 23. X. de homicid.*
(h) *C. 25. q. 1. c. 12.*
(i) *C. 32. q. 1. c. ult.*
(k) *C. 31. q. 1. c. 5.*
(l) *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 8.*
(m) PETRUS DAMIAN. *opuſc. 12. in opuſc. 18. c. 4. & differt. 2.*

concubinarii frequentet, officio privandi (*a*). Sed malo intenſo, pœnarum rigor remiſſus. Ex ſententia Concilii Baſileenſis (*b*) hujuſmodi homines ſtatim fructu trimeſtri beneficiorum, &, ſi intra terminum concubinas non dimittunt, ipſis beneficiis privandi ſunt. Si qui ad vomitum redeunt, irregulares cenſentur. Concinit huic decreto jus noſtrum (*c*), temperatque Concilium Tridentinum, (*d*) ſtatuendo, ut poſt primam admonitionem tertia ; poſt ſecundam omnibus fructibus priventur & ſuſpendantur; poſt tertiam beneficio deſtituantur & irregulares cenſeantur. Si redeunt ad ingenium, excommunicantur. Concubinæ autem intuitu clericorum non ſolum eæ reputantur, de quibus id certum eſt ; ſed etiam omnis generis feminæ, in quas cadit ſuſpicio (1) (*e*) . Puniuntur etiam vel minima delicta, quibus clerici violant votum continentiæ. Olim poſt pœnitentiam decennalem demum veniam ſunt conſecuti; veteres autem eos ſine mora removerunt (*f*). Clericus, qui contra naturam luxuriatur, carceri perpetuo ad perpetuam agendam pœnitentiam mancipatur, ut ab oculis populi tanti ſceleris memoria removeatur (*g*).

CAPUT XIII.

De uſuris.

Pro uſu rei fungibilis nihil;

I. Rationes contrectationis & uſurpationis rei alienæ , non furtum ſolum & ſpolium damnat eccleſia ; ſed etiam uſuras rejicit , jure civili paganis permiſſas, nec Judæis jure divino intuitu extraneorum (2) interdictas (*h*), aſt intuitu proximi prohibitas. Jam vero Chriſtus, optimus legum interpres, non ſolum docuit, quemlibet hominem eſſe noſtrum proximum (*i*) ; ſed etiam diſerte præcepit, ut mutuum demus, (3) nihil inde ſperantes (*k*). Eaque conſtans

(1) *Subintroductarum* fit mentio in *cit. c.* 5. *D.* 32. quæ ſub ſpecie *pietatis* cohabitabant cum clericis, cœlibatum ſtrenue profitentes, & ſemet a concubinis diſtinguentes, utut de concubinatu admodum eſſent ſuſpectæ. Sæculo III. jam talium mulierum conſortium cum clericis viguiſſe palam eſt, quod tam altas radices egerat, ut per aliquot ſæcula eradicari non potuerit. Nomen ex amore, Chriſtianis imprimis colendo, aſſumſerant , ſeque *Agapetas* dixere . Præter concilia etiam leges civiles hujuſmodi ſuſpecta conſortia reprobarunt atque prohibuerunt , ut docet *l.* 19. *C. de epiſc. & cler.* conf. ESPENCÆUS *lib. IV. de continent. c.* 12.

(2) Quod jus gentium poſtulabat , ut æquali jure cum ceteris fruerentur gentibus. Cum enim hæ vi commerciorum uſuras a Judæis acciperent ; nec his adimi potuit facultas, ab extraneis eas exigendi . Peculiaris vero ratio reipublicæ judaicæ non permiſit, ut judæus a judæo uſuras acciperet, quo quilibet in populo eo magis ad regulas amoris erga proximum exercendas aſſuefieret .

(3) Præceptum ſingulare *amoris* hoc ipſo inculcavit, nec tantum de uſuris non percipiendis ſenſiſſe, ſed plus intendiſſe videtur. Amor neceſſitatibus proximi etiam tunc ſuccurrere ſuadet inculcatque, ſi vel maxime periculum quoddam ſortis amittendæ probabiliter adſit. Judæi ſe ſatis ſuo feciſſe officio legemque obſervaſſe credebant, ſi modo puras ab uſuris manus retinerent, utut de cetero eſſent immiſericordes, ab omni alieni amore, & avaritiæ dediti . Salvator noſter hos mores reprobat oſtenditque , tunc verum exerceri demum amorem, ſi etiam mutuum detur in neceſſitate ſumma conſtituto , a quo ſortis reſtitutionem ne quidem ſperare poſſimus . Legem itaque *ſummi amoris* contra judæorum interpretationem & traditionem explicavit ;

(a) *c.* 5. *D.* 32. (b) *ſeſſ.* 20.
(c) *Pragmat. tit.* 19. 20. *& concordatum tit.* 32.
(d) *ſeſſ.* 25. *c.* 14. (e) *c.* 5. *D.* 32. (f) *c. ult. D.* 61. *c.* 4. *D.* 81.
(g) *C.* 4. *X. de exceſſ. prel. C.* 13. *X. de vit. & honeſt. cler.*
(h) *Lev. XXV.* 36. 37. (i) *Luc. X.* 29. (k) *Luc. VI.* 34. 35.

ſtans & perpetua eccleſiæ catholicæ ſententia fuit, neque ex pecunia, neque ex ceteris rebus fungibilibus, quæ ſecundum quantitatem æſtimantur, h. e. quæ pondere, numero & menſura conſtant, veluti frumento vino &c. mutuo datis, quæſtum eſſe (1) faciendum (*a*). Idque ex ea ratione, quia contractibus propoſita eſt ſumma æqualitas, ut alter, quod ipſi expedit, obtineat pro eo, quod alteri expedit. Quod videre eſt in permutationibus, ubi quod æqualitati deeſt, pecunia ſuppletur. Sic in emtione venditione id agitur, ut pretium merci quam poteſt fieri exactiſſime æquetur. Deinde quod lege humanitatis jubemur res innoxiæ humanitatis, quæ nobis non neceſſariæ ſunt, & alteri proſunt, alteri concedere, ut, erranti viam monſtrare, lumen accendere. Quod eſt fundamentum contractuum gratuitorum, ut mutui & depoſiti. Amico enim officium cuſtodiendi ejus pecuniam eadem ſolertia, qua meam, detrectari non poteſt, & injuſtus foret, qui ob hoc officium præmium poſceret. Pari ratione amico, de cujus candore perſuaſus ſum, non deneganda eſt pecunia, mihi inutilis & ipſi neceſſaria; quam ſi ſtato tempore reddit, nihil amplius ſalvo jure (2) petere poſſum.

pro uſu rei uon fungibilis aliquid peti poteſt.

II. Aliud dicendum de certis corporibus, veluti de utenſilibus, de equo, domo, in quibus proprietas diſtinguitur ab uſu, quem præſtant ſalva ſubſtantia, licet deteriora fiant (*b*). Quæ licet gratis concedi poſſint; injuſtum tamen non eſt, pretium pro uſu eorum poſtulare. Nam licet poſt uſum corpus reddatur, non tamen prorſus idem redditur, quod datum eſt. Uſu enim atteritur plus minuſve pro uſus diuturnitate & modo; & illa attritio pretio æſtimari poteſt ad obtinendam perfectam æqualitatem. Hoc eſt fundamentum pretii locationis, quod longa conſuetudine æqualitatem illam ſuperare poteſt, quam multi ſint, qui ſæpe eodem tempore ejuſdem rei uſu opus habent. Sed qui ad annum mille mutuatur, & poſt annum mille reſtituit, exacte reddit, quod accepit, ut jure nihil amplius poſtulare queas (3).

III. Duo

---

cavit; non legem de *uſuris* tulit, quam nec repetere neceſſe fuit, quia Judæi eandem *ad literam ſancte* obſervabant. Enimvero nec in mutuo, quod faciunt canoniſtæ, ſuſiſtendum, ſed ex generali intentione ſalvatoris etiam aliis in rebus indigentibus ſuccurrendum v. c. gratuitam habitationem eis dando, nudos veſtiendo cibo & potu ſine ſpe lucri &c. Sicuti vero hæc lex tantum erga eos exercenda, qui noſtra ope in neceſſitatibus indigent, ita in contrarium, qui illam non appetunt, non deſiderant, ſed ſolius commercii cauſa noſtram pecuniam petunt, non minus aliquid lucelli ab his petere licet, ac quidem pro uſu tabernæ vel ædium lucrum aliquod petere permiſſum, nec ullibi a ſalvatore interdictum eſt.

(1) Sed hæc interpretatio in eadem principia impingit, quibus phariſæi depravaverant juris Moſaici prudentiam. Ita legem amoris ex *verbis* æſtimant, verum autem ſenſum prætereunt.

(2) Supponit Auctor caſum, quo pecunia apud me inutilis deprehenditur. Quid vero ſi ego eam, quod ſemper fieri poteſt, impendere potuiſſem in rerum immobilium, quæ fructus ferunt, acquiſitionem; annon privor hoc mutuo uſu meæ pecuniæ? Quid ſi alter meam pecuniam ad eundem finem petat, ut fundum ſibi comparet, utque fructus lucretur? Debitor commodo pecuniæ meæ fruitur; ego vero eodem carere teneor, qui eodem commodo frui poteram. Quod ergo in gratiam alterius huic commodo renuncio, nihil æquius eſt, quam ut alter mihi partem quandam commodorum, pecunia mea quæſitorum, concedat.

(3) Sed petitur hic quod eſt in principio: pro *attritione* non ſolvitur locerium in rerum locatione, ſed pro fructibus, pro uſu, pro commodis. Ager locatus per uſum non deterior redditur, nec attritioni ſubjectus eſt, ideo tamen admittit locarium, quia uſu rei in gratiam alterius dominus ſe privat. Idem de *pecunia* mutuo data dicendum. Quid eſt enim aliud *uſura*, quam *merces pro uſu pecuniæ*?

(*a*) *Conc. Nicæn. c.* 17. *C.* 14. *q.* 3. *&* 4. *per tot.*
(*b*) S. THOM. 2. 2. *q.* 78. *art. in corp.*

pro uſu pecuniæ meæ quibus caſibos uſuras petere poſſim?

III. Duo tamen ſunt neceſſaria: primum, pecuniam tibi, quum mutuo dares, fuiſſe inutilem (1); alterum, ut ſtato tempore ſit reddita. Nam ſi reſtitutio differtur, & ex mora tibi damnum enaſcitur; juſtum eſt, ut tibi id reſarciatur, officiumque amico præſtitum non noceat rei tuæ familiari. Et quoniam probatio & æſtimatio ejus, quod intereſt, in foro externo difficilis eſt; leges civiles id ſemper, ubi debitor in mora eſt, præſumunt, & noſtris in provinciis ad viceſimam reducunt annuam. Atque ex hoc fundamento in judiciis *intereſſe* (2) adjudicatur poſtulantibus (*a*). Similiter ſi pecunia mutuo data mihi neceſſaria vel utilis foret ad redimendum cenſum, ad annonam comparandam, quæ anguſtior poſt redditur; item ſi interea prædium magni proventus exiguo pretio emere potuiſſem; jure lucri ceſſantis & damni emergentis reſtitutionem poſtulo (*b*). Et quia mercatores continuo nummos in comparandis mercibus utiliter collocare poſſunt; licet eis *intereſſe* h. e. pro lucro ceſſante aliquid petere: quod tamen certum & *radicatum* eſſe debet, veluti ſi arator ſumeret frumentum ad ſementem faciendum (*c*).

Uſuræ vitium non habent 1. ſocietates mercatoriæ,

IV. Pecuniæ fructus permittitur porro, ſi contractus magis in ſocietatem inclinat, quam in mutuum. Si duo in ſocietatem negotiatoriam coeunt, quorum alter pecuniam confert, alter operam; juſtum eſt, ut lucrum æque ac damnum patiantur: quod eſt fundamentum *aſſecurationis* ac ceterorum contractuum maritimorum. Conſtituitur pecunia in lembum mercatorium, ea lege, ut, lembo pereunte, pecunia amiſſa ſit; lembo redeunte, ingens lucrum capiatur. In hoc negotio nullum mutuum: (3) manet enim quiſque pecuniæ ſuæ dominus. Eſt potius emtio ſpei, ut qui retis jactum emeret (*d*).

2. cenſus annui,

V. Alius pecuniæ legitimus fructus naſcitur e cenſuum conſtitutione, quam poſt longam fluctuationem adprobavit eccleſia (*e*). Permiſſum enim eſt, prædium quingentorum annuorum vendere pro decies mille cum pacto de retrovendendo pro eodem pretio in perpetuum, ut tamen ad redemtionem cogi non poſſimus. Cur igitur non liceret decies mille accipere & annuum cenſum quingentorum pendere, eaque de re creditori in fundo vel in aliis rebus, in quibus ſecurus eſſe poteſt, hypothecam conſtituere? Atque hoc modo cenſus conſtituuntur: quod negotium toto cœlo differt a mutuo, quia ſors alienatur in perpetuum, ita ut repeti nequeat (4), quoad creditor de cenſus ſolutione ſecurus eſt.

VI. Per-

(1) Hunc caſum ſemper eludere poſſunt creditores mutuo dantes, quia nunquam boni patresfamilias pecuniam otioſam domi conſervare ſolent.

(2) Imo plerique, quo uſuras pallient, ſub nomine ejus, quod *intereſt*, illas exigunt, petunt, ſibique ſtipulantur. Denique caſus, quos Auctor ſubjungit, ita comparati ſunt, ut ſemper fere uſuras petere permiſſum ſit, præſtetque, uſuras intra modum, generatim permittere, quam anſam infinitis litigiis dare, quæ ex probatione ejus, quod intereſt, naſcuntur.

(3) Horrent tantum nomen *mutui*, licet ſimile negotium peragatur, & ita contrahentes eo tantum ſecundum hanc doctrinam eniti debent, quo naturam *mutui* tegant, id quod etiam felici ſucceſſu factum eſt in emtionibus annuorum redituum, ut res ipſa loquitur, de quibus AUCTOR *ſeq.* §.

(4) Sed ſupponamus, *mutuum* deeſſe externo colore, *implicite* tamen revera adeſt, idemque conſequor ex hoc negotio, quod ex contractu uſurario. Ita ſtricte verba Chriſti: *mutuum date*, accipiunt, & judaice cortici verborum inhærentes verum ſenſum amittunt. Nec adeo negotium, quoad

(a) *Gloſſ. in c. 8. X. de uſur.* (b) *Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. & ibi Caietan.* (c) *C. 6. & c. navig. in fin. X. de uſur.*

(d) *l. 8. de contrah. emt.*

(e) *C. 6. X. de uſur. conſtit. Martin. V. & Calixti III. extravag. comm. de emtion. Conſtit. Pii V. 1564.*

VI. Permiſſi quoque ſunt reditus ex contractu vitalitio, veluti ſi Noſocomio cuidam do decies mille, ut quoad vixero mihi det mille annuos. Hoc enim eſt donatio ſub conditione oneroſa facta, vel, ſi mavis, venditio lucri fortuiti, quia contingere poteſt, ut poſtridie vivere deſinam. Nova ſpecies ſimilis acqueſtus, quæ proxime ad uſuras accedit, eſt inſtitutum *montium pietatis*, qui vocantur (*a*). Quod nomen inde habent, quod pauperes eo recurrere, neceſſitatibuſque promtum auxilium arceſſere poſſunt (1). Sunt autem montes pietatis emporia, in quibus iis, qui pignora adferunt, datur tantum pecuniæ, quantum poſtulant. Quæ ſi ſtato tempore reluunt; præter pecuniam mutuo ſumtam ſolvunt modicum pro labore ſcribendi, pignora cuſtodiendi, proque ſcribarum ſalario. Si fallunt, pignora venduntur, pretiumque, deducto debito ac deductis deducendis, debitori reſtituitur. Talia inſtituta in Italia ac in Belgio celebrantur. Paucis: contractus legibus principum Chriſtianorum adprobati, & longa conſuetudine inveterati, temere ac ſine conſideratione *utilitatis publicæ* ac fundamentorum juriſprudentiæ, non ſunt damnandi (2). Aufert homini ſuum, qui indebitum reſtitui poſtulat. Interim in foro externo in negotio pecuniario multa adprobantur, quæ in foro conſcientiæ non conſiſtunt. Nam leges civiles ad evitandum majus malum ſæpe minus permittunt, & hominum conſuetudines vetuſtiſſimæ nullo tempore vincent obſervantiam legis Dei (*b*). In primis cautione opus in allegatione lucri ceſſantis & damni emergentis: in cujus æſtimatione facile fallimur, ſi non credimus dicto Apoſtoli: *qui divites fieri cupiunt, in varias tentationes incidunt* (*c*) & Chriſto, dicenti, fieri non poſſe, ut Deo ſimul & Mammoni ſerviamus (*d*). Hæc qui penſitat, in dubio ſuum potius jactabit, quam alieno damno diteſcere cupiet.

3. reditus vitalitii,

4. montes pietatis!

VII. Propriæ ſic dictæ uſuræ ſunt lucrum, quod ex mero mutuo capitur; ita ut poſt termini lapſum plus exigatur, quam mutuo datum eſt, ſive ex chirographo, ſive ex pignore, ſive ſub ſpecie pœnæ, venditionis, hypothecæ, vel cujuſcumque contractus liciti: nam modi fere uſuras palliandi infiniti ſunt. Fundamentum ſemper exquirendum, ac diſpiciendum eſt bona fide, num lucrum quæſitum ſit, an damnum ſaltem evitare voluerimus. Uſuræ itaque Chriſtianis omnibus ſunt prohibitæ. Concilium Lateranenſe III. uſurarios ſacramentis & eccleſiaſtica ſepultura privandos, & oblationes eorum repudiandas eſſe (3) cenſet

uſuræ proprie dictæ prohibitæ.

quoad intentionem Chriſti inde alteratur, utrum ſors repeti poſſit, an vero omnis repetitio denegetur, quia pro hac perpetua alienatione perpetuum lucrum capio, & quidem ex bonis alterius, perpetuo hoc onere gravatis.

(1) Tunc vero pietatis infucatæ montes forent, ſi gratis indigentibus ſuccurreretur, omneſque alii prætextus abeſſe juberentur. Sed vide, quam ſe torqueat hujus juris ratio, ne *uſuras* quodammodo ſapere videatur, quibus difficultatibus ſuperſedere potuiſſent ejus conditores, ſi præconceptam opinionem de *mutuo uſurario* depoſuiſſent.

(2) Satis prudenter Auctor judicat, oſtenditque, leges *amorti*, quæ etiam per ſuam naturam liberæ eſſe debent, non ſemper in ſtatu civili applicari & in uſum deduci poſſe. Multa committenda ſunt ſingulorum conſcientiis, quibus leges proprie non dantur. Hoc monitum ſi pontifices patreſque obſervaſſent, nec tam rigide *uſuras* damnaſſent, multis aliis abuſibus haud anſam dediſſent, quæ plus detrimenti attulerunt rebuſpublicis, quam moderatæ uſuræ.

(3) Hunc in finem ne forſan per teſtamenta aliquid eccleſiis relinquant, clericoſque hoc modo invitent, ne ab uſurariis aliquid lucrentur, prohibitum eſt, ne teſtamenta uſurarii condere poſſint; quamvis forſan hæc prohibitio nunquam in praxin deducta fuerit.

(a) *Bulla Leonis X. in concil. Later. ſeſſ. 20. init.*
(b) THOMAS. *d. q. 78, art. 1. ad 3.*
(c) 1. TIM. *VI. 9.* (d) MATTH. *VI. 24.*

ſet (*a*). Concilium Lugdunenſe II. prohibet, ne eis hoſpitia præbeantur, ne ædes eis locentur (*b*). Ipſi non ſolum, ſed & liberi ac heredes eorum tenentur uſuras reſtituere (*c*). Meliori jure ſeverioribus pœnis caſtigantur clerici uſurarii, qui præ ceteris Chriſtianis turpe lucrum fugere, & humana ſpernere debent (*e*). Concilium Nicænum (*d*) ab officio eos removendos cenſet, quod pluribus canonibus repetitum (*f*).

crimen falſi

VIII. Crimen falſi gliſcere cœpit inter clericos, ex quo Roma arceſſi cœperunt literæ gratiæ vel juſtitiæ. Quod apparet ex conſtitutionibus Innocentii III. præſertim ea, qua falſarum bullarum fabricatores excommunicandos cenſet, & eos, qui eas in ſubſidium vocant, e beneficiis exturbandos (*g*). Agentes in rebus, qui nunc inſtituti ſunt, præſtant, ut falſa difficulter & raro committi poſſint. De ceteris criminibus nihil ſingulare habent canones, Eccleſia enim non ſolum ea, quæ contra legem Dei militant; ſed etiam ea, quæ legibus humanis prohibentur, condemnat: quia lege Dei jubemur ſæculari poteſtati obtemperare (*h*).

CAPUT XIV.

De delicto communi & caſu privilegiato.

Eccleſia olim non cognovit de criminibus.

I. Eccleſia principio ſolum delicta mere eccleſiaſtica judicavit, quia Chriſtiani criminum publicorum exſortes erant (1). Si qui e noſtris, inquit Tertullianus (*i*), carceribus veſtris detinentur, Chriſtiani ſolum eſſe accuſantur, ſi vero alia de cauſſa detinentur, non ſunt amplius Chriſtiani. Quod de Chriſtianis generatim dicit, id multo juſtius de *clericis* intelligendum, qui e Chriſtianis perfectioribus eligebantur. Si quis horum lapſus diſciplinam pœnitentiæ ſubire detrectabat, ei regreſſus patuit ad paganos, inter quos genio pro lubitu indulgere poterat, ne dehoneſtaret Eccleſiam. Nec privilegia imperialia Epiſcopis & clericis conceſſa quidquam ratione criminum ulciſcendorum immutarunt. Eorum enim ſententiæ, partium conſenſu & quidem in cauſſis civilibus tantum redditæ, *laudorum* inſtar habuere. Equidem clerici & monachi in cauſſis pecuniariis ſolum Epiſcopum judicem habuere (*k*). Aſt in criminibus civilibus h. e. contra leges politicas militantibus Epiſcopus & judex ſæcularis concurrentem juriſdictionem exercuere (*l*). Si Epiſcopus prior cognovit, clericum reum e gradu dejecit, & tum dejectum judex ſæcularis carceri mandavit. Si hic Epiſco-

---

(1) Hoc cum grano ſalis accipiendum, nec credendum eſt, inter chriſtianos ſemper repertos fuiſſe ab omni crimine puros. Rariora erant crimina publica; nonnunquam tamen deprehenſos fuiſſe adulteros & ſtupratores, ipſe TERTULLIANUS aliique fatentur, quos mox ejiciebant, & poſt diuturnam demum pœnitentiam recipiebant. Hæc unica erat coercitio: nec aliud judicium, quam ſuper criminibus, ejectione dignis, conſtituebant ex confœderata diſciplina. Excommunicatio ex capite *contumaciæ*, quam poſtea epiſcopi introduxere, adhuc ignota erat, quam diu ignotum erat imperium ſacrum.

(a) C. 3. X. *de uſur.* C. 14. *q.* 5. (b) C. 1. *de uſur. in* 6.
(c) C. 14. *p.* 6. *c.* 9. (d) C. 14. *q.* 4. *c. nec hoc.*
(e) C. 17. D. 46. (f) *Diſt.* 47. *per tot.*
(g) C. 7. X. *de crim. falſ.* (h) ROM. XIII. 1.
(i) TERTULLIANUS *apolog. c.* 4. 5.
(k) *l.* 7. 8. *C. de epiſc. audient.* (l) *Nov.* 83. *c.* 1. 123. *c.* 21.

ſcopum occupavit, reum Epiſcopo remiſit, ut gradu prius (1), quam vita, privaretur. Atque hæc quidem ex præſcripto juris Juſtinianei. Sed in criminibus eccleſiaſticis ſolus Epiſcopus cognovit. Compertum erat, Eccleſiam abhorrere a ſanguine, & Epiſcopos ſemper intercedere, ut reis, etiam a ſacris noſtris alienis, vitam ſervarent: unde eis ſolis crimina clericorum capitalia judicanda permitti non potuerunt. Equidem clericis omnem actionem, & quidem criminalem ſtrictius quam civilem in judicio ſæculari interdictam legimus (*a*), quia quidquid vindictam ſpirat, Evangelio magis repugnat, quam quod avaritiam. Sed prima VII. vel VIII. ſæcula nihil ſuppeditant cauſſæ, quare clericorum capitaliter peccantium judicium judici ſæculari denegandum cenſeamus, niſi Epiſcopos excipere malis, qui raro in hæc crimina incidunt, & quorum dignitati aliquid dandum videtur.

II. Denique ſpuriæ decretales laicis omnem cognitionem de rebus moribuſque clericorum abſtulerunt, quæ falſa perſuaſio divo Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo tantum dirarum (2) conciliavit (*b*). Hoc clypeo tuti clerici quum fere impune peccarent, privilegii clericalis præcipua vis poni cœpit in ſubtrahendis judici reis. Inter querelas Petri Cunierii haud ultima fuit, quod, ii qui ad atrox flagitium patrandum accingerentur, tonſuram prius acciperent, ut impune eſſet (*c*). Celebre exemplum eſt prætoris Pariſienſis de Tigouville, qui, quod duos ſcholaſticos, publici latrocinii convictos, poſthabito privilegio clericali, condemnaſſet ac ultimo ſupplicio tradidiſſet, deſtitutus eſt & acerrime mulctatus (*d*). Interim judices eccleſiaſtici, remiſſius crimina punientes, levibus pœnitentiis contenti, raro reos curiæ ſæculari tradebant, qui Romæ facili negotio non veniam ſolum, ſed & priſtinum gradum, ſi qui dejecti eſſent, impetrabant.

ſed per falſas decretales clericorum crimina laicorum juriſdictioni ſubtracta ſunt ;

III. Unde publicæ ſecuritatis cauſſa judices ſæculares crimina atrociora excipienda

qui id in Francia non ferunt, diſtinguentes inter delictum commune & caſum privilegiatum.

(1) Quod rurſus ex *diſciplina militari* deſumtum, ſecundum quam cingulo prius privabantur, qui morti tradendi erant, ne dignitati militari quid decederet.

(2) Quæ tandem & eidem interitum attulerunt. HENRICI II. Regis Angliæ indignationem potiſſimum ea de cauſa in ſe concitavit, quod clericorum immunitati, plus quam par erat, ex præconcepta opinione ſtuderet. Anno 1164. conſuetudines regni ab omnibus regni ſtatibus, quorum e numero etiam Thomas erat, jurejurando confirmatæ erant. Hoc facto mox eum facti pœnituit. Rem geſtam enarrat MATHÆUS Pariſienſis *in hiſtor. Angl. ad cit. ann. p.* 85. *His itaque geſtis poteſtas laica in res & perſonas eccleſiaſticas, omnia pro libitu, eccleſiaſtico jure contemto, tacentibus ac vix murmurantibus epiſcopis potius quam reſiſtentibus, uſurpabat. Thomas igitur Cantuarienſis Archiepiſcopus in ſe reverſus, cum leges iniquas & omnibus Chriſti fidelibus deteſtandas conceſſiſſet, & eas obſervare juramento firmaſſet, rem temere perpetratam diligenter examinans, ſeipſum graviter afflixit alimentis auſterioribus & indumentis corpus humiliavit, ſuſpendens ſe ab altaris officio, donec per confeſſionem & condignos pœnitentiæ fructus a ſummo pontifice meruit devotus abſolvi.* Mox hujus novi propoſiti edidit effectus. Nam eodem anno rex *volens in ſingulis maleficia debita cum ſeveritate punire & cujuſcunque ordinis dignitatem ad iniquum trahi diſpendium, incongruum eſſe aſſeruit, clericos a ſuis juſtitiariis in publico flagitio deprehenſos epiſcopo tradere impunites. Decrevit enim ut quos epiſcopi invenirent obnoxios; præſente regis juſtitiario exauctorarent, & poſt curiæ traderent puniendos. In contrarium ſentiebat Archiepiſcopus, ut quos exauctorarent epiſcopi, a manu laicali poſtmodum non punirentur, quia bis in id ipſum punire viderentur.* Id nova indignationis regiæ cauſa in archiepiſcopum.

(a) *Concil. Chalced. c.* 9. *Carthag.* III. *c.* 9.
(b) *Vita quadrip.* 1. *c.* 14. *hiſt. eccl. l.* 71. *c.* 6.
(c) *Libell. P. Bertrandi, ubi ſupra.*
(d) MONSTREL. *vol.* 1. *c.* 13. PASQUIER *l.* 9. *c.* 27.

pienda eſſe cenſuerunt, ac ſuæ cognitioni, ſaltem conjunctim cum Epiſcopo, ſubjicienda: atque hæc quidem ea ſunt, quæ vulgo *caſus privilegiati* adpellantur. Nam quia privilegium clericorum naturam *juris communis* induerat; id quod olim juris communis fuerat, nunc *privilegium* (1) audit. Equidem inde a CCC. annis diſtinctio inter *delictum commune* & inter *caſum privilegiatum* audita eſt; in qualitate tamen & numero caſuum privilegiatorum determinando adhuc fluctuamus. Nonnulli eos intelligunt de *caſibus regiis* (*a*) (2): alii eo trahunt quævis facinora, quibus reipublicæ auctoritas læditur, ut ſunt armorum geſtatio, falſa moneta, inſurrectio adverſus judices (*b*). Nimirum, ſi laicos judices audias, *delictum commune* reſtringendum eſt ad injurias verbales & ad crimina mere eccleſiaſtica, id eſt culparum, quibus peccatur contra diſciplinam, de quibus ſolus judex eccleſiaſticus cognoſcit. De *caſu privilegiato* autem conjunctim cognoſcunt eccleſiaſticus & ſæcularis. Immo etiam hi caſus diſtinguuntur, quum quidam tam atroces ſint, ut clericum privilegio indignum reddere videantur. Ratione *præventionis* ſtatutum (*c*) eſt, ut laicus prior cognoſcat, & reum eccleſiaſtico remittat, qui de delicto communi judicet. Sed hic modus neutri judicum placuit, quum ſe mutuo accuſarent præceptæ juriſdictionis, nimiæque vel indulgentiæ vel rigoris nimii. Quare conſtitutum eſt (*d*), ut *conjunctim* cognoſcerent, ac ſeparatas ferrent ſententias, quo alter de alterius integritate tanto certior fieri poſſet (*e*).

de quo conjunctim cognoſcunt. IV. Sed quum vetus conſuetudo in nonnullis locis perduraret, edicto Februarii 1678. & declaratione Jul. 1684. ſancitum eſt (3), ut ſtatutum Melodunenſe in toto regno obſervaretur, & de caſu privilegiato judices ſæculares cum eccleſiaſticis conjunctim cognoſcerent, eaque de cauſſa ad tribunalia eccleſiaſtica ſe conferrent, niſi forte officialis, juſtitiæ accelerandæ & evitandæ captivorum tranſportationi, malit ſe conferre ad *tribunal ſæculare*. Uterque per unum ſyndicum teſtium depoſitiones, interrogatoria, ceteroſque articulos in ſeparata volumina tranſcribenda curat, niſi alter ſolus cognoſcere cœperit. Nam quum qualitas criminis demum ex accuſationibus innoteſcat; *Officialis* ſtatim inquirere, & ſi caſus *privilegiatus* ſemet exſerit, judicem laicum vocare poteſt. Similiter *laicus* cognoſcere poteſt, antequam accuſator vel promotor, quia delictum commune deprehenditur, remiſſionem ad officialem flagitet. Si ſenatus (*parlamen-*

(1) Ex *nova diſciplina*, quæ clericos ab omni juriſdictione ſæculari exemit, ut, hoc facto, magis ad *exceptionem* & jus ſingulare pertineat, ſi judex ſæcularis de delictis clericorum cognoſcere poteſt. Olim per modum *privilegii* foro eccleſiaſtico gaudebant, quod per *regulam* relatum. Ceterum diviſio hæc delictorum ex concertatione de *fori competentia* orta eſt. Cum eccleſia ſanguinem non ſitiret, inconveniens creditum fuit, graviora clericorum crimina inulta relinquere, quæ *criminaliter* non poterat punire epiſcopus, & ſic *ſæcularis judex* de eo ſibi cognoſcendum eſſe ducebat. In *concil. Pariſ. d. anno* 1346. *c.* 1. patres id ſibi moleſtum eſſe docuerunt, conquerentes, *quod juſtitia ſæcularis clericos & perſonas eccleſiaſticas de die in diem capiat & capi faciat; & captos ſeu captas in priſonem ſeu carcerem detrudat*. Hæ ſimileſque concertationes anſam dederunt, ut in Francia de finibus regundis cogitatum fuerit.

(2) Caſus *regii* olim reſervatis regum peculiariter adſcribebantur, ut *læſa majeſtatis*, *falſa moneta*, *infractio ſalveguardiæ regiæ*.

(3) De ipſo proceſſu hodierno *criminali*, in his delictis uſitato, agit HERICURTIUS *dans les loix eccleſ. de France p.* 248. *ſeqq.* cui adjungi poteſt ESPEN *P. III. jur. eccl. tit.* 3 *c.* 2. *§* 27. *ſeqq.* ubi paſſim ad Auctorem noſtrum in hac materia provocat.

(a) IMBERT. *inſtit. l.* 3. *c.* 8.
(b) FEVRET. *l.* 8. *c.* 2.
(c) *Ordin. Molin. art.* 39.
(d) *Ordin. Melodun. art.* 22.
(e) FEVRET. *l.* 8. *c.* 1. *n.* 6.

Digitized by Google

lamentum) cognoſcit, officialis non vocatur, ſed Epiſcopus, clerici accuſati ſuperior, vices ſuas cuidam ex ſenatoribus clericis demandare tenetur. Atque hoc jure in Francia vivimus.

CAPUT XV.

De Proceſſu criminali antiquo.

I. QUæcumque veteres de forma judiciorum eccleſiaſticorum tradunt, ad condemnationem eorum, qui vel pravas doctrinas diſſeminant, vel morum turpitudine deformant Eccleſiam, hoc eſt, ad crimina pertinent. Nam in civilibus Eccleſia cognovit tantum per modum *arbitrii*. Sed omni tempore iis, qui ſemetipſos accuſarunt, ſalubrem pœnitentiam peccatorum injungendi, & eos, qui peccata negantes aliunde convicti ſunt, caſtigandi (1) jus habuit. Solemnia autem in his judiciis exſularunt, niſi qua abſolute eſſent neceſſaria, ne ſine cauſſæ cognitione quis condemnatus videretur. Inprimis ſacræ ſcripturæ præcepta obſervabantur, ne qua temere, præſertim adverſus presbyterum & Epiſcopum, reciperetur accuſatio (*a*), pro quibus, tanta circumſpectione electis, militat præſumtio: ne facile crederetur, niſi quod duobus vel tribus teſtibus probatum (*b*); ut in falſos teſtes ſtatueretur jus talionis (*c*); ut rei, ad exemplum terroris publice increparentur (*d*). Neque his regulis rem omnem abſolvi putarunt; ſed præterea ſtudioſe indagarunt, qui, qualeſve eſſent accuſatores, accuſati, teſtes, quibus moribus, qua fama, quo animo; ita tamen ut non inciderent in προσωποληψίαν, divinis oraculis toties damnatam, (*e*) quippe perſuaſi, fore, ut quo judicio judicent, ipſi aliquando judicarentur (*f*). Tam ſanctam normam ſibi in judicando præſtituerant primi Epiſcopi, non niſi ſaluberrima quæque a tribunalibus ſæcularibus (2) mutuantes, quippe aſſiduo memores, non *Rhadamanthos* ſe eſſe, ſed *paſtores*. *Vetus proceſſus criminalis ſine ſolemnibus.*

II. Ordo judiciarius is erat, quem in actis conciliorum ſuperſtitibus, velut Epheſini & Chalcedonenſis, deprehendimus. Querela libello (3) exhibita, accuſatus *ejus figura,*

(1) Vocarunt hoc *forum pœnitentiale*. Cum enim epiſcopi ſaluti animarum invigilare *ex officio* tenerentur, crederentque, ſine *ſatisfactione* & *pœnitentia* delicta expiari non poſſe, ſaltim hoc reſpectu in delicta inquirebant, quo tamen *foro criminali* judicum ſæcularium non præjudicabant.

(2) Inde in decreto GRATIANI ampliſſime de *accuſationibus* agitur & C. 2. *q.* 7. de *accuſatoribus*, *qu.* 8. de *modo accuſandi* in ſcriptis, *cauſa* 3. vero de pluribus aliis quæſtionibus jura antiqua traduntur atque in ſeqq. cauſis ulterius exhibentur.

(3) Neque enim facile ſine *accuſatore* & *libello* procedebant, & ita figuram alicujus *accuſationis* ab initio adhuc conſervabant. Illuſtrat hoc eleganter MORINUS *de ſacram. pœnit. lib. I. c.* 5. §. 4. ex OPTATO MILEVITANO, qui, quod communionem non denegaverit Macario, homicidii inſimulato, hoc modo ſe purgat: *quod ſi fuit accuſatore ſilente, a nobis non licuit abſtineri. Scriptum eſt enim ante cognitam cauſam neminem eſſe damnandum. Dicite, quis eum accuſavit & auditus non eſt. Dicite, Macarium confeſſum eſſe culpam & noſtram ſiluiſſe ſententiam. Sumus enim qualeſcumque judices in eccleſia, quod & ipſi non negatis, quod nos judices eſſe veros debere fuiſſe contenditis. Non enim poſſumus facere, quod non fecit Deus, qui in judicio perſonas ſeparare dignatus eſt; nec eundem voluit eſſe* ACCUSATOREM *&* JUDICEM. Tam ſincera adhuc praxis illius

(a) 1. *Tim. V.* 19. (b) *ibid.*
(c) *Conſtit. Apoſt. l.* 2. *c.* 49. *Deut. XXIX.* 15.
(d) 1. TIM. *V.* 20. (e) *Deut.* I. 17. *XVI.* 19.
(f) *Matth. VII.* 2. *Conſtit. Apoſt. l.* 2. *c.* 57.

cuſatus ter quaterve citatus, ut defenſioni locus eſſet, ſi comparere detrectaret, contumacia, quæ crimen acerbiſſima pœna dignum reputabatur, depoſitione vel excommunicatione vindicabatur. Comparens interrogatus audiebatur pro ſe dicturus; ipſeque viciſſim teſtes audiebat, inſtrumenta videbat; denique Epiſcopus ſententiam pronuntiabat. Notarii, h. e. diaconi vel lectores, per ſigla ſcribere promti, cuncta, quæ in judicio fiebant dicebanturque cum a judice, tum a partibus, diſtincte ipſorum verbis, ne interruptionibus quidem & exclamatiobus omiſſis, conſignabant, quibus inſtrumenta prælecta inſerebantur. Atque hæc acta aſſervabantur ab Epiſcopo, ut de integritate judiciorum conſtaret ad poſteros. Hæc judiciorum eccleſiaſticorum facies antiqua.

mutatur in proceſſum ſolemnem diſtinctum,

III. Forum conſcientiæ *internum*, quo pœnitentiæ, peccata confitentibus impoſitæ, abſolutiones ſacramentales, indulgentiæ, referebantur, ſemper diſtinctum fuit a foro *externo*, in quo de criminibus & de pœnis agebatur. Circa ſæculum XII. ſtudium *juris civilis* ſolemnia formularum invexit in forum eccleſiaſticum. Sic querelæ illæ ſcripto oblatæ, de quibus canones loquebantur, haberi cœperunt pro accuſatione formali & inſcriptione in crimen, præſertim in falſis illis decretalibus. Fatendum eſt enim, ex hac Camarina fluxiſſe pleraque ambagium, quibus ſcatet ordo judiciorum criminalium hodiernus. His convenienter

in accuſatorium,

INNOCENTIUS III. in Concilio Lateran. tria genera proceſſus diſtinxit, *accuſatorium*, *denuntiatorium & inquiſitorium* (*a*). Qui accuſat, præſens accuſationem ſcripto exhibet, inſcribitque in crimen, quo ſemet obligat ad talionem, ſi deficit. Si probat, accuſatus ex præſcripto canonum pro natura criminis depoſitione vel degradatione plectitur (*b*). Hic proceſſus ad amuſſim juris Romani (*c*) effictus videtur, præſertim quum in ſolis falſis decretalibus ejus ſit præſi-

denunciatorium,

dium (*d*). Qui denuntiat, quem prius amica admonitione corripuit, ad *inſcriptionem* in crimen non tenetur (1). Indicat enim judici commiſſum crimen, nec publicam vindictam, ſed accuſati emendationem intendit: unde mitior pœna præter canonum decreta dictari poteſt (*e*). Præceptum Evangelicum de correptione fraterna (*f*) latiſſime patet, quippe a veteribus etiam judici commendatum (2). Ipſæ ſpuriæ decretales, quæ accuſationum rigorem pepererunt, admonitionem amicam accuſationi præmitti volunt (*g*). Immo & in praxi proceſſus accuſatorius exolevit.

inquiſitorium.

Inquiſitorius proceſſus eſt, quem judex ipſe, ſine accuſatore vel denuntiatore, ſola diffamatione h. e. rumore publico motus, ſuſci-

illius temporis fuit, ut ſine *accuſatore* neminem condemnarent, nec permitterent, ut idem eſſet *judex* & *accuſator*. Hoc rurſus in ſequentibus repetit OPTATUS: *& vos vultis, ut abſtineremus, quem non vidimus aliquid mali facientem, & qui nullum habuit accuſatorem. Video hoc loco, quid invidia veſtra ſubmurmuret. Dicitis enim, non nos latuiſſe, quod factum eſt. Fatemur, nos audiſſe, ſed peccatum erat, damnare eum, quem nemo eſt auſus arguere.* Quantopere hæc philoſophia diſcrepat a ſententia epiſcoporum ævi ſequioris, & imprimis INNOCENTII III. ut Auctor §. *ſeq.* fatetur.

(1) Imo qui denunciat, id tantum intendere videtur, ut judici crimen innoteſcat, & judex per viam *inquiſitionis* procedat. Unde, qui denunciant, proteſtari ſolent, ſe tantum animo *denunciandi*, non *accuſandi* crimen deferre.

(2) Sed contra Chriſti intentionem, qui merum *remedium charitativum* propoſuit, non *judiciale* aut *coactivum*. Ita omnia præcepta Chriſti a vero ſuo ſcopo aberrarunt, poſtquam papo-Cæſaria eccleſiam infecit.

(a) *C. 24. X. de accuſ.*
(b) *C. 16. eod.*
(c) *l. 3. de accuſ. l. 3. C. eod.*
(d) *C. 2. q. 8. per tot.*
(e) *C. 16. X. de accuſ.*
(f) *Matth. XVIII. 15. Conſt. Ap. l. 2.*
(g) *C. 2. q. 2. c. 15. C. 2. X. de accuſ.*

ſcipit, inde a Concilio Lateranenſi tritiſſimus etiam in curiis ſæcularibus, quæ proceſſum curiarum eccleſiaſticarum cum in civilibus, tum in criminalibus adoptarunt. Hinc nata ſunt examina noſtra ſeu informationes, quæ in criminalibus vocantur, & inquiſitio ad diffamationem recidit ad id, quod appellamus *informationem ex officio*, quando judex de crimine in flagranti, coram, illico, teſtes audit, quod raro noſtris moribus contingit. Ab his tribus generibus diſtinguitur quartus modus crimen proponendi ſpecie *exceptionis*, veluti recriminatio contra accuſatorem, vel rejectio teſtis (1). Quo caſu nec inſcriptione in crimen, nec alia ſolemnitate opus, quum non accuſandi, ſed defendendi animo crimen proponatur (*a*). Idem dicendum, ſi in proceſſu civili crimen obiter objicitur, ne pars adverſa promoveatur ad beneficium. Sed hæ diſtinctiones in Francia exoleverunt, ubi curiarum eccleſiaſticarum proceſſus criminalis ad criminalem proceſſum ſæcularium tribunalium & ad conſtitutionem criminalem 1670. proditam, quoad ejus per diverſitatem cauſſarum & perſonarum fieri poteſt, conformatur.

CAPUT XVI.

De Proceſſu criminali hodierno.

I. PRimus actus memorabilis eſt *informatio*, quam judex plerumque a privato homine vel a promotore (*fiſcali*) imploratus ſuſcipit. Solus promotor accuſare poteſt & poſtulare, ut reus puniatur, ut ad frugem, ut ad ſcandali reparationem adigatur, ut Eccleſia indigno miniſtro purgetur. Privati tantummodo ſecreto denuntiant crimen, damnumque datum & lucrum ceſſans civili actione petunt; ubi tamen opus eſt, ut accuſatus ſit clericus. Si laicus eſſet, & officialis de intereſſe civili pronuntiaret; judices regii *abuſum*, *abuſum* ingeminarent (*b*). Poſt querelam delatam promotor veniam informandi nanciſcitur. Judex teſtibus diem aſſignat ſub pœna mulctarum ad eleemoſynas aut carceres per implorationem brachii ſæcularis. Si comparent, ad jus jurandum adigit, & depoſitiones transſcribit, informationemque promotori tradit, qui, prout reus gravatus eſt, concluſiones ſuas inde effigiat. In cauſſis levioris momenti poſtulat, ut accuſatus compareat, ut ipſe audiatur, quo ipſo proceſſus in ordinarium deſinit. In cauſſa graviore accuſatum vadatur, vel prehendendum poſtulat, & judex decernit. Judices eccleſiaſtici inde ab aliquot ſæculis ſunt in poſſeſſione carcerum, quod jus ſuperſtruunt falſæ decretali Urbani I. (*c*), ſed propria auctoritate carcerem exercere non poſſunt, niſi in ipſorum prætoriis vel domibus epiſcopalibus. Extra prætoria aut in transferendis prehenſis adhibendum eſt brachium ſæculare; cui fini olim a judice ſæculari obtinendum erat mandatum, quod *pareatis* vocabatur, quo poſt edictum an. 1695. (*d*) non amplius opus eſt (*e*).

accuſati examinantur,

II. Accuſatus captus vel ſimpliciter vadatus tenetur ipſemet reſpondere, quia in cauſſis

& ad defenſionem admittuntur.

(1) Nam teſti objicitur crimen, non ut plectatur, ſed ut a probando repellatur, adeoque nec tam ſolida probatione opus eſt. *c.* 1. X. *de except.* Proinde ſi vel maxime, probato crimine, teſtis rejectus, adhuc tamen debito ordine contra eum in *foro criminali* procedendum eſt, antequam pœna contra eum decernatur.

(a) C. 16. *X. de accuſ.*
(b) FEVRET. *l.* 8. *c.* 4. *n.* 12. (c) *C.* 17. *q.* 4. *c.* 13. *& ibi gloſſa.*
(d) *art.* 44. (e) IMBERT. *l.* 3. *c.* 8.

in cauſſis criminalibus non admittitur procurator (1). Interrogatoria promotori communicantur, ut diſpiciat, num proceſſui extraordinario per iteratam teſtium interrogationem & confrontationem locus ſit. Contingit enim interdum, ut judex decernat proceſſum ordinarium, ut in cauſſis civilibus. Sed in gravioribus, ſive neget, ſive fateatur accuſatus, judex decernere debet, ut teſtes iterato (2) interrogentur & confrontentur. Illud fit, ut appareat, num teſtes depoſitionibus ſuis inſiſtant, item, ut depoſitiones, ſi non ſatis claræ, declarare poſſint. Hoc vero, ut appareat, num norint accuſatum, & num audeant ei coram oggerere, quod depoſuere, item, ut accuſato detur occaſio teſtes rejiciendi, ſi poteſt (*a*). Nam hoc in confrontatione fieri debet, antequam depoſitiones prælectæ ſunt (3). Interim ſi per inſtrumenta teſtem ſuſpectum reddere poteſt, etiam poſt confrontationem in omni litis momento auditur. Non tamen audiuntur objectiones vagæ; ſed ſi facta præciſa & concludentia allegat, judex ei probationem injungere poterit (*b*).

non torquentur. III. Poſt confrontationem cauſſa præparata cenſetur, & promotori traditur ad eliciendas concluſiones definitivas; qui tamen adhuc concluſiones præparatorias formare & poſtulare poteſt, ut hoc vel illud informationi addatur, ut hic vel ille teſtis audiatur, ut accuſatus in equuleum imponatur. Quæſtio per tormenta, e tribunalibus eccleſiaſticis olim exul, quippe nimium rigorem ſæcularium judicium ſpirans, abhinc annis D. in judicia eccleſiaſtica immigravit (*c*), nec laici judices eccleſiaſticis eo de jure dubium movent. Sed officiales ea non amplius utuntur, forte quod verentur, ne per ſanguinis effuſionem vel mortem torti irregulares fiant (*d*). Quando promotor concluſiones ſuas definitivas exhibuit, nihil ſupereſt, quam ut feratur ſententia.

quomodo ſententia feratur? IV. Ad quam accingitur officialis in conſeſſu conſiliariorum, veluti presbyterorum, qui gradum doctoris vel licentiati habent, longoque rerum uſu pollent, aut judicum regiorum vel advocatorum, ut tanto certior illuſtriorque fiat ſententia. Si aſſeſſores in loco invenire nequit, ſolus pronuntiare poteſt, quippe ſolus in tribunali ſacro judex. Sententia redigitur in *ſcripturam*, pronuntiaturque & traditur accuſato, ut appellare poſſit, ſi ita viſum. Si innocens deprehenditur, vel perfecte abſolutus dimittitur, liber ab expenſis, damnis & intereſſe, vel accuſatione liberatus expenſis tantum liberatur (4). Si reus eſt, ſententia continere debet crimen, de quo convictus eſt, & pœnam; vel ſine criminis mentione condemnatur de iis, quæ actis continentur. Atque hic eſt vulgaris ordo judiciarius.

contumacia quomodo coerceatur? V. Incidunt autem interdum multa, quibus hic ordo convertitur & proceſſus retardatur,

(1) Idque etiam ſecundum jus Romanum, qua de cauſa qui in fuga conſtitutus ſalvum conductum petit, eundem non impetrat, niſi antea cautionem *de judicio ſiſti* præſtiterit, quæ ipſum obſtringit ad *perſonalem comparitionem*.

(2) Utut enim ab initio judex pro informatione pleniori & inſtructione proceſſus criminalis teſtes examinaverit, (quod *generalem* vocare ſolent *inquiſitionem* noſtrates) ſummarie tamen tantum & ſine juramento hi deponunt, poſt litem conteſtatam demum modo ordinario examinandi, & juramento obſtringendi.

(3) Seu antequam copia *depoſitionis* reo facta fuerit. Abſoluta enim probatione, demum ei defenſio indulgenda, & hunc in finem acta criminalia ei exhibenda, ut, quæ ad ſui defenſionem faciunt, inde excerpere queat.

(4) Mitiores in Gallia eſſe videntur judices, quam in Germania. Rariſſime contingit, ut abſolutus ab expenſis liberetur. Utplurimum inquiſitioni ſubjectus ei cauſam dediſſe dicitur, & hoc intuitu expenſas refundere tenetur, id quod imprimis locum habet, ſi ad *torturam* vel *juramentum purgatorium* gravatus fuit.

(a) C. 53. *X. de teſtib.* (b) *Conſt. Crim. tit.* 15. *art.* 2.
(c) HILDER. *ep.* 30. *C.* 1. *X. de depoſit.* (d) FEVRET. *l.* 8. *c.* 14.

retardatur. In quo genere dominatur *contumacia*. Si accuſatus vadatus vadimonium deſerit, vadimonium in capturam convertitur, e qua tamen, poſtquam ad articulos reſpondit, dimitti poteſt, niſi nunc magis gravatus ſit, quam in informatione. Si comparere vellet, aſt non poteſt, invaletudine vel alia cauſſa impeditus, per procuratorem (1) impedimentum allegare, ſeque ad ejus probationem, offerre poteſt. Si ille, in quem captura decreta eſt, abſens eſt aut fugitivus, judex decernit, ut tribus terminis citetur, & bona ejus cum imploratione brachii ſæcularis conſignentur. Citationes vel clamor ad *bannum* qui vocatur, pro diverſa locorum conſuetudine in loco publico ad portam eccleſiæ per præconem juratum aut per accenſum peraguntur, vel ad portam curiæ affiguntur. Trina citatione peracta, in contumacem definitiva ſententia ferri poteſt. Nam enixum ſtudium fugiendi habetur pro *tacita confeſſione*; ſed tamen ſubinde contumaciam purgaturus auditur (2), modo compareat intra quinquennium & ſui copiam faciat, h. e. in carcerem concedat & expenſas deponat. Adverſus contumaciam rigor canonum ſtricte adhibetur. Primum judex interloquitur, contumaciam recte deductam & rite impetratam eſſe adverſus abſentem vel fugitivum, & iteratam teſtium interrogationem vim confrontationis habere debere. Deinde decernitur, accuſatum criminis convictum beneficiis privandum ac ceteris pœnis, pro criminis natura, afficiendum eſſe. Hoc modo in caſu contumaciæ perfectæ agere ſolent; quæ tamen in foro eccleſiaſtico rara eſt. Quum enim nullæ pœnæ corporis afflictivæ dictari ſoleant, comparare non metuunt, & qui ob delictum commune in judicium vocantur, vagabundi aut fugitivi non ſunt.

VI. Si poſt interrogationes captivi judex cauſſam levioris momenti eſſe deprehendit, vel captivum de fuga non ſuſpectum credit, decernere poteſt, ut dimittatur ſub cautione de *judicio ſiſti*. Item ſi non convictus eſt, ſed tantummodo ſuſpectus, judex decernit, ut diligentius inquiratur, & captivus interea relaxetur: quo caſu tamen permanet in reatu & proceſſus continuari poteſt: unde ſententia certum terminum exprimere debet, ne accuſatus omnem vitam perpetua trepidatione exigat. *captivus interdum relaxatur.*

VII. Caſus, in quibus diligentior inquiſitio locum habet, iidem ſunt, in quibus olim *purgatio canonica* locum habuit. Si quis Epiſcopus, ſi quis presbyter vulgi rumore criminis inſimulabatur, licet a nemine accuſatus, licet ſine probatione; purgare ſe tamen ex præſcripto canonum debebat, ne qua famæ ejus macula hæreret. Venit in eccleſiam, ac ſuper *tumulis martyrum*, & ſi quid ſanctius (3) habent eccleſiæ, juravit, ſe criminis imputati innoxium eſſe (a). *purgatio canonica*

Inter-

(1) Licet enim proceſſus criminalis procuratorem *regulariter* non admittat; ad *incidentia* tamen, quæ proceſſus criminalis *ſubſtantiam* non tangunt, hæc prohibitio haud porrigenda eſt.

(2) Id æquiſſimum omnino eſt. Idem etiam obſervatur, ubi ſub pœna *confeſſi* & *convicti* citatus tandem pro confeſſo, & convicto declaratur, atque pœna in eum ſtatuta eſt. Deprehenſus enim vel ideo ſua defenſione adhuc audiendus eſt, quod huic adhuc poſt *ſententiam condemnatoriam* locus ſit. Id ergo tantum operatur condemnatio *abſentis*, ut nec examinandus, nec ulteriori probatione contra eum procedendum ſit.

(3) Creditum olim fuit, per miracula manifeſtatum iri delicta occulta, ſi ſuſpectus perjurium committere auſus fuit; qua de cauſa hic modus exquirendi occulta *judicium divinum* dictus fuit. Inde plena ſunt acta ſanctorum miraculorum hujuſmodi, quæ perjuria deteguſſe leguntur. Celebre hujus rei monumentum adfert AUGUSTINUS ep. 76. ſcribens: *non novimus, Mediolani apud memoriam ſanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad ejus locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat, reddere*. Evidentius adhuc rem declarat GREGORIUS Turonenſis *lib. II. de*

(a) *C. 2. q. 5. c. 6. 7. 16.*

Interdum adduxit compurgatores, probatæ fidei ac probitatis viros, qui eodem modo jurabant, ſe eum innocentem credere: quod teſtimonium adverſus diffamationem ſatis præſidium viſum. Qui jurare detrectabat, vel ſufficientem compurgatorum numerum invenire non poterat, pro convicto habebatur. Atque

& vulgaris. hæc purgatio audit *canonica*. Præter quam habetur etiam *vulgaris*, quam ignorantia & feritas barbararum gentium peperit, duellum ſcilicet & probatio per ignem & aquam (*a*). Hæc enim deficiente legitima probatione eruendæ veritatis media habebantur. Qui duello vicerat, qui igne non læſus, qui aqua non ſubmerſus, innocens credebatur: quas probationes *judicium Dei* vocarunt. Sed univerſalis eccleſia eas, tamquam temerarias & legi Dei, qui nobis tentandus non eſt, repugnantes improbavit (1). Jam e diverticulo in viam.

auditur accuſatus etiam poſt cauſſam præparatum. VIII. Si poſt cauſſam præparatam accuſatus proponit facta concludentia, facilis probationis, audiendum eum præcipit conſtitutio criminalis, licet hoc non fiat. Facta concludentia ſunt veluti *alibi*, h. e. ſi probare vult, ſe quum crimen in hoc loco committeretur, fuiſſe *alibi*. Item ſi probat, crimen commiſſum non eſſe, ut quondam Athanaſius Arſenium vivum ſtitit, quem interfeciſſe ferebatur (*b*). Hic eſt generatim proceſſus criminalis ſecundum uſum Franciæ hodiernum: in quo tribunalia ſacra & politica conſpirant, dum eaſdem conſtitutiones ſequuntur. Quem tamen in compendio perſonis eccleſiaſticis, quibus acta curiarum raro familiaria ſunt, hic exhibere non piguit.

CAPUT XVII.

De Foro Epiſcoporum.

Epiſcoporum judex competens olim concilium provinciale, I. CAuſſæ criminales Epiſcoporum, quæ antiquiſſimis canonibus maxime indigitantur, & quæ pleraſque regulas in probandis & puniendis criminibus peperere, difficiliores ac rariores redditæ ſunt, ex quo falſas decretales (2) uſu recepimus. Noviſſima tempora ſane pauciſſima exempla, in Francia præſertim, ſuppeditant Epiſcoporum in jus vocatorum; unde parum exploratum, quomodo hoc judicium ſit inſtruendum. Contra certum eſt (3), primis octo ſæculis Epiſcopos ſæpe accuſatos & in provincialibus conciliis examinatos, judicatos, condemnatos, &, ſi opus, gradu dejectos fuiſſe; quæ conciliorum ſententiæ exſecutioni datæ. Non deſunt tamen exempla (4) eorum, qui condemnati ad ſe-

---

II. de mirac. c. 19. *Uſque quo uterque contendimus, ſub* JUDICIO *omnipotentis* DEI *penamus, Eamus ad tumulum martyris, & quod ſub ſacramenti interpoſitione dixeris, diſcernat virtus S. Patroni.* conſ. *concil. Meldenſ. d. anno* 845. *c.* 39. apud HARDUIN. *tom. IV. concil. p.* 1489.

(1) Ex profeſſo olim contra hos modos ſcripſit AGOBARDUS *in libro de divinis ſententiis digeſto cum breviſſimis annotat. contra damnabilem opinionem, putantium, divini judicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum pateſieri.*

(2) Quæ ſub ſecunda regum Galliæ dynaſtia maxime alibique vigorem acceperunt, novumque jus introduxere. Hoc cautum eſt, nullum epiſcopum poſſe judicari niſi in Synodo, convocata a ſummo pontifice, id quod tamen antiquis canonibus contrarium, & decretis pontificum Romanorum repugnat, ut ingenue fatetur P. de MARCA *de C. S. & I. lib. VII. c.* 10. *§.* 5 6.

(3) De praxi antiqua Galliæ in peragendis judiciis eccleſiaſticis & judicandis epiſcoporum cauſis conſulendus eſt P. de MARCA *cit. l. c.* 19.

(4) Quæ ſiſtit, & examinat MARCA *cit. l. c. 7. ſeqq.* Cum vero CHRISTIANUS LUPUS & DAVIDIUS his abuterentur, rurſus eadem ſub examen revocarunt

(a) *t. t. X. de purgat. vulg.*
(b) SOCRAT. *l.* 1. *c.* 29. *hiſt. eccl. l.* 21. *n.* 51.

ad ſedem Romanam provocarunt, præſertim ſi alium ſuperiorem non agnoſcerent, veluti patriarchæ. Canon antiquiſſimus, qui Epiſcopos ad papam provocare permittit, habetur in concilio (1) Sardicenſi an. 347. (*a*) qui ita habet: *Si quis Epiſcopus Concilio provinciali depoſitus ad præſulem Romanum adpellat, iſque cauſſam denuo excutiendam eſſe judicat; reſcribet ad vicinæ provinciæ Epiſcopos, ut ipſi judicent. Et ſi Epiſcopus depoſitus a Romano præſule flagitat, ut presbyterum ad ſe mittat, poterit hic mittere commiſſarios, qui ejus nomine judicent cum Epiſcopis* (*b*). Utrum canon ille unquam uſu receptus fuerit, in utramque partem diſputant. In praxi ſane inſecuta tempora a prioribus nihil diverſi oſtendunt uſque ad ſæculum V. papam. Papa, qua caput eccleſiæ de jure divino, ſemper fuit epiſcopus epiſcoporum, quos corripere potuit, ſi quid contra diſciplinam peccarent, præſertim ſi nulla idonea cauſſa fratres ſuos condemnarent. Sed inde non infertur, ſedem Romanam inſtar ordinarii & conciliis provincialibus ſuperioris tribunalis habuiſſe, querelaſque eo delatas fuiſſe appellationes vel inſtantiam ſecundam, quum fuerint remedia extraordinaria adverſus vexationes in cauſſis ad univerſam eccleſiam pertinentibus, qualis fuit Athanaſii, Chryſoſtomi, Flaviani Conſtantinopolitani.

II. Sed falſæ decretales inde a ſæculo IX. receptæ omnem diſciplinam adulterarunt. Si has audies, non niſi *certis perſonis* accuſandi, non niſi *a papa*, etiam in prima inſtantia, judicandi ſunt Epiſcopi, adhibita legum ſolemnitate. Concilium provinciale quidem cauſſam inſtruere ac præparare poterit; ſententia tamen papæ reſervata (*c*). Quum autem fieri non poſſet, ut omnes Epiſcoporum cauſſæ Romæ diſceptarentur, placuit diſtinguere inter cauſſas *minores* & *majores*, quæ ad *depoſitionem* tendunt, quæve papæ erant reſervatæ (*d*). Jam vero generatim omnes cauſſas *majores* (2), quorſum canonum interpretes declarationem credendorum; convocationem concilii univerſalis; approbationem conciliorum & ſcriptorum aliorum doctorum; diviſionem, unionem & translationem epiſcopatuum, exemtionem epiſcoporum & abbatum a juriſdictione ordinarii; translationem; deſtitutionem, reſtitutionem epiſcoporum; abſolutamque & inappellabilem judicandi facultatem referunt; ſoli papæ in prima inſtantia vindicant (*e*).

poſt, papa per falſas decretales,

qui de cauſis majoribus cognoſcit etiam in prima inſtantia.

III. Pragmatica (*f*) conſentit, ut cauſſæ majores, quæ in jure enumerantur, Romam remittantur, & fatetur, eſſe perſonas, quarum depoſitio ſoli papæ competit, quæve, ſi depoſitionem mereri videantur, Romam cum actis remittendæ

quod confirmat concil Trident.

---

runt LUDOVICUS ELLIES du PIN *de antiq. eccleſ. diſcipl. diſſert. II.* & BOILEAU *de antiquis & majoribus epiſcop. cauſis.*

(1) Hiſtoriam & occaſionem hujus canonis exhibet MARCA *cit. l. c.* 3. in qua excutienda Galli eo majorem ſollicitudinem adhibent, quod curia Romana hoc ipſo canone ſæpe inſidias ſtruxerit libertati eccleſiarum Franciæ. Unde contra praxin ejus acriter IDEM *c. l. c.* 4. *ſeqq.* diſputat, putatque, uſu ab initio per diuturna tempora canones hujus concilii deſtitutos, nec agnitos fuiſſe.

(2) Pſeudo-Iſidorus doctrinam de *cauſis majoribus* primum in ſcenam produxit; aſt in praxin non ſtatim generatim deduxit, ſed pedetentim ad varia *reſervata papalia* introducenda anſam dedit, ut pluribus oſtendi *diſſ. de cauſis arduis & major. c. III.* Imprimis hanc diſtinctionem promovit INNOCENTIUS III. & varias novas concluſiones inde traxit.

(a) *c. 7.* (b) *hiſt. eccl. l. 12. n. 33.*

(c) *C. 3. q. 2. c. 3. q. 6. c. 9. q. 3. c. 6.* (d) *C. 1. 2. 3. X. de transl.*

(e) *Gloſſ. in c. 8. X. de exceſſ. prælat. C. 24. q. 1. c. quoties D. 17. c. 1. 2. D. 16. c. ſancta. C. 16. q. 1. c. 7. c. 16. &c.*

() *de concubin. in ſ. concord. tit. 32.*

tendæ ſint. Concinit Concilium Tridentinum, quod (*a*) prohibet, ne Epiſcopus, niſi in cauſſa, in quam depoſitio vel privatio ſtatuta, vadetur, neve teſtes adverſus eum audiantur, niſi ſint contextuales & notoriæ probitatis: ne quis præter papam de his cauſſis cognoſcere audeat, qui, ſi placet, delegare poteſt Metropolitanum vel certos Epiſcopos, mandato ſua manu ſignato, inſtruendos, quibus tamen nuda cognitio: pontifici autem *ſententia definitiva* competit. Aſt minores cauſſas epiſcoporum criminales in concilio provinciali vel coram ejus deputatis diſceptari permittit (*b*).

ſed Franci reclamant exempla epiſcoporum in Francia judicatorum.

IV. In Francia jure veteri vivimus, quo epiſcopus in ſolo concilio provinciali, cui ſi XII. epiſcopi non interſunt, vicini ad numerum concurrentem adhibendi judicatur, ſalva adpellatione ad pontificem, duce canone Sardicenſi 7. Nam concilii Tridentini decreto Clerus Francicus ſtatim reclamavit (1). Quum an. 1632. Renatus, Legionis (2) in Armorico epiſcopus, qui cum regina Maria Medicea in Belgium aufugit, regni habenas moderante Richelio cardinale, perduellionis accuſaretur; Urbanus VIII. archiepiſcopum Arelatenſem, Bononiæque & San-Florenſem ac Maclovienſem epiſcopos judices delegavit, qui ſententiam definitivam pronunciarunt, reum epiſcopatu privarunt, eique maximas eleemoſynas injunxerunt. Sed an. 1645. quum Anna Auſtriaca regnum adminiſtraret, clerus ea de re ſcripſit ad pontificem Innocentium X. qui ſeptem alios epiſcopos delegavit ad cognoſcendum de appellatione interpoſita; atque hi, ſententia priore infirmata, Legionis epiſcopum reſtituerunt. Clerus an. 1650. iterum congregatus, hujuſmodi attentatis obviam iturus, d. 23. Nov. Nuntio apoſtolico ſignificavit proteſtationem adverſus Breve Urbani VIII. ne Franciæ epiſcopis fraudi ſit in poſterum, cauſſaſque epiſcoporum majores in concilio provinciali, cui vicini epiſcopi ad numerum concurrentem adhibendi, judicandas eſſe, ſalva appellatione ad papam. Immunitas epiſcoporum 1654. novæ procellæ exponitur, dum ſenatus Pariſienſis a rege jubetur cognoſcere de cauſſa cardinalis de Retz, archiepiſcopi Pariſini, criminis læſæ majeſtatis accuſati, quod eum privilegio indignum reddere videbatur. Sed quum clerus contra niteretur, epiſcopoſque non niſi in concilio epiſcoporum judicandos demonſtraret; delegatione revocata, rex d. 26. April. 1657. publico edicto conſtituit, ut epiſcoporum cauſſæ ex præſcripto ſanctorum decretorum a judicibus eccleſiaſticis definirentur.

CAPUT

---

(1) Ipſi oratores regni Galliæ in comitiis Tridentinis aperte hanc diſciplinam recuſarunt, eamque libertati Galliæ repugnare, faſſi ſunt, ut ex PALLAVICINO ſuccincte refert ESPEN. *P. III. jur. eccl. tit.* 3. *c.* 4. *§.* 31. *ſeqq.*

(2) Antiquiora exempla ſuppeditant reformationis in Gallia fata. Nam anno 1563. Romæ quinque epiſcopi Galliæ hæreſeos accuſati, quibus adhuc alii additi ſunt. Papa Romam eos citavit, voluitque in hac cauſa cognoſcere; ſed interceſſit Legatus regis Franciæ, ne papa ulterius contra eos procedere potuerit, docens, regni legibus & libertati Galliæ tale quid adverſari. vid. du PIN *dans la nouvelle bibliotb. des auteurs eccleſiaſtiques tom.* XV. p. 390.

(a) *ſeſſ.* 13. *c.* 6. 7.

(b) *ſeſſ.* 24. *c.* 5.

Google

CAPUT XVIII.

De pœnis canonicis.

pœnæ ſpirituales quænam?

I. Reliquum eſt, ut de *pœnis*, quas judex eccleſiaſticus infligere poteſt, loquamur, quæ vel mere *ſpirituales* ſunt, ut depoſitio & excommunicatio; vel aliquid ſæculare involvunt, ut condemnatio ad eleemoſynas, fuſtigatio, carcer. Prioris generis pœnæ ita propriæ ſunt eccleſiæ (1), ut eas ſemper exercuerit, etiam in maximo perſecutionum æſtu: quum magis in *abſtentione* & *recuſatione*, quam inflictione *poſitiva* conſiſtant. Quid enim *depoſitio* presbyteri aliud ſibi vult, quam ut appareat, eum non amplius pro presbytero habendum, neque ſacramenta vel doctrinam ab eo accipiendam eſſe? Quid *excommunicatio* laici, quam ut declaretur, excommunicatum non pro Chriſtiano, ſed pro infideli eſſe habendum?

pœnæ ſæculares quænam?

II. Poſterioris generis pœnæ, quæ coactionem quamdam involvunt, pariter antiquis auctoritatibus nituntur. Nam ab omni tempore eccleſia peccatoribus pœnitentibus eleemoſinas, jejunia, aliaſque afflictiones corporis imperavit; impœnitentibus abſolutionem denegavit, eoſque, ſi diu hærerent in vitio, neque ad pœnitentiam vel ſatisfactionem proni eſſent, excommunicavit. Auguſtinus fuſtigationis, per epiſcopos exercitæ, ad exemplum dominorum, qui ſervos; parentum, qui liberos; magiſtrorum, qui diſcipulos caſtigarent meminit (*a*). Ex quo inferre licet, epiſcopos virgas expediviſſe in terga juniorum clericorum. Abbates per modum paternæ ac domeſticæ caſtigationis monachos virgis ceciderunt: unde *flagellationes voluntariæ* ortæ (2) videntur. Carceres ad tempus vel perpetui in pœnis canonicis numerantur, quia presbyteri & ceteri clerici ob crimina depoſiti clauſtris commendati ſunt, ut reliquum temporis tranſigerent in pœnitentia, memoriaque criminis ſimul ex vulgi oculis removeretur. Fuere tempora, quibus obſtinati, & excommunicati, opitulante brachio ſæculari in exilium agerentur, quod Neſtorio aliiſque contigit, vel judici eccleſiaſtico jusjurandum de ſolo vertendo præſtare tenerentur (*b*). Hæ ſunt pœnæ in tribunali ſacro uſitatæ, quarum mitiores ſalutarem correctionem continent; acerbiores eo tendunt, ut rei fidelibus nocere nequeant, ſalva converſionis via. A ſanguine autem & à ſuppliciis capitalibus, quæ tempus reſipiſcendi intercipiunt, omni tempore abhorruit eccleſia.

quid juris in Francia?

III. Noſtris moribus judex eccleſiaſticus pœnam *honorariam* decernere poteſt, modo ea obeatur in prætorio; non vero alibi, ubi non habet territorium. Injungere

---

(1) Hoc intuitu dicuntur ab Auctore *ſpirituales* quamvis *per abuſum*, ut ſæpe innui, quod quicquid *juris eccleſiaſtici* ſit, pro *Spirituali* haberi debeat. Ceterum *depoſitio* ſeu *privatio officii publici* proprie dicta pœna eſt, & judiciis ſæcularibus quoque communis, quamvis intuitu eccleſiaſticorum hæc cum *ejectione* in judiciis eccleſiæ antiquis olim decreta fuerit. Quis enim ſub æſtu perſecutionum alius in his judex eſſe potuit, quam *cœtus fidelium*, ut pote qui neceſſitate ferente, rebus ſuis conſulere debuit?

(2) Hæc eadem diſciplina quoque ad capitula canonicorum tracta eſt, poſtquam duce CHRODOGAGO ad inſtituta monaſtica effigiari & componi cœperunt. Decanis imprimis *jus virgarum* datum fuit, ut docent ANTON. MATTHÆI *de nobilit. lib.* 2. *c.* 39. *p.* 617. PHILIPPUS LABBEUS *in bibl. MSct. libr. tom.* 2. *p.* 481. AUCTOR *chron. mont. ser. ad ann.* 1213.

(a) *in ep. ad Marcellin. C.* 23. *q.* 5. *c.* 1.

(b) *C.* 3. *X. de crim. falſ.*

gere poteſt pœnam pecuniariam non multæ nomine, ſed *eleemoſynarum* (1); ubi opus pium, cui applicandæ, exprimendum. Injungere poteſt flagellationem publice manu carnificis infligendam. Injungere poteſt clerico extraneo *emigrationem* e diœceſi; non vero *exilium* imperare. Injungere poteſt carcerem perpetuum & ob crimina leviora ſeceſſum in monaſterium vel ſeminarium. Quæ diſtinctiones preſſe obſervandæ, ne appellationibus *tamquam ab abuſu* feneſtra aperiatur.

CAPUT XIX.

De depoſitione vel degradatione & ſuſpenſione.

Clericorum pœna maxima eſt depoſitio,

I. POEnarum canonicarum maximæ ſunt *depoſitio* clericorum, & laicorum *excommunicatio*. Depoſitio eſt privatio omnium functionum publicarum, quas clericus virtute ordinis exercere poſſet. Sic presbytero depoſito nullum jus celebrandi miſſam, vel adminiſtrandi ſacramenta; non quod ſacramenta ſint invalida; ſed quod presbyter, ſpreta eccleſiæ prohibitione, conſecrans vel adminiſtrans, graviter peccat, omneſque ſacris ejus aſſiſtentes peccati fiunt participes. Juribus autem, quæ non ex ordine (2) pendent, ut juriſdictione, beneficiis, honore, prorſus exuitur, ac laicus reputatur, & beneficia a die ſententiæ vacare cenſentur.

quæ veteribus idem quod degradatio,

II. Prima ſæcula *depoſitionis & degradationis* vocabulo promiſcue utuntur ad ſignificandum, clericum condemnatum locum, quem tenuit, amittere & gradu ſui ordinis excidere. Ad hominum animos percellendos placuit ritus, clericum depoſitum publice ornatu clericali ſpoliandi, eidemque, ſi concilium injuria depoſitum reſtituendum decrevit: ornamenta publice reddendi, quæ eſt ſanctio concilii Toletani IV. an. 633. (*a*) Et quamquam clericus depoſitus laicus fieret, non poterat tamen vitam vivere ſæcularem, ſed monaſterio commendabatur ad pœnitentiam, quam ſi ſubire detrectabat, excommunicationis fulmine feriebatur (*b*).

quæ eſt vel verbalis, vel realis,

III. Sequioribus temporibus invaluit diſtinctio inter degradationem *verbalem* & *realem*. *Verbalis* eſt ſimplex depoſitio, nullis cæremoniis externis ſtipata. *Realis* ad hunc fere modum peragitur (3) (*c*): clericus degradandus induitur omnibus ordinis ſui ornamentis, manibuſque tenet librum vel aliud officii ſui inſtrumentum: quo habitu adducitur ad epiſcopum, qui ſingula ornamenta ſigilla-

---

(1) Hoc ſub prætextu, quod *eleemoſynæ* credantur efficaciſſimum remedium expiandi peccata, & ideo olim *pœnitentibus* impoſitæ fuerint. Quis vero crederet, pœnas eccleſiaſticas eſſe *eleemoſynas*, quæ ab *invitis* exiguntur, quæ utique *pœnæ* ſunt proprie dictæ? Verum ipſa *pœnitentia* in genere mox in eundem abuſum tracta, & per modum *pœnæ* invitis impoſita eſt, unde omnes ceteræ pœnæ videntur derivandæ.

(2) Hunc enim per depoſitionem non amitti cenſent, ob *characterem indelebilem*, animæ impreſſum per ordinationem, unde jura *ordinis* naſcuntur: cetera ſola *electione*, *confirmatione*, vel *collatione* acquiruntur, quæ rurſus adimi queunt.

(3) Non inique cenſet BONIFACIUS VIII. in *c.* 2. *de pœn. in* 6. *ad exemplum exautorizationis ejus, qui militiæ deſervit armatæ, cui militaria detrahuntur inſignia, ſicque a militia, remotus caſtris ejicitur, privatus conſortio & privilegio militari*, hanc degradationem eſſe introductam, quod etiam praxis, quæ tempore JUSTINIANI obtinuit, docet. v. *Nov.* 83. *in præf.* §. 2.

(a) *c.* 18. *D.* 8.
(b) *C.* 11. *q.* 3. *c.* 65.
(c) *Pontif. Roman. de degrad.*

gillatim ei publice eripit, incipiendo ab eo, quod in ordinatione ultimum, & deſinendo in eo, quod primum erat, ſcilicet in humerali, jubetque, ut caput omne radatur ad delendam coronam clericalem, ne ullum ſuperſit clericatus veſtigium. Inter hæc territionis cauſſa pronuntiat conceptas verborum formulas, eis, quæ in ordinatione adhibentur, contrarias. Hæc ſolemnis degradatio fit, ſi clericus curiæ ſæculari tradendus eſt: unde judex laicus coram adſtat, ut reum illico ad ſe rapiat. Eccleſia tamen pro ſalute ejus intercedere, &, ſi mortis pœna remittitur, hominem clauſtro ad agendam pœnitentiam tradere debet (*a*).

IV. Ad degradationem autem idem numerus epiſcoporum, qui a veteribus canonibus ad depoſitionem requiritur. Nam ad deponendum epiſcopum concilium XII. epiſcoporum; ad deponendum presbyterum VI. epiſcoporum; ad diaconum III. epiſcoporum deſiderabatur (*b*). Minores clericos epiſcopus in conſeſſu cleri ſui deponere poterat. Et hæc quidem vetuſtis temporibus, quibus concilia frequentiora & clericorum crimina rariora fuere, factu erant facilia. Sed ſequiori tempore clerici ſæpius peccarunt, epiſcoporum concilia, in Francia & in Germania maxime coactu difficilia fuere. Quid? quod epiſcopi vel ſoli vel per officiales ſuos deponere auſi ſunt presbyteros. Unde judices ſæculares, quibus hæc degradatio videbatur affectata cærimonia ad ſufflaminandam juſtitiam, eam diu operiri, criminibuſque impunitatem permittere (1) noluere. Idque tanto magis, quod quando ipſi in caſu privilegiato clericum condemnaverant, epiſcopus eum ſine cauſſæ cognitione degradare noluit. Inde pedetentim eviluit reverentia erga perſonas conſecratas, quæ lictoribus palam conſtringendæ projiciuntur, ut nullam hodie in Francia degradationem videas. Interim concilium Tridentinum accelerandæ debitæ criminibus pœnæ ſtatuit (*c*), Epiſcopum ad degradationem ſolemnem presbyteri vel alius clerici loco aliorum epiſcoporum, tot abbates inſulatos cruciatoſque, vel alias perſonas, quæ ſunt in dignitate eccleſiaſtica, advocare poſſe. *a quo ſuſcipiatur?*

V. Sed & aliæ pœnæ canonicæ, quæ ad ***privationem bonorum ſpiritualium temporariam*** diriguntur, ut reus ad frugem redire inſtigetur, ſcilicet ſuſpenſio, interdictum, excommunicatio: quas *cenſuras*, (2) quam *pœnas*, adpellare malim. Nam licet excommunicatio Chriſtianum a ſocietate fidelium excludat in perpetuum, eccleſia tamen non intendit, ut perpetuo miſer ſit, ſed ut reſipiſcat, & peccati veniam petat. Aliud de clerico depoſito dicendum, qui eo animo deponitur, ut per omnem vitam privatus maneat miniſterio, quo ſemet indignum reddidit: nam ſi reſtituitur, id fit per *diſpenſationem* & ex *gratia ſingulari*. *2. cenſura & quidem*

VI. Suſpenditur clericus, cui ad certum tempus exercitium functionum ſui ordinis interdicitur; nam ſi in perpetuum, ac omnis generis functionum diceretur, depoſitio foret: quæ quum ſit pœnarum, quas eccleſia clerico dictare poteſt, *a. ſuſpenſio,*

(1) Revera enim difficultates circa *degradationem* obvenientes effecerunt, ut rarius crimina clericorum, debito modo punita fuerint, quin potius ut plurimum id unice egerunt, ut prævia ſimplici depoſitione, monaſterio includerentur, perpetua pœnitentiæ agendæ cauſa.

(2) Hæc differentiæ ratio inter *depoſitionem* & *excommunicationem* non adeo ſtringit. Fatetur Auctor, hanc *perpetuam excluſionem*, illam *privationem perpetuam* continere. Excommunicatus ſi reſtituitur, itidem ex *gratia* reſtitutus olim fuit per diſpenſationem, cum manifeſtum ſit ex antiquitatibus, nonnunquam hanc gratiam prorſus negatam & excommunicationem factam fuiſſe abſque ulla ſpe reſtitutionis. Præterea priſco ævo excommunicatio non fuit medium homines ad pœnitentiam deducendi, ſed hæc fuit potius medium, in gratiam redeundi cum eccleſia læſa, & ita reſtitutionem impetrandi. Unde utraque ſpecies recte *pœna* dici poſſunt.

(a) *C.* 27. *X. de ſignif.*
(b) *C.* 15. *q.* 7. *c.* 3. *c.* 4.
(c) *ſeſſ.* 13. *c.* 4.

localis, perſonalis, generalis, ſpecialis.

teſt, maxima, conſentaneum fuit, ut leviores excogitarentur, & peccatis proportionatæ. Unde & plures ſunt *ſuſpenſionis* gradus. Eſt enim ſuſpenſio vel *localis*, vel *perſonalis*. *Localis*, ſi certo in loco functiones obire prohibetur; *perſonalis*, ſi in omnibus locis. Præterea *generalis* eſſe poteſt, vel ad certas functiones reſtringi, veluti ſi a ſuggeſtu arceretur, qui ſacrum facere & ſacramenta adminiſtrare pergit. Poteſt etiam ad tempus reſtringi longius, brevius: quo elapſo ceſſat ipſo facto, vel rurſus injungitur ad beneplacitum epiſcopi: quo caſu exſpectandum, dum expreſſe tollatur. Interdum clericus non functionibus ſui ordinis, ſed alio quopiam jure, veluti canonicus jure ſuffragii, introitu in chorum, fructu beneficii ad tempus, interdicitur, pro culparum qualitate & morum diverſitate. Suſpenſio eſt pœna clericorum propria, quam qui eludit, irregularis redditur. Hanc ſemper primam dictare ſolent judices eccleſiaſtici, & quidem ſimulatque accuſatus reſpondit ad articulos, (1) quia ex ipſorum opinione vadimonium infert ratione clericorum *ſuſpenſionem*, quemadmodum ratione miniſtrorum laicorum *interdictionem*.

C A P U T X X.

De excommunicatione.

excommunicatio, pœna clericorum & laicorum, varie accipitur.

I. EXcommunicationis fulmini omnes Chriſtiani patent: cujus diverſæ ſpecies in veterum diſciplina obſervantur. Nam & epiſcopus, qui ſemet a concilio abſtinuiſſet, vel alterius diœceſeos clericum ordinaſſet, excommunicari dicebatur, ſi communione aliarum eccleſiarum privatus (2) ad propriæ eccleſiæ communionem reſtringeretur (*a*); quum tamen tantummodo commercium ejus cum

(1) Neque enim aote *litis conteſtationem* ſuſpenſio decerni poteſt, cum demum per illam judex plenius informetur de imputato delicto. *Sæpius plauſibilia ad inquirendum videntur indicia, quæ audito reo in fumum abeunt, & nebularum inſtar reſolvuntur*, ut optime ait STRYK *de ſuſpenſ. ab offic. c. III. n.* 63. Inde liquet ſuſpenſionem decerni; 1. ob exceſſus: 2. ob contumaciam clericorum 3. ob inſtitutam de graviori crimioe inquiſitionem.

(2) Differentia quædam, ni fallor, olim obtinuit inter *ſimplicem abſtentionem*, & *excommunicationem*. Illa conſiſtebat in *denegatione communionis eccleſiaſticæ ſimplici*, qoam etiam ſinguli facere poterant juſta de cauſa ſine decreto eccleſiæ. Moſem, martyrem, Novatum a communione ſeparaſſe una cum quinque presbyteris ſcribit EUSEBIUS *lib. VI. hiſt. eccl. c.* 43. *ſ.* ubi notaoda phraſis, ἀκοινώνητον ἐποίησεν h. e. ipſi communionem deoegavit, nec ejus partes ſequi voluit; quamvis ſibi jus *excommunicandi* arrogare haud poſſet. Eadem ratione integræ eccleſiæ renunciarunt communioni, id quod *abſtentionem* arguebat, quia poſt hanc omnes *communionis* effectus inter tales eccleſias ceſſabant. Io controverſia ſuper Paſchatos feſto Victor epiſcopus Romanus univerſas Aſiæ eccleſias a communione ſua ſeparare conatus eſt. Inde *ſchiſmatum* origo, quæ ſepararunt tandem etiam eccleſias orientales & occidentales, quatenus communicare inter ſe deſiere. Magna olim inter omnes eccleſias & intima unio, quæ variis modis ſignificabatur & conſervabatur. Hæc ſi rumpebatur, quod VICTOR tentavit teſte EUSEBIO *lib. V. hiſt. eccl. c.* 24. *abſtentio* inde naſcebatur, aſt *excommunicatio*, quam CYPRIANUS ſæpe late *abſtentionem* vocat, erat ejectio ex cœtu eccleſiaſtico ejus, cujus membrum antea fuerat. Hæc eum effectum habebat, ut ejectus ab aliis haud recipi poſſet eccleſiis, niſi cum ſua eccleſia rediiſſet in gratiam. Ejectus non niſi per *pœnitentiam* reſtituebatur in integrum. Quarum eccleſiarum communio per *abſtentionem* ſoluta erat, aliis modis redintegrabatur, veluti per amicabilem compoſitionem vel conciliorum auctoritatem.

(a) *c.* 10. *D.* 18.

Digitized by Google

cum fratribus ſpirituale ſuſpenderetur. (*a*) Regula Benedicti c. 44. excluſionem ab oratorio vel a menſa communi, qua plectebantur monachi ſerius venientes, excommunicationem vocat. Uſu ſequiorum temporum excommunicatio involvit anathema, h. e. excluſionem a communione fidelium, quæ incruſtatur verbis evangelii: *Si, quem corripuiſti, non audit eccleſiam, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus* (*b*); & Pauli: *Si quis frater nominatus eſt fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eo nec cibum ſumere convenit* (*c*), quod AUGUSTINUS (*d*) de eo explicat, qui horum criminum accuſatus & condemnatus eſt: nam & ORIGENES ante eum (*e*) docuerat, neminem, niſi criminis manifeſtum, ex eccleſia eiiciendum eſſe; &, ſi cuique libera eſſet ſejunctio ab iis, quorum mores diſplicent, temerariis judiciis & infinitis ſchiſmatibus feneſtra aperiretur. Amplius Paulus inquit: *Si quis non obedierit verbo noſtro, hunc notate, nec commercium habete cum illo, ut confundatur. Non tamen quaſi inimicum exiſtimate, ſed ut fratrem corripite* (*f*). Hæ ſunt excommunicationis regulæ, (1) cui minimum tres admonitiones præmittendæ, quum Chriſtus offenſorem privatim, poſt, adhibitis teſtibus, denique coram eccleſia monendum prius jubeat, quam evitandum. Decernenda (2) eſt & pronuntianda ab eo, qui in eccleſia auctoritatem habet. Effectus eſt, ut commercium excommunicati evitetur; ſcopus, ut ſancto rubore perfundatur, amandus tamen perpetim & ad ſalutem retrahendus (*g*).

II. Harum regularum epiſcopi primis ſæculis obſervantiſſimi raro ad ſacrum *olim rarior*, fulmen confugerunt. Si quis accuſatus eſſet, ſollicita cura examinarunt vitam ejus anteactam, &, ſi accuſatio hærebat, eum privatim increpuere: poſt reluctantem coram teſtibus humaniter corripuerunt, denique induratum coram eccleſia palam perſtrinxerunt (*h*). Boni medici officio fungentes ſolatium leniendo malo; minas & exprobrationes vulneri purgando & tumori reprimendo; corruptioni præcavendæ jejunia adhibuere. Sin malum omnia membra corripuiſſe, nec medendi ſpem ſupereſſe videbant, adhibito epiſcoporum & longo uſu ſubactorum presbyterorum conſilio, re exquiſite penſitata, immedicabile membrum, ne partes ſinceræ inficerentur, reſecarunt, dolentes tamen & lacrymantes, uniceque dicto Pauli *auferte malum e vobiſmet ipſis* (*i*) obtemperantes. Excommunicatus habebatur ut infidelis, & Chriſtiani nullum cum eo commercium, præſertim in precibus habuere (*k*). Poterat quidem venire in eccleſiam, & ſcripturam prælectam concioneſque audire, quod ipſis *infidelibus* non negabatur; ſed idem cum infidelibus a myſteriis divinis removebatur, ut deſiderium orandi cum fidelibus

(1) In *diſſert. eccleſ. jur. antiqui ad Plin. II. & Tertull. diſſ. III.* pluribus oſtendi, non ex his dictis, ſed ex alio fundamento ejectionem improborum hauriendam eſſe. Vel ultimus locus Pauli demonſtrat, correptionem fraternam, ſingulis commendatam, non eſſe excommunicationem. Tres *monitiones* præcedentes deſumuntur ex doctrina Chriſti de *fraterna correptione*, quæ rurſus fruſtraneo conatu ad excommunicationem trahitur. Ethnici & publicani inter *excommunicatos* non numerabantur; eorum tamen familiare commercium fugiendum erat, id quod tamen non ſtatim excommunicationem arguit.

(2) Olim decernebatur ab *eccleſia* ſeu ex ſuffragiis totius cœtus, epiſcopo tantum directionem judicii gerente, id quod etiam rationem habebat, quia ejectio ex cœtu negotium eſt, quod univerſum tangit cœtum, & ſic merito ab ejus decreto dependere debet.

(a) *c. ſiquis D.* 58.
(b) MATTH. *XVIII.* 17.
(c) 1. *Cor. V.* 11.
(d) AUGUSTINUS *homil.* 50. *c.* 12.
(e) *homil.* 21. *in Joſue.*
(f) 2. *Teſſ. III.* 14.
(g) *Baſil. ep.* 47.
(h) *Conſt. apoſt. l.* 2. *c.* 37. 38. 41.
(i) 1. *Cor. V.* 13.
(k) *Conſt. apoſt. l.* 2. *c.* 38.

Digitized by Google

fidelibus in eo excitaretur, & ceteri ejus exemplo terrerentur (*a*). Interim epiſcopus eum non neglexit, ſi vel maxime altera vice lapſus eſſet (*b*). Non abhorruit ab ejus conſortio, non a convictu, memor, Chriſtum manducaſſe cum Phariſæis & peccatoribus. Conſolabatur, exhortabatur, ne animum deſponderet. Reſipiſcentem & pœnitentia dignos fructus oſtendentem gaudio perfuſus recepit tamquam filium perditum, ac manuum impoſitione cum eccleſia reconciliavit, precumque & ſacramentorum fecit participem (*c*). Inter hæc omnia ſi quis laicorum quoque conquereretur, ſe temere ab epiſcopo excommunicatum fuiſſe, ex ſimultate vel libidine nocendi; ad concilium provinciale res deferebatur, tamquam maximi momenti, quippe ſtatum Chriſtiani ſpiritualem afficiens. Hoc fuit veterum in excommunicando conſilium.

poſt frequentior ac dirior. III. Quo magis autem Chriſtianorum mores in pejus ibant, & epiſcoporum probitas decreſcebat, eo magis cauſſæ excommunicationis augebantur & moderatio in uſu hujus extremi remedii minuebatur. Inde a ſæculo IX. epiſcopi ſæpe his armis repulerunt impreſſiones dynaſtarum, bonis eccleſiæ inhiantium, quibus ſæpe junxerunt clavam martialem & armatos homines (1). Augeſcente hominum duritie, decurſum eſt ad rigores veteribus inauditos, ut familiæ, provinciæ, regna (2) vel excommunicarentur, vel interdicto premerentur; ut excommunicationes ipſo facto, i. e. ſine monitione & ſententia, ſimulatque crimen commiſſum, introducerentur; ut nonnullæ papæ reſervarentur, ut abſolutionis cauſſa Romam eundum eſſet; ut excommunicationi cærimoniæ terribiles, veluti exſtinctio & projectio cereorum, campanarum pulſus, & imprecationes deteſtabiles adhiberentur. Præterea excommunicatio *ipſo facto* in eos conſtituta fuit, qui cum excommunicato convivebant: idque idoneis auctoritatibus, quæ (*d*) excommunicandos eſſe cenſent, qui cum clerico depoſito converſarentur. Sic una excommunicatio infinitas peperit; quum commercium illud ſtrictiſſime acciperetur, & ad *ſæcularia emolumenta* (3) extenderetur. Num ne ſervis quidem, liberis, uxori licebat ad excommunicatum accedere, nec ipſe in judicio comparere vel ullo jure gaudere poterat. Denique circa an. 1080. Gregorius VII. effectus excommunicationis ſuper omnes limites protulit, cenſuitque, principem excommunicatum omni poteſtate privari, vaſallos a jurisjurandi fide, ſubditos ab officio parendi liberari (*e*), Sed nimium terribilem eccleſiæ poteſtatem redditurus contemtam reddidit, remque eo deduxit, ut laici cenſuras ſuſque deque haberent (4), & ſaniores epiſcopi ad eas decurrere dubitarent. Interim hunc rigo-

(1) Potiſſimum vero his armis pugnatum eſt pro defendenda potentia, territoriis, juriſdictione, imperio, & ut paucis dicam, pro tuenda ambitione. Poſtquam enim epiſcopi *domini terrarum* facti, excommunicatio in inſtrumentum *dominatus terreni* mutata, & contra reges, principes alioſque potentiores extenſa eſt. Nec diverſo jure uſus eſt Papa pro tuendo Petri patrimonio, & ſedis Romanæ juribus.

(2) Contra hunc abuſum, occaſione excommunicationis, qua PAULUS V. Rempublicam Venetam petiiſſe legitur, ſcripſit FRA PAOLO, religioſus Servita, tractatum elegantem Italico idiomate, etiam in Gallicum verſum ſub tit. *les droits des ſouverains defendus contre les excommunications & les interdits des Papes; ou examen & refutation du droit d'excommunier que les Papes ſe ſont injuſtement attribué.*

(3) Hoc modo excommunicationi infiniti effectus civiles ſuperadditi ſunt, qui olim, ut AUCTOR antea optime demonſtravit, mere *eccleſiaſtici* erant. Horum omnium fundamentum fuit, *quod nullo modo communicandum eſſet cum excommunicato.*

(4) Utpote vel male & præcipitanter pro-

(a) *ibid. c.* 39. (b) *ibid. c.* 40. (c) *ibid. c.* 40.
(d) *Concilium Antioch. an.* 341. *c.* 1.
(e) *C.* 15. *q.* 6. *c.* 4. GREG. *VII. l.* 6. *ep.* 2. *hiſt. eccl. l.* 62. *n.* 36.

rigorem certis reſtrictionibus temperarunt. Ipſe Gregorius conjuges, liberos, ſervos excommunicatorum; item qui ex ignorantia vel neceſſitate, veluti emendi vel eleemoſynæ cauſſa cum ipſis commercium haberent, excipiendos eſſe cenſuit (*a*).

Eſt vel minor vel major.

IV. Excommunicatio ob communicationem cum excommunicato inflicta, *minor* vocabatur, & operabatur abſtentionem a ſacramentis, non ab eccleſia & convictu fidelium: quo factum eſt, ut excommunicationes non ferperent in infinitum. Interim excommunicatorum fuga imperata multum incommodi habuit ratione excommunicationum ipſo jure & generalium. Unde concilium Baſileenſe (*b*) declaravit, duplicis generis excommunicatos vitandos eſſe, eos videlicet, qui nominatim & ſolemniter excommunicati eſſent, & quorum excommunicatio tam certa eſſet, ut de ea nullo modo dubitari poſſet. Quod decretum a Martino V. confirmatum pragmaticæ noſtræ (*c*) & concordato (*d*) inſertum legitur.

reſtrictiones conc. Tridentl.

V. Concilium Tridentinum novas reſtrictiones adjecit, agnovitque, excommunicationem, ſi non ſobrie & circumſpecte adminiſtretur, contemtam noxiamque fieri. Et primum quidem *monitoria ad revelandum* non niſi urgente neceſſitate & poſt maturam deliberationem decernenda eſſe voluit ab epiſcopo, qui nihil in hac re auctoritati magiſtratuum dare deberet. Deinde præcipit, ne quis epiſcopus hoc remedio abutatur ad compellendos homines, ut epiſcopi mandatis obtemperent, ſi alia ratione, veluti bonorum ſubtractione, arreſto & per brachium ſæculare id aſſequi valeat. Simul tamen magiſtratibus præcipit, ne epiſcopum impediant in excommunicatione, ne eum ad abſolutionem cogant, vel jus de cauſſa excommunicationis cognoſcendi ſibi arrogent.

excommunicatio vel infligitur per ſententiam,

VI. Univerſum autem excommunicationis negotium hodie ita ſe habet. Primum requiritur ſufficiens *cauſſa in jure expreſſa*, vel ſaltem *publicum ſcandalum*, quia agitur de pœna omnium ſpiritualium maxima infligenda. Defectus cauſſæ injuſtam reddit excommunicationem, quæ tamen reverenda eſt (*e*). Qui excommunicationem pronuntiat, *juriſdictione* inſtructus eſſe debet & præmittere tres *admonitiones*, (1) intervallo bidui ſingulas proponendas (*f*). *Sententia* ſcripto conſignanda eſt, qua nomen perſonæ & cauſſa exprimenda (*g*). Nomina poſtea in eccleſiis recitanda & portis affigenda ſunt, ut vulgus norit, quos vitare debeat. Si in eccleſiam veniunt, expellendi ſunt; ſi hoc fieri nequit, ceſſandum eſt a divinis & ex eccleſia fugiendum. Hæc obſervanda ſunt ratione excommunicationis *ab homine*.

vel incurritur ipſo facto.

VII. Sed excommunicationes *a lege* ipſo facto incurruntur, ſimulatque peccatum

pronunciatas, vel alio utplurimum vitio laborantes, ut recte huc applicaverit PAOLO vulgatum illud: *ſæpe majus eſt peccatum judicii, quam illius peccati, de quo fuerit judicatum*. Illud vero præcipue hic conſiderandum eſt, a pontifice Romano ratione *imperii temporalis* & inde dependentium jurium hoc fulmen adhibitum fuiſſe, de quibus alias armis decernitur. Inde judices in propria cauſa ſemet conſtituerunt, & quidem in cauſa mere *civili*, *ſæculari*, & tali, in qua principes ſuperiorem non habent, & in qua Papæ ut *principes ſæculares* procedere debuiſſent.

(1) Ut vel pareat, & *contumaciam* purget, vel ob *crimen commiſſum* ſatisfaciat. Illa quæritur in *inobedientia*, quando decretis papalibus vel epiſcopalibus morem gerere nolunt, quæ in propria cauſa utplurimum decernuntur. *Satisfactio* collocatur in *pœna* a judice eccleſiaſtico præſcripta, aliiſque remediis ad indemnitatem potiſſimum pertinentibus.

(a) *C.* 12. *q.* 3. *c.* 100.
(b) *ſeſſ.* 20. (c) *tit.* 21. (d) *tit.* 33.
(e) *C.* 11. *q.* 3. *c.* 1. (f) *C.* 27. *q.* 4. *c.* 23.
(g) *C.* 48. *de ſent. excom.*

Digitized by Google

tum commiſſum eſt. Sic ſimoniacus, ſic qui clericum percuſſit, ex eo facto ab eccleſia abſtinere & abſolutionem petere debet: quod ex formula proclamationis manifeſtum. Haberetque reus, quod ſibi imputaret, ſi abſolutio differretur, quippe quæ nemini, qui ad officium redit, denegari ſolet. Sed has nemo obſervare tenetur, niſi qui eas noverit, quarum multæ ſine culpa ignorari poſſunt. Tantus enim eſt excommunicationum a *lege* vel *ipſo facto* numerus; (1) ut ne quidem ſolertiſſimi canonum interpretes cunctas enarrare audeant. In ſolo ſexto decretalium numerantur XXXII. (*a*) In Clementinis L. (*b*) In bulla *in cœna domini* XXI. (*c*) In ceteris pontificum conſtitutionibus infinitæ; ne quid dicam de conſtitutionibus ſynodalibus, mandatis epiſcoporum & regularium ſtatutis. Sed in antiquis canonibus in decreto & decretalibus vix XXX. reperiuntur, quæ tamen ſi recte ponderentur, maximam partem non excommunicationem *ipſo facto*, ſed *ab homine* convictis infligendam, indigitant. Neque eſt, quod aliter interpretemur verba celebratiſſimi canonis, *ſi quis ſuadente diabolo* (*d*), quo dicitur, eum, qui in clericum vel monachum violentas manus intulerit, *anathematis vinculo ſubjacere*, ſi ſcilicet convictus ac condemnatus fuerit. Interim *gloſſa* id explicat de excommunicatione ipſo facto incurrenda, quæ opinio vulgo regnat.

CAPUT XXI.

De interdicto.

Interdicta olim incognita, I. INterdictum eſt prohibitio in certo loco, veluti civitate, provincia, regno, divina officia vel ſacramenta celebrandi, aut certas perſonas ad ea admittendi, quocumque tendant. Prius *locale*; poſterius *perſonale*; utrumque conjunctum *mixtum* vocari ſolet. Hæc cenſura æque ac *excommunicatio generalis* primis ſæculis inuſitata fuit (2), ſi hæreticos aut ſchiſmaticos, ab eccleſia receſſionem manifeſto facientes, exceperis. Nam a ceteris peccatoribus, qui nominatim excommunicati non eſſent, Chriſtiani non abhorruerunt (*e*). In primis hoc ſibi commendatum habuere epiſcopi, ne facile peccatores, qui tanta potentia tantoque

(1) Et tamen nihil magis a tramite juſtitiæ abit, quam hæc excommunicatio, quippe quæ omnem defenſionem delinquenti adimit, inauditum condemnat, & jugum intolerabile hominibus imponit, ut recte PAOLO *cit. l. c.* 2. judicat. Quo magis numerus hujus excommunicationis crevit, eo magis decrevit juſtitia, & imperium eccleſiaſticum incrementa cepit.

(2) Revera quædam *excommunicationis* ratio in *interdicto* latere videtur, niſi quod effectum ſuum etiam extendat ad innocentes. Ob culpam regum nonnunquam integrum regnum interdicto ſubjectum fuit, hunc unice in finem, ut ſubditorum, ob ſacra ademta, animi exulcerati in regem eo magis irritarentur, ad rebellionem diſponerentur, & pro hac ſedanda rex per indirectum cogeretur voluntati Papæ obtemperare. Hi fuere triſtes effectus liberalitatis regum erga pontificem, qua ipſi omnium ſacrorum liberam diſpoſitionem conceſſerunt, quo facto, in ejus arbitrio fuit, eorum uſum pro lubitu iis adimere. v. SPONDANUS *in contin. Baron. ad ann.* 1198. *nu.* 8. ubi hoc declarat interdicto, Galliæ toti inflicto, ob regis contumaciam, quæ, poſtquam per novem menſes duravit, tandem univerſam Galliam, ſecundum votum pontificis, ad ſeditionem contra regem excitavit, quæ aliter ſedari non potuit, quam poſtquam Rex voluntatem ſuam pontificis voluntati ſubmiſit.

(a) *Gloſſ. in c.* 22. *X. de ſent. excom. in* 6.
(b) *Gloſſ. in cl.* 1. *eod.*
(c) NAVARR. *man. c.* 27. *n.* 50.
(d) *C.* 17. *q.* 4. *c.* 29.
(e) *C.* 23. *q.* 4. *c.* 19.

que numero erant, ut nulla correctio ſperanda, ſed rebellio & manifeſtum ſchiſma metuendum eſſet, ab eccleſia ſegregarent (*a*). Idque ex conſilio Auguſtini, (*b*) ubi addit, populum magis *doctrina*, quam *imperio*; *exhortatione*, quam *minis* regendum, & ſeveritate adverſus ſingulos peccatores utendum eſſe. Laudat caritatem & prudentiam Cypriani, qui a communione cum epiſcopis, quos avaros, uſurarios, alienæ rei uſurpatores increpuerat, non abhorruit, carpitque rigorem juvenis epiſcopi, qui ob delictum domini totam familiam excommunicaverat (*c*). Fatetur tamen, magni nominis epiſcopis interdum aliud placuiſſe (*d*), quale exemplum in Baſilio (*e*) occurrit, ubi contra plures raptores eorumque familias, & contra oppidum, quo fugerant, fulmen emiſſum legitur. Sed nullibi legimus, Conſtantium aut Valentem imperatores, licet hæreticos & catholicorum perſecutores, excommunicatos vel ab eccleſia adeunda prohibitos fuiſſe. Quæ autem adverſus Anaſtaſium & Leonem iconoclaſtam excommunicatio pronuntiata legitur, ad ſubditos eorum haud porrecta fuit.

invaleſcunt magis eccleſiæ damno

II. Primum interdictorum uſum exeunte ſæculo VI. demum deprehendo, quo GREGORIUS Turonenſis plura refert exempla epiſcoporum, qui ob crimina atrocia imperarunt ceſſationem a divinis, ut eccleſiæ in luctu conſtituerentur (*f*). Sed inde a Gregorii VII. temporibus invaluerunt *excommunicationes generales*, & interdicta ob crimen a principe commiſſum. Nam excommunicato imperatore vel alio principe, omnes ejus fautores & aſſeclæ h. e. omnes ſubditi, in obedientia perſeverantes, excommunicabantur, & totum regnum interdicto (1) verberabatur, ut ceteri etiam, ne pœnam criminis ipſi ferre cogerentur, ad rebellionem excitarentur. Similiter epiſcopi ob inobedientiam dynaſtæ vel magiſtratus civitates interdicto perculerunt: quod ſæpe factum, quum dynaſta vel civitas quemdam excommunicatum expellere detrectaret (*g*). Sed experientia docuit, rigorem iſtum plus damni, quam utilitatis adferre eccleſiæ. Innocentes loco nocentium plectebantur, quippe divinis officiis & ſacramentis privati (*h*). Succeſſu temporis populi callum obducentes deſpicabantur ſacra, quorum nullum ſuper exercitium, nulla ſignificatio. Gloſſa (*i*) memorat, quamdam Marchiæ Anconitanæ civitatem tam diuturno interdicto oppreſſam, ut homines triginta & quadraginta annorum, qui miſſam nullam celebrari viderant, presbyteris celebrantibus illuderent. Interdum populi, tantæ ignominiæ impatientes, in ſeditiones & ad vim publicam accendebantur. Unde *interdictorum* moderamine opus fuit.

Ab interdicto qui excipiantur.

III. Quare principio baptiſmum infantum & morientium pœnitentiam exceptam legimus. Deinde regularibus id indultum novimus, ne interdicto generali & ipſi involuti intelligerentur, quibus in ſuis Eccleſiis divina officia, ſed clauſis januis, & ſine cantu ac campanæ pulſu, peragere licuit. Nonnumquam conciones pœnitentiales habitæ, confirmatio & viaticum datum, miſſa minus ſolemnis ſingulis dominicis, ſed clauſis portis & remotis excommunicatis, celebrata

(*a*).

(1) Sæpe tamen etiam regna interdicto ſubjecta ſunt ſine excommunicatione regum nominatim facta. Etenim potuit rex excommunicari, ſalvis ſacris ſubditorum: quandoque etiam nominatim excommunicationem in principes vibrare noluerunt, ad graviora mala avertenda, quo caſu interdictorum uſum adhibuere: quandoque utroque fulmine uſi ſunt, prout rationes præſentis ſtatus id permiſerant.

(a) *ibid. c.* 32. (b) *ep.* 22. *al.* 64.
(c) *l.* 3. *cont. Parm. & de bapt. cont. Donat. l.* 4.
(d) *C.* 24. *q.* 3. *c.* 1. *ex ep. ad Auxil.* 75. (e) *ep.* 144.
(f) *hiſt. eccl. l.* 34. *n.* 53. (g) *Pragm. tit.* 22.
(h) *C. ult. de ſent. excom. in* 6. (i) *in d. c. ult.*

(*a*). Denique adminiſtratio pœnitentiæ, minus ſolemnis Miſſa, quotidie; ſolemnis autem quater vel quinquies in anno feſtis celebrioribus permittebatur (*b*).

interdictum ipſo facto incurritur: IV. Pœna eorum, qui interdictum violant, eſt excommunicatio (1). Interdictum autem iiſdem ſolemnibus ac excommunicatio pronuntiatur; ſcilicet e ſcripto, expreſſo nomine & cauſſa inſerta, præviiſque tribus admonitionibus. His cærimoniis non opus habet *ceſſatio a divinis*, quæ ſine judicis decreto caſu contingere poteſt, veluti ſi polluitur ecclelia. Sunt conſtitutiones, quibus interdictum *ipſo facto* in certis caſibus; ſunt, quibus ſuſpenſio ratione clericorum ſtabilitur. Unde hæc diſtinctio, ut ipſo facto vel ab homine, i. e. lege generali vel judicio particulari incurrantur, tribus hiſce cenſuris, ſuſpenſioni, excommunicationi & interdicto communis eſt.

CAPUT XXII.

De abſolutionibus.

A quo petenda ſit abſolutio ab his cenſuris? I. SUpereſt, ut diſpiciamus, quibus modis cenſuræ tollantur. Eæ igitur, quæ *a judice* pronuntiatæ ſunt, non niſi eadem auctoritate, i. e. ab ipſo judice, ejus ſucceſſore, delegato, vel ſuperiore, juriſdictionem habente, relaxari poſſunt. Quæ a *lege* inflictæ, a judice ordinario, immo & a presbytero, qui abſolutionem ſacramentalem adminiſtrandi poteſtate gaudet, remitti poſſunt: unde fere generalis omnium cenſurarum abſolutio præmitti ſolet. Sed presbyter ab eis liberare nequit, quæ epiſcopo vel papæ reſervatæ ſunt. Excommunicatio *minor* per quemcunque presbyterum adprobatum tolli poteſt, & quilibet presbyter, etiamſi approbatus non ſit, in articulo mortis, ut omnia peccata, ſic omnes ceuſuras remittere poteſt. Abſolutio autem debet eſſe libera, nec magiſtratus (2) vi compellere debet presbyterum ad abſolutionem: nam qui abſolutionem vi extortam impetrat, novam excommunicationem incurrit: quod ſequioribus temporibus, quibus rigor regnavit, ſæpe contigit (*c*). Quum cenſuræ correctionis cauſſa infligantur, abſolutio petentibus non deneganda eſt, ſi morem gerunt, eccleſiæque ac ei, quem offenderunt, ſatisfecere. Sed noviſſime ſatis viſum, ſi jurejurando vel cautione præſtita id promitterent.

præſertim clericorum propriis, II. Aliud de *diſpenſatione* irregularitatis ſeu de reſtitutione clerici exauctorati dicendum, quæ jure peti non poteſt & cujus exempla veterioribus rariora fuere. Sed hodie irregularitates, ſuſpenſio ac ceteræ cenſuræ eodem cenſu habentur, & ob caſuum pontifici reſervatorum numerum immenſum auctum abſolutiones frequentantur. Diſtinguendum ergo inter cenſuras & irregularitates ob peccatum *occultum* & *publicum*, quod ſcilicet ad forum contentioſum deferri poteſt. De *occultis*, licet pontifici reſervatis, epiſcopi abſolvunt auctoritate concilii Triden-

(1) In clericis operatur *irregularitatem*, quæ tantum terrorem injicit, ut, ne poſtea ad officia ſacra prorſus inhabiles fiant, ſponte & lubentes a functionibus ſuis abſtineant. *c.* 1. *X. de poſtul. prælat.*

(2) Utpote cui omnem cognitionem adeo ademerunt, ut *vim* facere dicatur, ſi *juſto imperio* reluctantes cogat ad abſolutionem.. Et tamen ex antiquitatibus liquet, abſolutionis vigorem olim multum dependiſſe a regibus, adeo ut quos hi ad oſculum ſuum receperint, pro *abſolutis* habiti fuerint.

(a) *C.* 43. *X. de ſent. excom.*
(b) *C. ult. de ſent. excom. in* 6. *& ibi gloſſa.*
(c) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 3.

dentini (*a*): de *publicis* Romam eundum, aut Roma mandatum ad epiſcopum vel vicarium generalem arceſſendum. Quæ mandata in Dataria ſimplici ſignatura expediuntur & ab agentibus in rebus eliciuntur. Eodem modo irregularitatum publicarum diſpenſationes impetrantur: nam occultas etiam epiſcopus in foro conſcientiæ remittit, excepto homicidio voluntario. Sed etiamſi clericus Romæ criminis veniam impetrarit, ea tantum *delicti communes* pœnas ſufflaminat; nam in *caſu privilegiato* nihilominus pœna locum habet, cui remittendæ moribus Francicis reſcripto principis opus eſt.

III. Quum ſtricto canonum jure excommunicatus infamis ſit, nec perſonam ſtandi in judicio habeat; anceps diſputatio fuit, qua ratione abſolutionem petere poſſet. Unde natæ ſunt *abſolutiones ad cautelam* (*b*). Qui injuria ſe excommunicatum contendit, eaque de re in prima aut ſecunda inſtantia diſcuſſionem ſuſcipere cupit, hanc abſolutionem ante omnia petit, quæ *ad cautelam* (1) vocatur, quoniam qui validitatem excommunicationis impugnat, abſolutione opus non habet, niſi ad cautelam, ne ſcilicet excommunicationis exceptio ei obmoveri poſſit. Ex eadem cauſſa receptæ ſunt *abſolutiones generales* ſtilo curiæ uſitatæ & ſingulis ſignaturis & bullis pontificiis inſertæ, ad effectum beneficii impetrandi, ne proviſio propterea nulla accuſetur. Nam ſi impetrans revera excommunicatus eſſet, expreſſa abſolutione opus foret. Ceterum abſolutio numquam præſumitur, ſi vel maxime excommunicatio centenaria fuiſſet, quia eſt pœna ſua natura perpetua, licet ex intentione eccleſiæ temporaria. Qui annum in excommunicatione peragit, de abſolutione ſecurus, novo jure tanquam *hæreſeos* (2) ſuſpectus in jus vocari poteſt. (*c*). Sed hunc rigorem ignorant terræ a fidei quæſitoribus liberæ. *Abſolutio ad cautelam quid?*

CAPUT XXIII.

De appellationibus.

I. SÆpe numero contingere ſolet, ut ſententiæ in cauſſis cum *civilibus*, tum *criminalibus* ſufflaminentur, idque vel per *oppoſitionem* vel per *adpellationem*. Oppoſitio, licet (*d*) prohibita, in pluribus diœceſibus viget, & locum habet, ubi vel ſententia nullitatis vel proceſſus vitii inſimulatur, coram eodem judice interponenda. Appellatio autem locum habet, ubi ſententia *injuſta* eſſe cenſetur, ſperaturque fore, ut judex vel doctior vel juſtior ex ipſis actis aliam ſententiam pronuntiet. *Oppoſitio*

II. Primis

(1) Explicat hanc doctrinam ſpeciali tractatu, TOURNETTUS, advocatus Pariſienſis, *de abſolutione ad cautelam*, quem FRANCISCUS FLORENS *tom. I.* operum ſuorum *in f.* inſeruit. Credunt videlicet, appellationem contra excommunicationem non habere *effectum ſuſpenſivum*, & ita ſtringere ſimpliciter condemnatum, utut appellaverit: hoc poſito, appellationem perſequi non poſſet appellans, niſi *interim* & *proviſionaliter* impetraret abſolutionem. Aliquando etiam, duntaxat quoad certum effectum, hæc abſolutio indulgetur. ut in electione facienda, præſente nuncio papali, fieri ſolet, ne poſtea ei defectus quidam opponi poſſit. Hunc in finem præmitti ſolet *generalis abſolutio* quoad hunc actum ab omnibus cenſuris, quas unus alterve forſan occulte contraxit.

(2) Quod videatur excommunicationis vigorem in dubium vocare, & ſic hæreſin fovere; articulis fidei enim annumerata eſt doctrina de hoc fulmine, quo eccleſia Romana, ut fulcro primario, indiget.

(a) *ſeſſ. 24. c. 6.*
(b) *C. 16. X. de appell. c. 52. X. de ſent. excom.*
(c) *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.* (d) *Ordin. 1667.*

Appellationes, olim fere incognitæ,

II. Primis ſæculis ut ceteræ ambages, ſic adpellationes fere ignorabantur in ſacris tribunalibus. Tanta enim epiſcoporum fuit auctoritas, tanta & tam manifeſta in judicando ſinceritas ac juſtitia, ut Chriſtiani eorum ſententiis lubentes acquieſcerent. Concilio quidem Nicæno (*a*) ſtatutum legimus, clericum depoſitum vel laicum excommunicatum ab epiſcopo, ſi id injuria factum exiſtimet, *concilium provinciale* (1) adire poſſe; ſed hoc in cauſſis levioribus factum, vel tribunal quodpiam, concilio provinciali ſuperius, conſtitutum fuiſſe, non legimus. Si epiſcopus concilii ſententiam iniquam exiſtimavit, convocati ſunt ex vicinis provinciis plures ad concilium epiſcopi. Interdum epiſcopi vexati papam implorarunt, quod (*b*) permiſſum. Quidquid hujus in Oriente factum ſit, per *occidentem* tamen ex eo tempore appellationes ad curiam Romanam frequentabantur, ſi Africam exceperis, ubi diſerte cautum erat, ne per appellationes lites *trans mare* fererentur, e quibus ſinceriori diſciplinæ exitium imminebat. Cujus rei teſtes ſunt CYPRIANUS, qui apud Cornelium papam appellationes accuſat (*c*), & epiſtola concilii Africani, tempore Auguſtini, ad Cœleſtinum papam ſcripta (2) (*d*).

per falſas decretales invectæ, ad augendam papæ potentiam harum abuſus depingitur.

III. Ex quo falſæ decretales receptæ ſunt, appellationes majora incrementa ceperunt. Iis enim diverſæ archiepiſcoporum, primatum, patriarcharum inſtantiæ, quaſi inde a ſæculo II. uſitatæ, incruſtantur, omnibuſque Chriſtianis ad papam ſine medio adpellare permittitur. (*e*) Quo factum eſt, ut curia Romana omnes cauſſas, etiam in *prima inſtantia*, ad ſe traheret, & in juriſdictione contentioſa, veluti in beneficiorum collatione, ordinarios ſupplantaret. Factum eſt, inquam, ut Romæ admitterentur adpellationes ab epiſcopo vel quovis inferiori judice, omiſſo medio. Factum eſt, ut admitterentur Romæ adpellationes ab *interlocutoriis*; ac tum poſtea cauſſa principalis, immo ſæpe cauſſa primæ inſtantiæ, evocaretur. S. Bernardus *in epiſtola* ad Eugenium pontificem hos abuſus maſcule perſtringit, memoratque, connubium quoddam in ipſo confirmationis articulo per appellationem frivolam turbatum fuiſſe (*f*). Idem conſiſtorium cardinalium depingit tamquam tribunal ſupremum, deciſione infinitarum litium occupatum, curiamque Romanam ipſam reis, actoribus, procuratoribus, ſollicitatoribus, advocatis oneratam, qui ex toto orbe Chriſtiano eo confluerent. Quumque Metropolitani & primates pontificis exemplum ſequerentur; appellationibus frivolis & fru-

---

(1) Hunc in finem quoque conſtitutum erat, ut bis in anno ſingulæ provinciæ celebrarent ſynodos, alteram proxime ante quadrageſimam, alteram vero in autumno, in quibus de querelis, contra ſententias iniquas epiſcoporum motis, cognoſcebatur.

(2) Parum tamen abfuit, quin ZOSIMUS dolo bono Africanos ab hac ſententia dimoviſſet. Nonnunquam depoſiti appellaverant in Africa pontificem Romanum, ſed ſine effectu: quod Africani epiſcopi ex adducta cauſa a priſco more haud deſiſterent. Pontifex, ut eorum animos in contrarium flecteret, anno 418. legatum ſuum Fauſtinum ad concilium Africanum miſit, ut hujus conſortes in ſententiam ſedis Romanæ traheret. Pia fraude hic provocavit ad *concilii Nicæni* diſpoſitionem, concilii Sardicenſis canonem ſeptimum falſo hujus concilii nomine venditans. Tanta vero patribus Africanis reverentia erga concilii Nicæni canones erat, ut pollicerentur, ſeſe morem canoni geſturos, ſi conſtaret, eum pertinere ad concilii Nicæni genuinam collectionem. Hunc in finem decreta legatio Conſtantinopolim & Alexandriam ad perquirenda vera hujus concilii exemplaria, qua redeunte, fraus aperte patuit, qua circumvenire Africanos tentavit ZOSIMUS. conf. P. de MARCA *de C. S. & I. lib. VII. c.* 15.

(a) *c.* 51. (b) *Concil. Sardic. c.* 3. 7. (c) *ep.* 59.
(d) *tom.* 2. *concil. p.* 674. *hiſt. eccl. l.* 24. *n.* 6. 11. 35.
(e) *c.* 1. *D.* 80. *c.* 1. 2. *D.* 99. *C.* 4. *q.* 3. *c.* 3. *C.* 2. *q.* 6. *c.* 3. *c.* 1. *D.* 17.
(f) *de conſider. l.* 3. *c.* 2.

& fruſtratoriis nihil frequentius, nihil magis tritum, nihil magis quotidianum ætas illa vidit. Non ſolum a ſententiis, ſed & a regulis proceſſus, ab actibus *extrajudicialibus*, ab interlocutoriis, a correptione epiſcopi, a ſuperioris admonitione appellare ſolemne fuit. Admiſſæ ſunt appellationes *vagæ*, nullo fundamento radicatæ, appellationes a gravaminibus non illatis ſolum, ſed & inferendis. tEædem appellationes in plures annos extractæ penitus in ſentinam omnis generis fraudum & improbiſſimarum technarum Camarinam degenerarunt. Quod ex toto titulo decretalium de appellationibus manifeſtum eſt.

IV. His vitiis concilia Lateranenſia duo ſub Alexandro & Innocentio III. ex parte medelam adhibuere, prohibendo, ne in multis caſibus particularibus, & generatim ab *interlocutoriis*, per definitivam reparabilibus, item a correptionibus ceteriſque ad diſciplinam pertinentibus monitionibus, veluti epiſcopi viſitantis aut ſuperioris, regulares increpantis, appellaretur (*a*). Concilium Baſileenſe plus animi oſtendit pro veritate, damnatiſque evocationibus ad curiam Romanam, conſtituit (*b*), ut in locis quatuor dierum itinere Roma diſſitis omnes cauſſæ, exceptis majoribus & ſedi apoſtolicæ reſervatis, a judicibus loci tractarentur ac definirentur. Item, ut appellationes ſemper ad judicem proxime ſuperiorem, neutiquam autem, omiſſo medio, ad ejus ſuperiorem, ſi is vel maxime papa eſſet, deferrentur. Item, ut appellationes ad pontificem delatæ reſcripto committerentur delegato *in partibus* uſque ad concluſionem in cauſſa *incluſive*; hæcque omnia ſub pœna nullitatis & expenſarum. Hoc decretum in pragmaticam noſtram (*c*) & in concordatum (*d*) relatum, eoque extenſum eſt, ut cauſſa appellationis in partibus agitetur uſque ad tertiam ſententiam conformem, & quidem intra biennium decidenda; neque a ſecunda interlocutoria conformi, nec a tertia definitiva conformi adpellare liceat. Quod jus a concilio Tridentino (*e*) confirmatum eſt (1). *qui ex parte emendatur.*

V. In Francia curiarum eccleſiaſticarum proceſſus ſecundæ inſtantiæ æque ac primæ per omnia ſimilis eſt proceſſui tribunalium ſæcularium, regiis quippe conſtitutionibus digeſtus (*f*). Apoſtoli ſeu libelli dimiſſorii, qui a judice *a quo* impetrandi, in uſu eſſe deſierunt, & appellatio inſtrumento interponitur (2); ſupplicatio autem vel Metropolitani mandato, quod eſt inſtar dimiſſoriorum, introducitur. Si cauſſa in prima inſtantia viva voce tractata eſt, verbalis, ſi ſcriptis, appellatio in ſcriptis eſt: quo caſu adpellans acta ad tabularium judicis *ad quem*, & adpellatus ſententiam exhibere tenetur. Quo facto terminus diſceptationi præſtituitur, quo appellans ſua gravamina deducit, & appellatus his reſpondet. Excuſſis omnibus meritis cauſſæ, i. e. omnibus, quæ cum in cauſſa principali, tum in cauſſa appellationis ſcripta & producta ſunt, judex ſententiam *forma appellationum in Francia.*

(1) Hoc modo quidem appellationum abuſus ſuo modo reſtrictus videtur, ſed non penitus ſublatus. Multis enim nodis ac anfractibus involutæ ſunt vulgatæ diſputationes forenſes, quæ ſententia vim definitivæ habere credatur, quodnam gravamen per appellationem a definitiva reparari non poſſit? Qui faciles ad appellandum ſunt, etiam facile talia fingunt, ſupponunt, & variis coloribus incruſtant; imo & judex ſuperior facilis eſſe ſolet in admittendis appellationibus. Inde ESPEN *P. III. jur. eccl. tit.* 10. *c.* 1. *§.* 20 ingenue fatetur, parum hoc modo conſultum fuiſſe abuſibus appellationum tollendis, ſed eos adhuc in judiciis eccleſiaſticis vigere.

(2) Quia appellatio inſtrumento interponitur, apoſtolorum judicialium uſus quieſcere debuit, quia inſtrumentum Notarii idem præſtat, quod apoſtolorum munus & ſcopus eſt.

(a) *C.* 59. *X. de appell. c.* 6. *eod.*
(b) *ſeſſ.* 31. (c) *tit.* 5. *de cauſ.*
(d) *tit.* 26. 27. 28. 29. 30. (e) *ſeſſ.* 13. *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *c.* 20.
(f) *Ord.* 1539.

tia vel infirmatur, vel confirmatur. Ab hac ſecunda, immo & a tertia, quarta & amplius, ſi tot inſtantiæ ſunt, appellare licet, uſque dum tres trium differentium tribunalium (1) ſententiæ conformes latæ ſint. Quod noſtri canonum interpretes ex jure civili (*a*) hauſiſſe videntur. Si appellans appellationem introducere, ſi appellatum citare negligit, poſt terminum appellationis introducendæ, deſertionis incuſari; ante terminum autem appellationem, accelerandi cauſſa, introducere poteſt. Appellanti appellationi expreſſe vel tacite renuntiare licet, ſi ſententiæ obſequitur. Sed ſi appellatio introducta eſt, recedere nequit, niſi per acquieſcentiam, (2) de qua judex pronuntiat, quæve mulctam involvit.

CAPUT XXIV.

De appellatione tamquam ab abuſu.

Appellationum qualificatarum ſpecies, I. DUO ſunt appellationum genera, appellatio *ſimplex*, & *qualificata*, veluti appellatio a judice incompetente, a denegatis apoſtolis, a denegata juſtitia, ab abuſu. In Francia ſola appellatio ſimplex propria penitus eſt judicis eccleſiaſtici, quippe quem ſolum pronuntiare poſſe volunt, num in prima inſtantia recte an ſecus cauſſa deciſa ſit. Qualificatæ autem appellationes contra judices inſtituuntur, & quidem regis, tamquam canonum protectoris & juſtitiæ parentis, nomine & auctoritate.

præcipua tamquam ab abuſu. II. Appellatio tamquam ab abuſu eſtquerela de judice eccleſiaſtico, tamquam poteſtatis ſuæ limites transgreſſo, vel aliquid contra juriſdictionem ſæcularem, aut generatim adverſus libertates eccleſiæ Gallicanæ auſo. Hæc adpellatio quum reciproca eſſe debeat, eadem utilis foret adverſus judices ſæculares, licet hoc rariſſime fieri ſoleat (*b*). Hujus proceſſus, qui Franciæ proprius eſt, veſtigia ſæculo XIX. ineunte in Durandi, Mimatenſis epiſcopi, querelis (3) de ſæcularibus

(1) Ita etiam beneficium *trium conformium ſententiarum* in jure Romano accipiendum, ut non ſufficiant tres conformes ſententiæ, niſi in tribus diverſis inſtantiis latæ fuerint: quando duæ conformes in una eademque inſtantia feruntur, (quod iis in foris contingit, ubi ſupplicationes vel leuterationes, coram eodem judice interpoſitæ, receptæ) pro una tantum reputandæ ſunt ſententia.

(2) H. e. ut jus commune ſtatuit, niſi appellatus conſenſerit; eſt enim appellatio ſemel rite interpoſita beneficium *commune*, ut appellato quoqua prodeſſe poſſit, quo pinguiorem adhuc in ſecunda inſtantia ferat ſententiam. Proinde quia ejus intereſt, ſine ejus conſenſu appellationi renunciari nequit.

(3) Monuit enim, ſæculares judices ſolitos illa tempeſtate hac exceptione judices eccleſiaſticos, de turbata juriſdictione querelam moventes, repellere, *quod eorum actus eſſent abuſus*. Forma tamen hujus remedii ſeriis determinata, & ad certas regulas reducta eſt, ut obſervat P. de MARCA de *C. S. & I. lib. IV. c.* 19. *§.* 3. Addit *§. ſeqq.* AUFRERII *in tr. de pot. ſacul. ſup. eccl. in reg.* 2. *fall.* 30. *ſeqq.* teſtimonium, quo demonſtrat, jam ante concordatorum publicationem juriſdictionem regiam ſe rebus eccleſiaſticis immiſcuiſſe, primo *ubicunque per prelatos clericos vel alios queſcunque aliquid fit vel attentatur contra decreta Baſileenſis concilii & pragmaticam ſanctionem*. Deinde *ubi eccleſiaſtica poteſtas abutitur notorie ſua juriſdictione vel poteſtate. Quo caſu etiam contra clericos concedi ſolent per cancellariam litera in caſu appellationis ab abuſu notorio vulgariter nuncupatæ*. Duplex ergo ea tempeſtate erat querela: 1. ob *violatam pragmaticam*, quæ inſtar *remedii nullitatis* erat: 2. ob *abuſum notorium* poteſtatis eccleſiaſticæ, quo ſub prætextu *per indirectum* cauſæ eccleſiaſticæ judicio

(a) *l. 1. C. ne tertio appell.*

(b) MARCA *de Concord. l.* 4. *c.* 19. *FEVRET. l.* 1. *c.* 1. 2. 3.

laribus judicibus (*a*); extantiora autem ſæculo XV. medio offendimus (*b*). Tum enim hoc appellarionum genus invaluit ad reprimenda ea, quæ contra *pragmaticam*; poſteaque contra *concordatum* auderent eccleſiaſtici. Principio hæc appellatio ſemper adpellabatur *appellatio tamquam ab abuſu notorio*. Conveniunt enim omnes, abuſum ſupponi notorium, & hoc remedium eſſe extraordinarium, non niſi urgente neceſſitate & reipublicæ bono adhibendum; unde regii procuratoris in hac re primæ partes ſunt. In praxi tamen ab his regulis declinant, ſæpenumero in cauſſis levioribus, cleri querelis & regio juſſu poſthabitis, hujus generis appellationes interponentes.

III. Melius regulæ frequentes obſervantur. Hæc appellatio introducenda eſt in curia ſuprema, plerumque in ſenatu. Unde, ſi una diœceſis ad duo parlamenta porrigitur, epiſcopus in utroque ſenatu officialem alit, ut de appellationibus tamquam ab abuſu quilibet ſenatus in ſua juriſdictione cognoſcere poſſit. Introduci poteſt etiam in conſilium ſanctius, & in Conſilium principis ſecretius ab iis, qui ex eo pendent in cauſſarum ſuarum dijudicatione. Locum autem habet in toto reguo, ne quidem terris *obedientiæ* exceptis. Abuſus nullo temporis lapſu præſcribitur, ſi fundatur in incompetentia judicis eccleſiaſtici. Appellari ab abuſu poteſt etiam poſt tres ſententias conformes, quia cauſſa ex ordine juriſdictionis eccleſiaſticæ eximitur, licet non in totum, ſed in tantum. Nam licet totus ſenatus ſit corpus laicum; inter ſenatores tamen plures neceſſario ſunt clerici, qui canonum doctrina imbuti & diſciplinæ eccleſiaſticæ amantes præſumuntur. Formula hæc eſt, ut appelletur a decreto judicis & cunctis ejus conſequentiis. *ejus praxis.*

IV. Sed ſi de bulla vel reſcripto pontificis lis eſt, reverentiæ cauſſa non a reſcripti conceſſione, ſed ejus exſecutione appellandum, ut pars adverſa magis, & quæ in judicio facta ſunt, quam pontificis oraculum, impugnari videatur. Quamvis autem appellatio tamquam ab abuſu Franciæ propria ſit; ceteræ tamen reſpublicæ interdum media huic æquipollentia adverſus attentata pontificis adhibuerunt. Veneti his acerrime reſiſtunt; Hiſpani ſæpe bullas ſupprimunt; Germani concordata ſua violari non patiuntur. Habet enim unaquæque reſpublica conſuetudines, libertates & privilegia ſingularia. *appellari quoque poteſt a decreto pontificis tamquam ab abuſu.*

CAPUT XXV.

De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

I. SED omnium gentium Chriſtianarum Franci veteris libertatis eccleſiaſticæ (1) tenaciſſimi cuſtodes & propugnatores innovationibus, a canonum doctoriaus tranſalpinis, præſertim inde a ſchiſmate Avenionenſi introductis, acerrime *Unde Francis plures, quam aliis, libertates*

dicio ſæculari ſubjectæ fuere, quas directo & ſimpliciter ad illud deſerre, non permittere videbantur canones.

(1) Cauſa hujus *libertatis*, ſeu contentio inter ſacerdotium & imperium infinitas lites fluctuſque excitavit, tum in Gallia, tum in Germania. Elapſo ſæculo imprimis graviores motus in Gallia orti ſunt, cujus fata retuli in *obſervat.* 1. ad P. de MARCA *de C. S. & imp. lib. I. c.* 1. ubi ſimul occaſionem recenſui, quæ hunc egregium tractatum ab illuſtriſſimo præſule extorſit. Quæ fata libertas eccleſiarum per Germaniam habuit, SCHILTERUS enarravit *de libert. eccleſ. German.* Sed vix eſt, ut *plena libertas* regnis aſſeri poſſit, quamdiu in his ſubſiſtitur principiis: 1. eccleſiam quandam conſtituere rempublicam ſeparatam, & a republica ſæculari diſtinctam: 2. gaudere proprio imperio atque juriſdi-

(a) *de modo gener. conc. tit. 70. p. 217.*
(b) *Preuves des lib. Gall. c. 7. n. 27.*

rime reſtiterunt. Liberalium artium ſtudium a Caroli M. temporibus per nongentos & quod excurrit annos perpetuo in Francia conſervatum; cana monarchiæ antiquitas; regum noſtrorum, qui omnes ſuere Catholici, pietas & cum annis aucta potentia, majus nobis ad tuendam libertatem ſubſidium, quam ceteris nationibus, quæ his prærogativis gloriari nequeunt, attulere.

harum duo veluti cardines: II. Omnes autem libertates noſtræ his duobus veluti cardinibus vertuntur: 1. quod poteſtatem a Chriſto eccleſiæ conceſſam mere ſpiritualem, nec ullo modo directo ſive per obliquum ad res hujus ſæculi trahendam conſtat: 2. quod plenitudo poteſtatis, quæ penes pontificem tamquam caput eccleſiæ eſt, eſt præſcripto canonum ab univerſa eccleſia receptorum exercenda, ipſeque pontifex judicio concilii univerſalis, in caſibus a Concilio Conſtantienſi (*a*) expreſſis, obnoxius eſt. Has propoſitiones clerus Francicus Pariſiis ann. 1682. congregatus ſolemni ritu agnovit, tamquam veterem Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam. Ex iis autem quot concluſiones elicueris, tot libertatis noſtræ momenta habebis.

1. eccleſiæ poteſtatem eſſe mere ſpiritualem. III. Quam Chriſtus eccleſiæ ſuæ poteſtatem dedit, ea unice res ſpirituales reſpicit, uniceque refertur ad ſalutem æternam. Ergo ad ſæcularia negotia detorqueri non debet, ipſo domino reclamante & proclamante: *Regnum meum non eſt de hoc ſæculo* (*b*). *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & DEO, quæ ſunt DEI* (*c*). Itaque *omnis perſona vivens poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita eſto. Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo; quæ autem ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt. Igitur qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit* (*d*).

quæ inde concluſiones? Ex quibus Pauli verbis ſequentes concluſiones prono alveo fluunt. Rex poteſtatem ſuam ſæcularem habet a ſolo Deo: de juribus ſuis ſolos illos audit, quos ipſe judices inſtituit: de adminiſtratione regni nemo jure poſtulare poteſt, ut rationem reddat (*e*). Et licet poteſtati clavium ſubjectus ſit, qua peccator; ea tamen non minuitur poteſtas ejus, qua regis. Nos deteſtamur doctrinam ſequiorum Theologorum, qui poteſtatem clavium per obliquum ac res ſæculi detorquentes, principem excommunicatum e ſolio deturbari, ſubditos fidei ſacramento ſolvi, regnaque aliis donari poſſe crediderunt (*f*). Contra nos credimus, hanc doctrinam ſacræ ſcripturæ & exemplo veterum Chriſtianorum adverſari, qui ſine repugnantia principibus hæreticis, infidelibus, tyrannis, morem geſſerunt, licet ſatis validi ad ſui defenſionem (*g*). Denique hanc doctrinam reipublicæ tranquillitatem ſubvertere & ſocialitatis vincula laxare credimus.

præcipua clericis imo & pontifici nihil licere in cauſſis ſæcularibus. IV. Ex poteſtatum diſtinctione fluit diſtinctio juriſdictionum: unde in Francia eccleſiaſticis nulla in temporalibus juriſdicundi poteſtas: quod ſupra vidimus. Quæ ſi civibus, multo magis extraneis & Papæ, qui omnium maxime ſæculari principum poteſtati inhiat, denegatur. Nec ſimile quid Nuntio ejus tribuimus, qui inter nos inſtar habet ceterorum regiorum legatorum (*h*). Inde porro natæ ſunt illæ cærimoniæ in admittendo legato a latere uſitatæ. Talem papa non niſi a rege rogatus vel conſenſu regis ablegat in Franciam, ubi

jurat,

---

juriſdictione: 3. magiſtratus proprios eidem a Salvatore eſſe datos, epiſcopos ſcilicet, quorum ſub regimine 4. jus ſacrorum primario & principaliter contineri debeat. Quamdiu his principiis Galli inhærent, tamdiu præcaveri non poſſunt lites inter *imperium* & *ſacerdotium* h. e. inter rempublicam eccleſiaſticam & ſæcularem. conſ. Dn. THOMASIUS *in hiſtor. content. inter imper. & ſacerdot.* Unde ab ulteriori illuſtratione hujus capitis abſtinebo, cujus cauſam potiſſimum tuitus eſt P. de MARCA *de conc. ſacerd. & imperii ſeu de libert. eccleſ. Gallic.*

(a) *ſeſſ.* 4. *&* 5.
(b) JO. *XVIII.* 36.
(c) MATTH. *XXII.* 21.
(d) *Rom. XIII.* 2.
(e) *Preuves des libertes Gall. ch.* 3. 7.
(f) *ibid. c.* 4.
(g) TERTULL. *apol. c.* 35.
(h) *Preuv. c.* 7. 8. 9.

jurat, juſquejurandum ſcripto firmat, ſe facultatem conceſſam ad beneplacitum regis & ad conſuetudines Ecclesiæ Gallicanæ exacturum. Unde bullæ ejus in ſenatu examinantur, &, ſi opus caſtigantur. Sine conſenſu regis expreſſo neminem ſubdelegare poteſt, qui ejus officio fungatur. Franciam egreſſurus acta & ſigilla legationis, nec non numorum proventus relinquit, piis cauſſis impendendos. Iiſdem terminis circumſcribitur prolegatus Avenionenſis, ſi poteſtas ejus ad provincias *obedientiæ* extenditur (*a*).

V. Nos neutiquam credimus, papam ea, quæ jura civilia afficiunt, indulgere, veluti ſpuriis natales, inteſtatis famam reſtituere poſſe, ut hæreditates capere, munera publica obire, aliiſque jurium effectibus frui queant. Numos vero in Francia nec a populo ſpecie eleemoſynarum metere, nec a clero mutui vel alio titulo exigere permittitur, niſi rege jubente & conſentiente clero (*b*). Bonorum immobilium alienationes Eccleſiaſticis Papa permittere nequit, niſi legibus regni conformes ſint (*c*). Multo minus audiretur, ſi alienationem imperaret, invitis clericis. Nam bona Deo conſecrata non deſinunt eſſe temporalia, quæ ut conſerventur publice intereſt. Similiter perſonæ Deo conſecratæ non exuunt naturam hominum, non civium, regi & poteſtati ſæculari in temporalibus ſubditorum, licet inſignia a principe habeant privilegia: quorum abuſu nimiaque extenſione majeſtas impeteretur. Inde eccleſiaſtici, qui regi a ſacris vel conſiliis ſunt, privilegio clericali tantum ratione functionum ſacrarum a regis juriſdictione exemti cenſentur (*d*). Inde clerus ſine venia regis conventus agitare nequit (*e*). Inde nullus epiſcopus, etiam a pontifice vocatus, ſine venia inter e regno ſuſcipere poteſt (*f*). Nam & epiſcopi noſtri ob eminentem dignitatem & maximos redituum proventus magnum in republica momentum trahunt; & papa, qua magnæ Italiæ partis dominus, eſt princeps extraneus, cujus conſilia a ſalute Franciæ quam longiſſime abeſſe poſſunt. Inde denique nemo extraneus vel beneficium poſſidere, vel monaſterium regere poteſt (*g*). Tot concluſiones e priore propoſitione de eccleſiæ poteſtate ad ſæcularia non extendenda derivare libuit.

recenſentur exempla.

V. Altera propoſitio de poteſtate Papæ, canonum decretis circumſcripta, nititur auctoritate Chriſti & D. Petri. Ille, *Reges*, inquit, *nationum dominantur iis, & qui poteſtatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ſic.* (*h*). Hic ad paſtores: *Paſcite gregem DEI, non ut dominantes clero; ſed exemplum facti gregi ex animo* (*i*). Quibus docemur, regnum clericale non eſſe imperium deſpoticum, cui ſtet pro lege voluntas pontificis; ſed regnum caritatis, in quo potentia rationi viam ſternit, quoad inferiores officium faciunt, recondita; ſed ebulliens emicanſque ſuper omnia, ut errantes refractarioſque compellat ad officium. *Vitiis*, inquit Gregorius (*k*), *dominandum, non hominibus.* (*l*).

2. poteſtatem pontificis in ſacris non eſſe abſolutam; ſed ad canones adſtrictum.

VII. Nos igitur Franci pro jure canonico non omnes promiſcue canones, ſed eos, qui a tota Eccleſia recepti vel in conciliis Francicis conditi ſunt, veteresque Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudines agnoſcimus. Agnoſcimus itaque totum corpus canonum Eccleſiæ Romanæ a Carolo M. reportatum, poſt longa oblivione ſepultum. Agnoſcimus canones a Gratiano collectos, quantum per ſe valent, quum nullam eis auctoritatem compilatoris conciliare poſſit induſtria. Agnoſcimus decretales non ſolum quinque librorum; ſed & plures in ſexto & in Clementinis, quæ nec libertatibus noſtris, nec regiis edictis, nec conſuetudinibus regni adverſantur; quo ipſo ſaltem dimidiam earum partem expungimus. Recentiores,

qui canones in Francia recepti?

(a) *ibid. c.* 23. 24. (b) *ibid. c.* 22. 25. (c) *c.* 40. (d) *c.* 27.
(e) *c.* 11. (f) *c.* 19. (g) *c.* 30.
(h) *Luc. XXII.* 25. (i) 1. *Petr. V.* 3.
(k) *Paſtoral. part.* 2. *c.* 6. *l.* 1. *ep.* 24. *l.* 2. *ep.* 37.
(l) *Preuv. c.* 12.

centiores conſtitutiones multo minus auctoritatis inter nos habent (*a*) Ratione conciliorum œcumenicorum diſtinguendæ ſunt res *fidei* & *res diſciplinares*. Qui illis *fidem* ſuam non addicit, hæreticus eſt. *Diſciplina* autem æque ubique recepta non eſt. Omni tempore ſingulis eccleſiis veterum conſuetudinum conſervatio permiſſa fuit. Quare nemini mirum, nos Concilium Tridentinum legitimum ac œcumenicum agnoſcere; diſciplinam tamen ſpernere: quamquam, ut dicam quod res eſt, cleri plura acta exſtant, quibus eam expetiiſſe conſtat.

qui non ? VIII. Quamobrem recentioribus pontificum conſtitutionibus inde a CCC. annis emiſſis nos ultra id, quod uſu recepimus, obligari non credimus. Inde cancellariæ Romanæ regulæ, præter tres vel quatuor; in Francia exulant. Inde bullæ pontificiæ, ſi ordinarias, quibus proviſiones continentur, excipias, in Francia neque publicantur, neque exſecutioni dantur, niſi a rege imperatæ & in ſenatu examinatæ. (*b*) Inde nec cenſuris bullæ *in cœna domini*, quam papa quotannis die Viridium fulminat; nec congregationis S. Officii, h. e. inquiſitionis Romanæ decretis; nec congregationis, quæ indicem librorum prohibitorum adornat; nec ceterarum congregationum, quas papæ abhinc C. annis conſilii cauſſa cum in ſpiritualibus, tum in ſæcularibus inſtituerunt, auctoritatibus movemur: quas veluti gravium doctorum conſultationes reveremur; non ut judicum ſententias reformidamus. Inde diſpenſationes contra jus divinum & naturale, contra decreta canonum, qui diſpenſationes prohibent, contra conſuetudines & ſtatuta eccleſiarum particularium a ſede apoſtolica confirmata, nullas admittimus. Inde non ferimus, ut papa, inſtantiarum ordine turbato, appellationes, omiſſo medio, admittat; cauſſas a prima inſtantia evocet; partes Romam citet ad proſequendas lites Romam devolutas. Equidem in collatione beneficiorum maxime novo juri collum ſuppoſuimus, indulſimuſque papæ præventionem aliaque concordato inſerta: quorum tamen plura oblivioni tradimus, veluti reſervata, quæ Concilio Tridentino diſpuncta ſunt, aliaſque innovationes eodem concilio abolitas, procul habemus, ipſamque collationem pluribus conditionibus, quæ alibi ignorantur, reſtrinximus. Non enim ferimus, ut papa extraneis in Francia vel beneficium conferat, vel adſignet penſionem, quod in Hiſpania invitis regni legibus audet. Non poteſt ſine regis clerique conſenſu augere taxas beneficiorum, nec in beneficiis minoribus bullas nobis obtrudere, ſimplicibus ſignaturis, quæ minus ſumtuoſæ ſunt, impertiendis (*c*).

non tamen Francia prorſus eſt libera. IX. En ſummam libertatum noſtrarum ad duas illas propoſitiones reductarum, de poteſtate eccleſiaſtica mere ſpirituali & ad normam canonum exercenda. Iude tamen neutiquam inferendum, nullas inter nos vigere conſuetudines, veteris ſanctitatis diſciplinæ adverſas: quas ipſo hoc compendio non celavimus. Earum quædam, conſenſu eccleſiæ & regio juſſu receptæ, inſtar habere poſſunt privilegiorum: ceteræ inter vitia numerandæ, quæ per temporum injuriam expurgari non potuere. Interim tamen certum eſt, Franciam inter tot noviſſimorum ſæculorum procellas diſciplinæ eccleſiaſticæ robora fidelius ceteris regnis omnibus conſervaſſe.

D E

(a) *Preuv. c.* 14.
(b) *Preuv. c.* 10.
(c) *ibid.*

Digitized by Google

DE REBUS CLERI GALLICANI

COMMENTARIUS.

Cleri olim immunitas

I. PRincipes Chriſtiani, diverſas Eccleſiæ immunitates indulgentes, fundos non liberarunt antiquis obligationibus, quibus ſubjecti erant. Terras Eccleſiæ, æque ac ceteras, tributa pendiſſe, agnoſcit Ambroſius (*a*). Reges noſtri Carolingici conſtituerunt, ut quælibet Eccleſia *unum manſum* omni onere ac tributo liberum poſſideret; de ceteris autem dynaſtis debita penderet (*b*). Poſt vana in Eccleſiam irrepſit perſuaſio, terras eccleſiaſticas plane liberas volentium (*c*), ne deterioris conditionis eſſent, quam terræ Sacerdotum Ægypti tempore Joſephi (*d*). Concilio Lateranenſi an. 1179. Alexander III. ſub pœna excommunicationis conſulibus & civitatum rectoribus præcepit, ne qua clericos ad onera publica adſtringerent; permiſit tamen epiſcopis & clericis urgente neceſſitate vel inſigni utilitate ſuadente ſponte reipublicæ ſuccurrere. (*e*) Idem Concilio Lateranenſi annos 1215. decrevit Innocentius III. adjecitque, ne voluntarium quidem ſubſidium a clero, inconſulto pontifice, offerri poſſe (*f*).

minuitur imperatis decimis,

II. Expeditiones autem cruciatæ prædiis eccleſiaſticis inſignia onera conciliarunt. Quum Philippus Auguſtus cum Richardo Angliæ rege an. 1188. ad recuperandas Hieroſolymas, a Saladino occupatas, accingeretur, ſtatutum fuit, ut, qui hujus itineris ſocietatem detrectabant, cujuſcumque conditionis homines, decimam omnium mobilium & annui proventus penderent. Hæc eſt illa *decima Caladiniana*, quæ primum cleri onus vulgo reputatur. Innocentius III. (*g*) conſtituit, ut omnes clerici per triennium *viceſimam* reditus ſacri bello ſacro impenderent, cui pontifex & cardinales decimam conſecrarunt. Nam duabus prioribus expeditionibus reguli admodum emuncti; ſacerdotes opibus aucti fuerant. Eodem ſæculo tributum illud increbreſcebat. Nam regnante Ludovico IX. viginti annis tredecies: Philippo pulchro octodecim anais, vicies & ſemel, ſæpeque poſtea ſub omnibus regibus indea Philippo Auguſto pendendum fuit. Quum autem non ſolum adverſus infideles recuperandæ terræ ſanctæ, ſed etiam contra hæreticos alioſque excommunicatos bella ſacra decernerentur; his quoque expeditionibus decimæ impendendæ fuere. Tales Honorius III. an. 1226. Ludovico VIII. fortaſſis adverſus Albigenſes; Urbanus IV. Carolo Andegavienſi poſt veſperas Siculas adverſus Manfredum an. 1262. Martinus V. adverſus Petrum Aragonium indulſiſſe legitur. Eodem obtentu reges permiſerunt, ut clerus ſubſidia conferret ad bella pontificum adverſus hoſtes eccleſiæ. Sic Philippus Auguſtus adverſus Ottonem IV. imperatorem Innocentio III. ſubſidium, & Philippus pulcher adverſus Ludovicum Bavarum Joanni XXII. duas decimas largitus eſt. Quæ decimæ ſchiſmate Avenionenſi multiplicatæ ſunt, quo uterque papa bellum, quod cum adverſæ parti addictis geſſit, ſacrum nuncupabat. Sed Francia tum huic abuſui, ut ceteris curiæ Romanæ exactionibus, acriter reſtitit. Ante ſchiſma ratio decimas exigendi inita erat, quippe quod ſubſidium admodum frequentaba-

(a) *C. 11. q. 1. c. 27. 28. C. 23. q. 8. c. 21.* (b) *Conc. Vormat. c. 50. 23.*
(c) *C. 3. q. 8. c. ſancitum 25.* (d) *Gen. XLVII. 26.*
(e) *C. 4. X. de immun. eccl.* (f) *C. 7. eod.*
(g) *Concil. Lateran. in f.*

quentabatur. Exſtat enim conſtitutio Bonifacii VIII. qua bona omnia decimis ſubjecta exacte enumerantur (*a*), & Clementis V. qua pendenda injungitur ex veteri cataſtro (*b*). Hæc conſtitutio loquitur de decimis regi a papa conceſſis, quod tum in morem ire cœpit citra obtentum religionis. Tales ſunt duæ decimæ, quas Clemens IV. an. 1348. Philippo Valeſio, difficili reipublicæ tempore, permiſerat. Poſt ſchiſma ſublatum & poſt concilium Baſileenſe decimæ rarius imperatæ, licet pontifices iis inhiaverint. Ludovicus XII. an. 1501. permittente pontifice Venetis adverſus Turcos dimicantibus unam decimam largitur. Leo X. an. 1516. Franciſco I. decimam unius anni a clero exigendam, belloque adverſus Turcos, quod regi propoſitum, impendendam indulſit. Quo tempore ſingula beneficia, quæ decimam partem redituum non excedunt, taxata ſunt; quem calculum hodienum ſequimur. Eodem anno per concordatum Annatæ, abolita pragmatica, quæ eos ſuſtulerat, tacite reſuſcitantur, quod eſt novum onus clero Franciſco pontificis bono impoſitum. Ex eo tempore ſæpe clerus, inconſulto pontifice, regi ſubvenit. Nam & an. 1527. redimendo regi e carcere tredecies centies mille libras obtulit, & an. 1534. bonorum eccleſiaſticorum proventus cum rege partitus eſt, & an. 1551. nova ſubſidia pendit. Immo an. 1557. decimarum exactores publici officii titulo inſtituti ſunt, quibus alendis ſingulæ libræ ſingulis ſolidis auctæ. Quo manifeſtum fit, decimas eo tempore fuiſſe ordinarias.

quæ in legem abjerunt conventione Piſſiacenſi 1561.

III. Inde a conventione Piſſiacenſi an. 1561. ſubſidia a clero regi pendenda in legem abiere. Abuſus horum redituum hæreticorum odium & indignationem catholicorum provocaverat. Qua de re ad comitia Aurelianenſia querelas delatas legimus. Unde rege jubente plures prælati Poſſiacum an. 1561. vocati, ut de reformanda eccleſia conſilia miſcerent. Ibi habitum fuit illuſtre cum miniſtris *reformatis* colloquium, quorum factio tam potens fuit, ut clero exitium minaretur. Igitur prælati per annos VI. regi ſedecies centies mille libras, itemque domania, tributa & vectigalia, curiæ Pariſinæ pro ſexcenties tricies mille librarum reditu oppignorata, ſeptem millionibus ac quinquies centies ſexagies mille libris proximo decennio ſe reluituros ſpondent. Rex autem tantum aberat, ut ſemet liberaret, ut potius novos reditus quatercenties trecies ſex mille librarum conſtitueret, ſolutionemque huic impoſitioni, quaſi æternum duraturæ, aſſignaret. Clerus e diverſo plures reditus ad reluendas hypothecas & ad evitandas novas alienationes conſtituit, ſepties centies quinquagies ac ter mille librarum, quæ cum quatercenties tricies ſex millibus non ſolutis perficiunt ſummam millionis & centies octogies novies mille librarum. Clerus quum tantam pecuniam regi ſuppeditaſſet, ſatisfeciſſe videbatur conventioni, omneſque tum cum rege, tum cum civitate initos contractus nullitatis accuſavit, intercedente præſide curiæ & civitate Pariſina, quæ reditus porro pendendos clamabat. Rex litem dirimere noluit, nec dum deciſam. In conventu Melodunenſi an. 1580. clerus, non agnitis uſuris Pariſienſibus, poſt reciprocas conteſtationes, ſex annis tredecies centies mille libras, nimirum duodecies centies ſexies mille, quorſum uſuræ per errorem auctæ ferebantur, uſuris, & reliquum forti imputandum conceſſit: quod 1586. ad decem annos ſuſceptum & 1596. 1606. 1616. & ſic deinceps ſingulis decenniis, proteſtatione interpoſita, renovatum. Atque hanc impoſitionem vocarunt *decimam ordinariam*, quæ an. 1636. quo pars fortis diſpuncta, ad duodecies centies nonagies ſexies mille libras reducta eſt, ſecundum cataſtrum an. 1516. exigenda, uniceque uſuris Pariſinis & officialium ſalariis impendenda.

& Melodunenſi 1580.

ita ut omnia beneficia eis ſubjecta ſint.

IV. Huic oneri omnia beneficia h. e. omnes ii, qui certo ac ordinario proventu eccleſiaſtico, immo vel penſione gaudent, ſubjecti ſunt, ne officiis quidem

---

(a) *Extrav. comm. un. de decim.* (b) *Cl. ult. eod.*

dem clauſtralibus, quæ ſeparatos reditus habent, exceptis. Equites Joannitici, qui tum Rhodii appellabantur, 1516. 1561. & deinceps eadem ruina involuti ſunt, licet ad exemtionum privilegia provocarint. Nam an. 1606. ad tranſactionem converſi, ſingulis annis vicies octies mille libras ſuppeditandas ſuſceperunt, & ex eo tempore ſuppeditarunt, quæ *quota Rhodiorum* appellatur. Nec Jeſuitæ ob beneficia, eorum collegiis unita, decimis exemti ſunt; quibus an. 1635. omnes religioſæ domus recentiorum fundationum, & generatim omnia beneficia, in cataſtro an. 1516. omiſſa, ſubjecta fuere. In Benearnia ſtatim poſt inſtaurata ſacra catholica decimæ injungi cœpere; ſed eccleſiaſtici in hac provincia & in Navarra reſtitere uſque ad annum 1670. Decimæ, vi conventionis cum rege initæ, imponuntur & ſecundum cataſtrum anni 1516. quod procedente tempore emendatum, penduntur. In hoc cataſtro deſignatur, quantum quælibet diœceſis, & in ſingulis diœceſibus conſtituitur, quantum quodlibet beneficium ſolvere debeat (*a*). Exiguntur autem a ſingularum diœceſium rationariis, qui poſt terminum elapſum beneficiarios cogunt, nummoſque collectos provincialibus tradunt, qui eos conſignant exactori generali. Interim nulla hic obligatio in ſolidum; nam nec beneficiarius pro beneficiario, nec diœceſis pro diœceſi ſolvit. Excuſantur etiam, qui beneficiorum fructu ſpoliati; quod olim, bellis civilibus flagrante patria, ſæpe contigit; item, quibus vel ab hoſte vel a provinciarum gubernatoribus nummi decimales intercipiuntur. Quæ cauſſæ tamen probandæ ſunt. Contra quilibet poſſeſſor, immo & prædo, beneficii decimas pendit. Exſecutio fit in diſpenſatorem, exactorem ſeu conductorem, ſive univerſalis ſit, ſive particularis, uſque ad concurrentem ſummam locarii, etiamſi beneficiarius deceſſerit. Succeſſor, qui in locum defuncti venit, duorum; qui in locum reſignantis, trium ultimorum annorum decimas, ſi exactor culpam moræ a ſe avertere poteſt, ſolvere tenetur. Nam ultra trium proxime lapſorum annorum decimas nullæ peti poſſunt.

Præterea regi concedenda ſunt ſubſidia extraordinaria, quæ donum gratuitum vocantur.

V. Quum itaque ex Melodunenſi ceteriſque novioribus conventionibus decimæ eccleſiaſticæ ſtati naturam tributi induerint, quod redimendis uſuris Pariſienſis curiæ impendendum regi parum prodeſt; contingit, ut rex peculiaria ſubſidia extra ordinem a clero poſtulat, quæ olim, ubi opus erat, hodie in omnibus cleri conventionibus generalibus conceduntur. Sic an. 1621. quum bello inteſtino Mons Albanus obſideretur, clerus nova officia, quæ rex inſtituit venditque pro parata pecunia, ex ærario ſuo ſuſtentavit. Quum an. 1628. magni ſumtus faciendi eſſent in obſidionem Rupellæ, & Urbanus VIII. rege volente, ſacro reſcripto clerum ad largiter ſuppeditanda ſubſidia exhortaretur; tres librarum milliones dari meminimus. Bello externo an. 1636. ſuſcepto, clerus conſenſit, ut rex conſtitueret privatis annuos tercenties librarum reditus a clero poſtea redimendos. Anno 1641. ob fundos inde ab an. 1620. acquiſitos clero imminebat tributum extraordinarium pro *amortiſatione* imponendum, quo in conventu Meduntenſi quinque millionibus & quinquies centies mille libris redimendum eſſe cenſuit: quod multo conſultius viſum, quam in ſingulos annos modicam ſummam pendere, quæ facile in naturam decimæ ordinariæ abire potuiſſet. Anno 1660. ob nuptias regis nova ſubſidia data, quæ dona gratuita ex eo tempore ordinaria facta & ſingulis conventibus, qui ſingulis quinquenniis habentur, conceſſa ſunt. An. 1675. præter decimarum ordinariarum promiſſionem renovatam clerus donum gratuitum quatuor millionum & quinquies centies mille librarum obtulit, cui ſummæ inter cetera imputabantur debita cum ex *amortiſatione*, tum alias reliqua, & hactenus nondum exacta: præterea taxati ſunt, qui bona eccleſiaſtica alienata poſſederunt, quater centies mille libris, quæ taxa fuit octavi denarii. Hæc dona gratuita ſimul ſolvenda ſolvuntur ſecundum partitionem Meduntenſem

---

(a) *Edict.* 1599.

duntenſem an. 1645. emendatam, quæ differt a deſignatione decimarum an. 1517. Rhodii, Jeſuitæ & ceteri novi ordines horum ſubſidiorum partem conferunt.

Interdum regis gratia alienandi ſunt fundi eccleſiaſtici.

VI. Fuit & alius regi ſuccurrendi modus, bonorum ſcilicet eccleſiæ alienatio, bellis civilibus ſæculo XVI. ſæpe ſuſcepta. Carolus IX. an. 1563. clero permiſit bonorum eccleſiaſticorum tantum alienare, quantum centies mille aureorum annuum reditum ferret: quod Pius IV. ratum habuit. Annis ſequentibus hoc iteratum toties, ut an. 1585. alienata bona millionem annui reditus proferrent. Interim iſtæ alienationes non præceptæ, ſed permiſſæ erant in ſubſidium, ſi aliter regi ſatisfieri non poſſet, pro republica & pro eccleſia excubanti. Beneficiariis enim præceptum, ut omni modo ſolutionem curent, ut prius mobilia, vaſa etiam argentea, quæ non divino cultui deſtinata ſunt, vendant; pecuniam mutuam ſumant conſtitutis annuis reditibus: ſylvas cædant; emphyteuſes & permutationes conſtituant, demum nonniſi urgente extrema neceſſitate immobilia vendant. Sed talium alienationum obtentu bona eccleſiaſtica mire dilacerata ſunt, vitio plerumque laborantibus hiſce contractibus, quum curatores venditionum ſæpe colluderent cum emtoribus. Sæpe enim dives prædium vili pretio venditum; ſæpe fundi, nulla ſilvarum vel ædificiorum ratione habita, æſtimati; ſæpe prædia neceſſaria & commodiſſima & generatim plura, quam per edictum licebat, alienata. Quare clerus Meloduni congregatus palam declaravit, ſe in poſterum in hujus generis alienationes non conſenſurum. Et ſane publice intereſt, ut bona eccleſiaſtica conſerventur, partim ut cultui divino obeundo, clericis alendis & pauperibus ſuppetant neceſſaria, quod onus in laicos devolveretur; partim quod ex beneficiis iſtis ſuſtentantur homines, qui familiæ alendi eſſent, quive nonnullos ſumtus faciunt, qui cedunt in uſum pauperum. Ipſe rex permiſit, ut bona eccleſiaſtica horum ſubſidiorum cauſſa alienata revocari poſſent. Inde ab anno 1563. conſtitutum eſt, ut intra annum, ad ſimilitudinem *retractus ex jure conſanguinitatis vel dominii directi*, ea retrahere liceret: quod tum factum eſt nummis in diœceſibus exactis. Hic retractus clero eſt utiliſſimus, quoniam jure communi res divinæ ſunt extra commercium; ſed laicis inviſus, quum emtores non ſint ſatis tuti, & infinitæ lites in familiis ſpargantur. Idem jus ſingulis cleri conventibus a rege renovatur in proximum quinquennium. Hoc modo plura alienata revocata ſunt, & quæ non revocata, ea regi, qui cleri nomine poſſeſſionem confirmat, octavam redituum pendunt.

qui tamen intra terminum novo quodam jure retractus revocari poſſunt.

Clerus ſalaria præbere cogitur decimarum exactoribus [illegible]

VII. Oneratus præterea clerus fuit inſtitutis *rationariorum* officiis. Quum olim vel ipſi epiſcopi, vel epiſcoporum mandatarii decimas colligerent, Henricus II. an. 1577. ſingulis civitatibus epiſcopalibus præfecit coactorem decimarum: qui ſæpe ſuppreſſi, ſæpe reſtituti ſunt, donec an. 1573. clerus conſentiret, ea conditione, ut ipſe hæc officia venderet, quibus vellet, nummoſque regi donaret: quo pacto *decimatores diœceſani* inſtituti ſunt. Ut an. 1621. clerus haberet, quod regi daret, in qualibet diœceſi decimatorem alternantem, duoſque cenſores alternantes inſtituit: quibus an. 1628. novus decimator & cenſor triennalis additus. Atque hi decimatores particulares nummos ex beneficiis coactos in ærarium provinciæ intulerunt, quod in ea civitate conſtitutum, in qua & regis & provinciæ eſt ærarium, a rationario generali totius cleri ejuſque ſcribis adminiſtratum. Sed horum loco an. 1594. inſtituti ſunt tot rationarii generales, quot eſſent provinciæ, ita tamen, ut clero hæc officia redimere licet. Quibus an. 1621. procurator generalis alternans & duo cenſores alternantes; an. 1625. decimator & cenſor triennalis additi. Cuncta hæc officia a clero pendent, qui nummos pro iis acceptos regi dedit, eaque vendidit, cui lubitum cum pacto reluitionis perpetuo. Hæ officiorum conſtitutiones ſunt inſtar mutui ſeu redituum annuorum, quia clerus pro emtionis pretio ſalaria aliaque emolumenta præſtat. Sæpe ii ipſi, qui hæc officia poſſident, extra ordinem ſymbolam ad ſubſidia conferre tenentur vel ſupplementi nomine, vel ratione aucti ſalarii. Solum rationarii generalis officium non eſt vendibile, quod, quum neceſſario a clero pendeat,

gratuito

Digitized by Google

gratuito confertur, quoties conventio cum rege renovatur. Nemo exactorum, ſive generalis ſit, ſive particularis; rationem alii reddit, præter clerum, & licet decimatores a rege conſtituantur, habentur tamen pro miniſtris cleri, atque hoc intuitu exemti ſunt a juribus marcæ auri, quarti denarii confirmationis hæreditariæ, repetundarum, & taxationum, quæ ærariorum adminiſtratoribus ſæpe imponuntur; item ab oneribus realibus & militum hoſpitationibus.

qui rationes reddunt clero

VIII. Exactores particulares epiſcopis & ſingularum diœceſium ſyndicis ac deputatis anno finitæ adminiſtrationis intra ſemeſtre; provinciales rationario generali rationem reddunt, qui tradito catalogo reſiduorum ſolus rationes eorum perluſtrat atque confirmat. Singuli autem ſibimetipſis ſalaria ſumunt ex ærario. Rationarius generalis rationes reddit clero congregato, non ſolum de decimis, ſed & de aliis ſubſidiis in uſum conventuum cum generalium, tum particularium exactis, quæ ſemper anticipantur modo peculiari, ut nullæ in iis colligendis partes ſint provincialium exactorum. Quæ autem regi dona gratuita dantur, ea in rationes cleri non referuntur. De reſiduis rex contrahit pro lubitu, & contrahenti clerus ſuppeditat indiculos cum generales, tum ſpeciales.

Conventus cleri generales ordinarii decenniis ſingulis, habentur,

IX. Quum autem decimæ omniaque ſubſidia extraordinaria per privilegia, tam antiqua & tam generalia, ut juris communis eſſe videantur, ſine cleri conſenſu peti atque exigi non poſſint; opus eſt, ut clerus harum impoſitionum cauſſa conventus habeat, partim ordinarios, partim extraordinarios. Ordinarii ſunt vel ſingularum diœceſium, vel ſingularum provinciarum, vel totius cleri Francici, qui ſine regis venia haberi non poſſunt. Sed ſingulis conventionibus de decimis ſolvendis rex inſerit veniam repetendi conventum poſt decem annos: quod inde ab anno 1586. factum eſt. Hi conventus non ſunt concilia, quia rei nummariæ cauſſa & per deputatos, ut comitia regni, convocantur. Deputari autem non poſſunt, niſi qui beneficia poſſident, & quidem ab ea provincia, in qua beneficia ſita. Quælibet provincia quatuor mittit; duos primi ordinis, veluti archiepiſcopum & epiſcopum, vel duos epiſcopos; duos ſecundi ordinis, qui debent eſſe *in ſacris* & beneficium poſſidere in provincia, a qua mittuntur. Ubi conveniendum, rex indicat, qui ſæpe locum extra Pariſios elegit, ne deputati aliis negotiis diſtinerentur. Præter conventus generales ſingulis decenniis cogendos, ſunt etiam ſpeciales, quibus rationes rationarii generalis examinantur. Olim ſingulæ provinciæ, quarum ſunt quindecim, ſingulos deputatos mittebant, quorum quinque negotium perficere potuere. Sed an. 1615. placuit binos e ſingulis provinciis vocare, ut conventus conſtaret XXXII. perſonis, ſi duos cleri procuratores adnumeraveris. Hi conventus uſque ad an. 1625. ſingulis bienniis habiti, in ſingula quinquennia rejiciuntur, ut alter concurrat cum conventu generali, alter in intervallum ejus incidat, veluti an. 1660. 1670. 1680. Sed ab his quoque rex poſtulat ſubſidia extraordinaria. Conventus extraordinarii ſunt, quos, incidente re majore & improviſa, prælati, qui in curia degunt, cum cleri procuratoribus generalibus habere ſolent.

auguſtiores ſingulis quinquenniis.

qui ſint conventus extraordinarii?

Cleri agentes ſeu procuratores qui?

X. Olim Syndici & deputati cleri generales conſtituti erant an. 1564. quos, quod poteſtate ſua abuterentur & in redituum annuorum conſtitutionem conſentirent, conventus Melodunenſis an. 1579. abrogavit, inſtitutis procuratoribus generalibus, qui cleri cauſſam in curia perpetim agerent. Eorum duo ſunt, & quidem ſecundi ordinis, qui alternatim a provinciis, æque ac quatuor deputati, nominantur. Conſtituuntur in quinquennium, & in ſingulis conventibus auguſtioribus duo alii nominantur, vetereſque negotiorum geſtorum rationes reddunt. Syndici iſti generales olim quoque juriſdictionem habuere in cauſſis ad decimas pertinentibus. His ſuppreſſis conventu Melodunenſi placuere cameræ eccleſiaſticæ, quæ regio edicto an. 1580. in VIII. civitatibus Metropolitanis, Pariſiis vice Senonum, Lugduni, Rothomagi, Cæſaroduni ad Ligerim, Bituricæ, Toloſæ, Burdigalæ & Aquis Sextiis inſtitutæ: quarum quælibet habet X. vel XII. judices doctores & in ſacris ab archiepiſcopis electos. Hi de omnibus litibus, quæ ratione decimarum aliorumque ſubſidiorum, oriuntur, cognoſcunt,

Cameræ eccleſiaſticæ ſine appellatione de litibus circa hæc ſubſidia cognoſcunt

& gratis officium faciunt, nulla appellatione laceſſendi. Eorumque juriſdictio multis regiis reſcriptis & ſenatus conſultis confirmata eſt. Sunt & alia judicia particularia in pluribus diœceſibus an. 1615. inſtituta, in quibus epiſcopus cum ſyndicis ſeu deputatis diœceſeos de iiſdem cauſſis cognoſcit in prima inſtantia, & ſi lis viginti librarum æſtimationem non excedit, ſine appellatione. In qualibet diœceſi eſt ſyndicus vel rerum eccleſiaſticarum procurator, qui Bleſis (a) inſtituti; & an. 1579. 1596. & deinceps confirmati ſunt. Quilibet in ſynodo eligitur, & ab eadem removetur. Sunt etiam ſyndici provinciales, conventu Melodunenſi inſtituti.

(a) *Ordin. Bleſ. art. 19.*

F I N I S.

I N-

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus paginam indigitat, littera (n) vero notam.

Abbacomes. 69 n.
Abbates.
domini ſæculares ibid.
monachorum rectores 187
quomodo inaugurentur? ib. n.
in Francia nominantur a rege 88
exceptio ibid.
Abbatiæ titulatæ 130
commendatæ. ibid. n.
Abbatiſſæ 91
vel perpetuæ ibid.
vel triennales ibid.
quomodo eligantur? ibid.
Abſolutio vid. *pœnitentia.*
Abſolutio ad cautelam quid? 229 & n.
Abſtentatoriæ litteræ 140. & n.
Abſtinentia in feria ſexta 97 & n.
facile diſpenſatur ibid.
Abuſus. Appellatio tamquam ab abuſu 232
in Francia frequentatur ibid.
Academiæ vitia promovent 17
antiquiſſimæ 64
ſeminaria clericorum ibid. n.
facultates ibid.
theologia ibid. n.
privilegia ibid.
inſtar reipublicæ ib. n.
collegia 65 n.
corrumpunt mores & diſciplinam ibid.
gradus academ. 75
quot anni? ibid.
nobilibus ſufficiunt tres ibid.
Acoluthorum origo 19
officium 26
Actus fidei 197
Adulteria 203
Altare portatile 191
Amortiſatio quid in Francia? 156. & n.
Annatæ 153
damnatæ concilio Baſileenſi ibid.
Anglica eccleſia plantata 52 n.
Annulus epiſcopalis 43
Annus eccleſiaſticus 96
ejus caput dominica adventus ibid.
Apoſtatæ 190
ſunt monaſteriorum deſertores 77
Appellationes 230
olim incognitæ ibid.
innoteſcunt per falſas decretales 230
earum abuſus 231
uſus in Francia ibid.
Apoſtolorum auctoritas mere ſpiritualis 3
Archidiaconi munus 62 & n.
auctoritas ibid.
Archiepiſcopi vid. *Metropolitanus*
hos græci diſtinguunt, non latini 50
Archipresbyteri poteſtas 62
Aſcetæ 67
Aſſaſſinium 202
Aſyla. 115
varia horum fata ibid.
ibid. n.
Auguſtiniani monachi 72 ſeq.
Auxilium moderatum 152

B

Baculus paſtoralis 43
Baptiſmus 100
olim ſolemnis & certis temporibus circumſcriptus ibid. & 101
fiebat per immerſionem uſque ad ſæculum XIV. ibid.
Baptiſmus hodie fit per infuſionem ibid.
non iteratur ibid.
alias crimen committitur ibid. n.
poſtulat patrinos ibid.
operatur cognationem ſpiritualem ibid.
male differtur ibid.
mutat ſtatum hominis ibid. n.
Baptiſmales libri 111
a quo conficiantur? ibid.
habent vim probandi ibid.
non natalem, ſed diem baptiſmalem ibid. n.
Baptizare quis poſſit? 36
Baſchi auctor Capucinorum 86
Benedicere quid? 35
Benedictini monachi 69. ſeq.
Beneficium quid? 130
quid revera? ibid. n.
quæ ſint regularia? ibid.
ſacerdotalia 141
ſæcularia ibid.
electivum confirmativum 131
electivum collativum ibid.
Beneficio expelli titulatus nequit 143
horum origo & indoles 123
collatio 124
ad hæc qui habiles? 141 ſeq.
qui inhabiles abſolute? 142
qui ſecundum quid? ibid.
exteri inhabiles ibid. & n.
horum pluralitas 158
ejus occaſio ibid.
abuſus 159 & n.
in Germania cur? ibid. & n.
horum unio 162
quotuplex? ibid. n 164
quæ permiſſa? 163
quæ improbata? ibid. & n.
Bernardus qui deſcribat aulam Romanam? 230
Bernhardinus Senenſis reformator Franciſcanorum 86
Bertrandi (Petrus) 169
ejus gerræ ibid.
Bituricenſis pragmatica 12
non afficit Provinciam & Britanniam 133
Blaſphemi 198
Bona eccleſiarum olim fuere
1. res mobiles 119
ex oblationibus ibid.
2. poſt mobiles 120
fuere communia ibid.
poſt diviſa in præbendas 121
3. decimæ ibid. vid. *decimæ.*
4. retributione voluntariæ. 90
Bonorum eccleſiaſticorum origo & neceſſitas 119
Bonifacii VIII. collectio 9
Bullæ pontificiæ quomodo comparatæ? 146
Burchardi Wormacienſis collectio canonum 7

C

CAlix laicis negatur 103
quare & quando? ibid. & n.
Campanarum benedictio 116
ſbpit baptiſmum 113 n.
Canon quid? 3
Canones apoſtolici qui? ibid.
Canonum collectio. Iſidoriana 6.
Canonicorum origo 57 ſeq.
Chrodogangus auctor 59
privilegia ibid.
officia 60
Magdeburg. cardinales 61 n.
regulares 82
corrumpuntur 85
Canonicorum non reſidentia 161
Canoniſatio 185
Cantores vid. *Pſalmiſta*
Capellarum origo 112 n.
Capitula ſibi arrogant electionem epiſcoporum 38 ſeq. 131
regimen ſede vacante 55
unde dicta? ibid.
eorum poteſtas 57
Capitula juriſdictionem habere dicuntur ibid.
qualem? ibid.
conferunt dignitates electivas 132
inſtituunt collationes neceſſarias ibid.
in collatione concurrit papa cum ordinario ibid. n. ibid.
Capucinorum origo 86
rector Guardianus 88 & ſeq.
Cardinales ſede vacante providere nequeunt 41 n.
fuere parochi 60
diaconi ibid.
ubique ibid.
poſt Romæ proprii 61
Carmelitæ 86
excalceati ibid.
Caſtitatis votum 80
in quo conſiſtat? ibid. n.
Caſus privilegiatus 208
Cathedraticum 152
Cenſus annuus 206
Centenarium 152
Character indelebilis unde? 105 n.
Chorepiſcopi qui? 61
abrogati in occidente 61
Chriſtiani magiſtratui politico parent 3
Ciſtercienſes monachi 70
filiæ 71
Citatio 183
qui inſinuanda? 184 n.
Clementis V. collectio 9
Clerici qui ſint? 18
privilegia 93
habent veſtes ſingulares 24
earumque origo ibid.
minores olim infiniti 27
mariti 29
nubentes pœna afficiuntur ibid.
poſſiunt eccleſiæ ſumtu vivere 149
indigni non 150
nunquam conventi coram judice laico 168
laicos præcedunt 93
ſunt immunes 94
ab oneribus perſonalibus ibid.
& realibus ibid.
Clinici 21
Cluniacenſes 70 ſeq.
Coadjutor quibus & a quo detur? 53
ſimulatum officium, quod ſucceſſionis cauſſa datur 54 n.
Codex canonum eccleſiæ univerſalis 4
eccleſiæ orientalis 5
Cœlibatus clericorum 28
defenditur 29
Cœmeteria prope eccleſias quare? 117 n.
quomodo erigantur? ibid.
eorum erectio ad jura epiſcopalia refertur ibid. n.
ſed male ibid.
Cœna ſacra vid. *Euchariſtia*.
Collatio beneficiorum 130
Collegia in academiis 65
Collegiata capitula 59
Commendæ 156
origo ibid.
abuſus ibid. & n 155 ibid.
uſus ibid. & 158 & n.
reſtrictio ibid.
differentia a titulo ibid. n.
ſunt beneficia ſæcularia 130
monaſteriorum in Francia durant 88 n.
Compromiſſum (electio per) 4
Concilia ante Nicæna ibid.
eorum natura ibid. n.
Conſtantini M. ibid.
provincialia 172 & ſeq.
quo ordine habita? 173 ſeq.
nationalia ibid.
quo ordine habita? ibid. 174 n ibid.
ultimum in Gallia ibid.
Concordata nationis Germanicæ 12
Concordatum in Francia 16
non pertinet ad provinciam & Britanniam 133
Concubinatus crimen 203
frequens clericorum ibid.
pœna ibid. & 260
Confeſſio peccatorum 104
confeſſionis ſigillum ibid. n.
Confirmatio electi 40
Congregatio S. Mauri 86
Congreſſus olim in Conſiſtorio injunctus 179 & n. ſeq.
Conſecratio epiſcoporum 42
hodierna, vetus. 43
Conſtitutio quid? 14
Conſtitutiones Apoſtolicæ ſubleſtæ fidei 4
Conſuetudo quid? 14
ejus vis 16
Continentia vid *caſtitatis votum*
Contumax quis? 184
quomodo coerceatur? ib.
Corona clericalis origo 24
Corpus canonum 5
Cruciatæ expeditiones onerant bona eccleſiaſtica 235
Cultus publicus olim ſplendidiſſimus 22. vid. *officium divinum* 209
Cunerius (Petrus) 169
Curati vid. *Parochi*.
Curſus ambitioſus. 147

D

DEcani canonicorum 59
rurales 62 63
Decimæ primum ignotæ 119 n.
innoteſcunt ſæculo IX. 121 ſeq.
in oriente prohibitæ ibid.
colorantur ex V. T. 122
reales, perſonales ſeu induſtriales 121 127
non ſunt juris divini 122
nec in oriente notæ 123
majores quæ? 127
minores quæ? ibid.
novales quæ? ibid.
a laicis poſſeſſæ 128 & n. ibid.
præſcribuntur per 40. annos 129.
perſecutionis quæ? ibid.
papales unde? ibid.
ceduntur regi ibid.
Decimarum regi Franciæ pendendarum origo 236
Decretales epiſtolæ quæ? 5
Degradatio 210
verbalis, realis ibid.
Delegati judicis vid. *Judex delegatus*.
Delictum commune 208
Deportus 152
ejus fundamentum ibid. n.
Depoſitio clericorum 210
Devolutio quid? 144
ejus ratio ibid. n.
Devolutionis jus 191. 40.
Diaconæ 34.
Diaconæ, earum officium ib.

deſierunt ibid.
Diaconi cardinales 60
Diaconorum origo 18 154
ordinatio ibid. ſeq.
officium 32 ſeq.
Dies feſti & feriati 97
quomodo differant? ibid.
& n. ibid.
Diſpenſationes improbantur 17
ſeq. 63
in gradibus prohibitis 107
deberent eſſe gratuitæ ib. n.
Diſtributiones quotidianæ canonicorum 108 & n.
Doctorum deciſiones non faciunt legem 411
Dominicani 73
eorum rector vocatur magiſter 88
Domus religioſæ 164 vid. *Hoſpitalia*.

E

Eccleſia pro loco congregationis 112
Eccleſia ædificandæ cauſæ legitimæ ibid.
auctoritate epiſcopi 113
quomodo ædificandæ? ibid.
dedicandæ ibid
ritus dedicationis ibid.
pollutæ reconciliandæ 114
Eccleſia non ſunt profanandæ 103
conſecratio ſuperflua 114 n.
immunes 115
In iis nemo temere ſepeliendus 117
horum bona v. *Bona*.
immobilia acquirere nequeunt 126
eorum juriſdictio vid. *juriſdictio*.
Eccleſiaſtici vid. *clerici*.
Electio epiſcoporum vetus 37
nova 39
in Germania 40
in Francia ibid.
per ſcrutinium 39 ſeq.
v. *Epiſcopus*.
Eccanonicorum abuſus 113 n.
Epiſcopus quis? 18. 36
olim poptifex 36
quomodo olim electus? 37 ſeq.
conſecratus quomodo? 38
hodie quomodo eligatur? 39 ſeq.
electus confirmandus 40
electus in Germania ea habet, quæ ſunt juriſdictionis, ante confirmationem 40 n.
conſecrandus 40
Epiſcopus juramentum pontifici dat 42
cujus capita ibid. n.
ejus functiones interiores 41
eſt primus inter Presbyteros ibid. n.
confirmat baptizatos ordinatque presbyteros 46 ſeq.
functiones exteriores 47
quæ ſint ordinis? ibid. n.
ejus juriſdictio ibid.
quæ confunditur cum officio ſæcul. 49 n.
epiſcopi in partibus, vel titulares eorum cui fini reti-nentur 52
fuit olim ordinarius collator omnium beneficiorum 130
& judex eccleſiaſticus 172
ejus forum 216
num Romæ? 217
num in Francia? 218
Epiſcopatus a Papa fundandi 52 ſeq.
ſupprimendi ibid.
transferendi ibid. & n.
horum olim infinitus numerus 48. 49
& ſumme tenuitas 48 n.
in Germania rari & vaſti 49
Equites religioſi Joannitici 78
89
Hiſpani 71
alii non religioſi ibid.
Eremita 68. 74. 93
differunt a monachis ib. n.
Euchariſtia 102
ejus elementa ibid.
olim ter in anno ſumenda ibid.
ad ægrotantes defertur 103
quomodo & a quo? ibid.
Exarchi ſpecies metropolitanorum 50
Exceptiones fori declinatoriæ 185
dilatoriæ ibid.
peremtoriæ ib. & n.
Exorciſtarum origo 19
officium 26
ordinatio ibid.
Expectantia unde orta? 132
in Francia abolita 133
Excommunicatio 210
varie dicitur 213
ejus auctoritates ibid.
falſæ ibid. n.
olim rarior ibid.
poſt frequentior 214 ſeq.
major & minor 215
vel ab homine ibid.
vel a lege ibid.

F

Faldiſterium epiſcopi ſolium 42
Falſum, crimen falſi 228
Feſti dies 97
Feriati dies ibid.
quæ differantia? ibid.
Fidei actus 199 & ſeq.
Fiducia Simoniæ ſpecies 202 ibid.
Francia tuetur veterem libertatem 22
Franciſcani 73
ſtrictioris obſervantiæ 86
reformantur a Bernardino Senenſi ibid.
in Hiſpania ibid.
horum rector vocatur miniſter 89
Fratres caritatis 164
laici 82

G

Gallia vid. *Francia*.
Germanica nationis concordata 12
epiſcopatus vaſtiſſimi 49
eccleſia plantata 61 & n.
epiſcopatus conjuncti cur? 159 & n.
Graduati præferendi in beneficiis 116 ſeq.
tertia parte proſpiciendi ib.
nominati ibid.
ſimplices ibid.
ratio differentiæ ibid. n.
qui ſint gradus academici 137
accipiunt beneficia morte vacantia ibid.
non alia ibid. n.
non niſi unum ibid.
Gradus prohibiti 106 ſeq.
eorum computatio canonica 107
quid in ea deſideretur? ib. n.
Graphiarii 178
Gratiani collectio canonum 7
Gregorii IX. collectio 9

H

Hæreſis quid? 189
quomodo purgetur? 190
puniatur? ibid & ſeq.
Hincmarus Rhemenſis detexit fraudem Iſidori 6 & n.
Homicidium 202. 203
Honoraria clericorum 123
Imperentur 124
quod laudatur 123 n.
ibid. n.

Hoſpitalarii 23
Hoſpitalia 264
eorum ſpecies ibid. n.
gubernantur ab Auguſtinianis ibid.
ſubſunt magiſtratui politico ibid. n.
gubernantur a laicis 265
Hoſpitalia præſertim in Francia ibid.
eorum reformatio 266

I

JEjunium quadrageſimale ante Paſcha 96
ante nativitatem domini ib. n.
Jeſuitæ 18
inſtituta 75. 83
generalis eſt monarcha 89
Illegitimi arcentur ab ordinibus 12
Immobilia eccleſiarum non alienanda 114 ſeq.
non ex interna qualitate ib. & ſeq.
niſi ſint utiliter alienata 115
alienantur ſub epiſcopo conſentiente capitulo ibid.
in Francia a rege ibid.
quod laudatur ibid. n.
eccleſiæ in Francia non acquirunt 116
etiam alibi ibid. n.
quibus legibus in Francia tales acquiſitiones permiſſæ 116
Immunitas eccleſiarum 115
Impii paſtores, num efficax eorum miniſterium? 12
Impoſitio manuum 43
Indemnitas 116
Index expurgatorius 154
Indulgentia 105
per eas remittitur ſatisfactio pro peccatis ibid.
Indultum quid? 138 & n.
æquiparatur primariis precibus in Germania 139 n.
Infideles 190
Inquiſitio 192
origo ibid.
proceſſus 194
refertur ad dominicanos 192 & n.
confirmatur a Friderico II. Imp 193
Venetiis ſtabilitur 194
in Hiſpania ibid.
in Luſitania ibid.
in Francia 195
Romæ ibid.
improbatur 199 & ſeq
Inquiſitor generalis 193 ſeq.
Inſpiratio (electio per) 191
Inſtitutionum natura 2
Inſtrumenta authentica 188
exemplificata ibid.
Interdictum quid? 83
improbatur 227 ſeq.
Interſtitium quid? 20
hodie parum ſervatur 12 & ſeq.
Joannis XXII. collectio 9
Irregularitas quid? 21 n.
Iſidori collectio canonum 6
νοθείας κριτήρια 7
Judæorum liberi invitis parentibus baptizari nequeunt 102 n.
Judex ordinarius quis? 174 176
delegatus 176
ejus poteſtas 177
in Francia reſtricta ibid.
ejus decreta non faciunt legem 2
Judicium vetus epiſcopale 172
hodiernum ibid.
Jus auſpicati ingreſſus in regnum 139
Jus patronatus vid. *Patronatus*
Jus præſtiti juramenti fidelitatis ibid.
Jus naturale immutabile 14
divinum poſitivum mutabile ibid.
humanum mutabiliſſimum ib.
Juriſdictio eccleſiæ eſt ſpiritualis 166 ſeq.
quod involvit contradictionem ibid. n.
ejus partes 167 male ineuntur ibid. n.
ſit temporalis quomodo. ib.
ſine coactione 168
amplificatur ibid. & n.
ringentibus laicis 169 ſeq.
propria 170
aliena ibid.
eſt epiſcopi 178
ſapit papatum ibid. n.
Jus eccleſiaſticum antiquum 6
novum ibid. ſeq.
ejus origines 3 ſeq.
Juriſprudentia eſt pars ethices 2

L

LAtinæ linguæ uſus in judiciis Franciæ eliminatus 183
alibi retentus quare? ib. n.
Latina verſio vulgata authentica 117
Lectorum origo 19
officium 26
ordinatio ibid.
Libertas eccleſiæ Gallicanæ 233
ejus duo cardines ibid.
ſingularia 234 ſeq.
Libri ſacri 116
qui ſint? 82
fata eorum 116 n.
Lingua latina inter ſacrum adhibetur 99
vernacula in ſacris damnatur 117
ob Albigienſes ib. male ib. n.
linguarum orientalium ſtudium non improbatur 180
Litis conteſtatio 186
ejus effectus. ibid. & n. 215
Lugdunenſis archiepiſcopus ſolus verus primas in Francia 51
Lutherus repurgator eccleſiæ 12
ejus affectus apud catholicos ibid. & ſeq. n.

M

MAcerationes corporis 82 ibid.
optima eſt propriæ voluntatis reſectio ibid. n.
ſunt ambitioſæ 84 & n.
Magdeburgici canonici cardinales 31 n.
Main-levee 140 & n.
Manus mortua 116 & n.
Matricula eccleſiæ 18
Matrimonium 106
male ſacramentum ibid. n.
perficitur
1. conſenſu legitimo ibid. & n.
ejus impedimenta naturalia ibid.
legalia ibid. ſeq.
humana 106
criminoſa 108
a libero conſenſu ibid.
contrahentes ſint ſui juris ib.
2. conſenſu ſolenniter edito ibid. & 109
poſt trinam proclamationem ibid.
præſentibus teſtibus ibid.
clandeſtinum vitio laborat 108 & 109
ejus effectus ibid. ſeq.
de cauſis matrimonialibus in Francia judex ſecularis cognoſcit ibid. & ſeq.
quod regula olim fuit ib. n. 110 n.
alias ſunt judicis eccleſiaſtici 179 & n.
ſolvitur morte 110
quoad thorum & menſam ibid n.
aliæ cauſſæ ibid.
repeti poteſt 111

Mendi-

Mendicantes in commune pauperes 79
pro titulo habent paupertatem 21
prædicatores 45
populum ſuperſtitione inficiunt ibid. n.
privilegia 82
Methodi ſubtiles reprehenſæ 1
Metropolitani 50
origo 50
jus ibid.
Miſſa v. divinum officium.
ſolemnis frequentanda 202
vel minus ſolennis ibid.
tantum in loco ſacro 182
Miſſio in poſſeſſionem 184
Miſſionis Patres 66 ſeq.
Mitra epiſcopalis 43 n.
Monachi vitia promovent 17
horum multitudo 67 68
ſpurii 69
plerique laici 68
quod probatur ibid. n.
mendicantes 71 ſeq.
functiones 74
quomodo clerici? 81
corrumpuntur & vileſcunt 85
Monacha 68. 90
earum inſtituta ibid.
Monitoria 187 & n.
Montes pietatis 207
quid? ibid.
quid in eis deſideretur? ib. n.
Mortuariorum quarta 252

N

N*Epotiſmus* taxatur 150 n.
Nominatio quomodo fiat? 41 ſeq.
Regis Franciæ ad Epiſcop. 40 & ſeq.
Nominat Rex Franciæ cum indulto in recens acquiſitis provinciis 42 n.
Notarii 19
Apoſtolici 158
Novales decimæ 127
Novalia quæ? ibid. n.

O

O*Bedientiæ* votum 77
in quo conſiſtat? 78
abſurdum 77
Obedientia provinciæ quæ? 215 & n.
Oblationes voluntariæ quomodo ortæ? 219
cui datæ? 220
Oblatus laicus monaſterio 254
Offerre quid? 35
Officiales epiſcoporum 61
clauſtrales habent mobilia 79
tales habent Epiſcopi 174
capitula 175
metropolitani ibid.
corrumpunt ſimplicitatem veterum judiciorum ib. 179
eorum officium antiquum 71
perſtringitur ibid. n.
officialis vocabulum antiquum ibid.
Officium divinum 98
quid ſit? ibid.
ubi celebrandum? 99
a quo recitandum? ibid.
quomodo publice? ibid.
privatim? 99
qua lingua? ibid.
male latina ibid. n.
pendet a lubitu epiſcopi 200
Oleum ſacrum 115
Oppoſitio contra ſententiam 229
Orare eſt epiſcopi 46
Oratorium patrum 66
auctor ibid.
oratoria unde orta? 60 & n.
dedere originem patronatui ibid.
fuere dominorum propria ibid. n.
Ordinatio oſtiariorum 25
officium ibid.
quo & laici funguntur 26
lectorum ibid.
ſubdiaconorum 31
presbyterorum 34
non iteratur 105
Ordines minores hodie otioſi 26 n.
licet concilio Tridentino commendati 27
eorum officium 25
quo & laici funguntur 26
Orthodoxus quis? 189 n.
Oſtiariorum origo 25

P

P*Allium* Archiepiſcoporum 51
ejus uſus ibid. n.
facit archiepiſcopos vicarios Papæ ibid. n.
Papa, olim quilibet epiſcopus 28
eſt de jure divino epiſcoporum princeps 50 & n. 50
num poſſit renuntiare? 55
concurrit in conferendis beneficiis cum collatore ordinario 138
nec vacantia ſolum, ſed & non vacantia confert ibid. ſeq.
per expectantias 232
reſervationes ibid.
de jure divino epiſcoporum judex 271
videtur ibid. n.
Parochi vocantur Cardinales 60
eorum poteſtas 61
Parochiarum origo 60 & n.
Paſcha, quomodo figenda? 86
diſſenſus primitivæ eccleſiæ ibid. n.
Patres fere omnes fuere Epiſcopi 46
Patriarcha 19
qui? 50
Patrinorum officium 208
Patronatus (jus) 134
origo ibid. & n.
reale ibid.
perſonale ibid. n.
Patronus quis ſit? ibid.
vel eccleſiaſticus 215
vel laicus ibid.
quæ ejus jura? ibid.
cur laicus variet, non eccleſiaſticus? ibid.
Paupertas male intellecta 71 n.
votum 78
in quo conſiſtat? ibid. 79 ibid.
intelligenda de ſingulis 78
non de corporibus ibid.
ejus votum facit regularem 67 n.
Peculium 253
Penſiones 154
veteribus notæ ibid.
toleratæ ibid. n.
abuſus 155
a ſolo papa conſtituuntur ibid.
a magiſtris ordinum militarium ibid. n.
quota ſit penſio? ibid.
eſt ad dies vitæ ibid.
onus reale ibid. n.
Petitio incidens 86
Petrus num ceteris Apoſtolis præfectus? 51 & n.
Pluralitas beneficiorum 158
Pœnæ canonicæ 219
ſpirituales ibid.
ſæculares ibid.
Pœnitentia ſemel in anno ſubeunda 203
eſt publica 205
privata 223 n.
caſus reſervati papæ 204
epiſcopo ibid.
ſatisfactio 205 n.
non eſt pœna ibid.
Pœnitentiarius epiſcopus 63
Portio congrua 228 & n.
quæ ejus ſumma ibid.

Poſſeſſio

Poſſeſſio beneficiorum quomodo adipiſcenda? 147
per ingreſſum ibid.
proſpectum campanilis ibid. & n.
per procuratorem ibid.
ejus effectus 148 149
Poſſeſſorium mixtum 180 ſeq. n.
Poſtulatio quid? 39 & n.
Poſtulatus ante confirmationem non habet, quæ ſunt juriſdictionis 40 n.
Practicorum ineptiæ 1
Præbendarum origo 121. 123
Prædicare quid? 36
eſt Presbyteri ibid.
Epiſcopi 46 n.
Prædicatores monachi ibid.
Præeſſe quid? 36
Præmonſtratenſes 72
Præpoſiti canonicorum 59
in Germania ſuperſunt ibid. n.
Præſumtio juris & de jure 195
Presbyteri cardinales 19. 60
horum ordinatio 34 ſeq.
figura in V. T. 35
officium ibid.
poteſtas 61 ſeq.
non poſſunt fieri laici 105 ibid. n.
Primates 20
qui? 50. 51 n.
Prioratuum origo 87
Priores clauſtrales 88
conventuales ibid. n.
Privilegia improbantur 17
Probatio vocalis 187
litteralis 188
Proceſſus civilis 183
olim ſimplex 184 & n.
criminalis antiquus 211
accuſatorius 212
denunciatorius ibid.
inquiſitorius 213
novus in Francia ibid.
Procuratio vid. *viſitatio*.
Procuratores poſtulantes 178 184
Profeſſio religioſa 75 ſeq.
quomodo facienda? 76
impugnanda? 77
Promotor quis? 178
Prorogare forum clericus poteſt 182 n.
Proviſio quid? 145
eſt inſtar locationis ib. n.
motu proprio 145
& ad inſtantiam ibid.
quomodo expediatur Romæ? 146 ſeq.
indiget viſa ordinarii 147 & n.
Proviſiones pontificiæ 40
Pſalmiſtarum origo 19
Purgatio canonica 215
vulgaris 216

R

Raymundi de Pennaforte collectio 9
Recoleti 86
Reconventiones in Francia exulant 186
Recredentia quid? 181 & n.
Reditus vitalitius 207
Refectiones eccleſiarum incumbunt beneficiariis 150
quomodo olim factæ? ibid.
quomodo hodie? 151
Regalia 57
eorum fundamentum 57 n.
olim jus percipiendi omnes fructus vacantis epiſcopatus 139
quos hodie rex donat epiſcopis ibid.
hodie reſtringuntur ad beneficia ſede vacante conferenda ibid.
Rex iis utitur non Regni adminiſtrator ibid. n.
per totum regnum 140
accenſetur hocce jus domanio ibid. n.
Reginonis collectio canonum 7
Regula Benedicti 69
Auguſtini 71
Aquiſgranenſis 69
Cluniacenſis 70
Ciſtercienſis 71
Regulares qui? 67 n.
origo ibid.
multitudo 85
exemti ibid.
quare? ibid. n.
corrumpuntur 84
Relapſus quis? 190
Religioſi epiſcopis haud ſubjecti 48 n.
horum vota 75 ſeq.
Reliquiæ ſacræ 115
Renunciatio epiſcopatus 55
ex quibus cauſſis permiſſa? ibid.
Renunciantes manent clerici 56 n.
Repletus quis dicatur? 137
quis cenſeatur? ibid.
Res ſpirituales 95
quæ ſint? ibid.
temporales ibid. 119
ſacræ 112
Reſervationes pontificiæ
earum occaſio 40
generales ibid.
beneficiorum 131 & n.
a Ioanne XXII. ad cathedrales extenſæ ibid.
in Francia abolitæ ibid. ſeq.
Reſidentia clericorum neceſſaria 160
ex juſtis cauſſis negligitur ibid.
ab ipſis papis neglecta ibid.
ex fuco etiam ibid. n.
quomodo eludatur a canonicis? 161 ibid. n.
Reſignatio beneficiorum quomodo facienda? 143
abuſus ibid.
reſignantium cautelæ 144
regreſſus ibid.
Retributio ſpontanea 201
Ritus eccleſiaſtici diverſiſſimi 16
Rubricæ 98

S

Sacræ res 112
Sacramentorum adminiſtratio eſt epiſcopi 46
efficacia non pendet ex dignitate miniſtri 111. 112
Sacrificium N. T. ſunt preces publicæ 46
Sacrilegium quid? 191
Saccus benedictus 197
Sanbenito ibid.
Schiſma Avenionenſe corruptelarum mater 11
Schiſmatici qui? 191
Scholæ cathedralium 64
Scholaſter 63
Scrutinium (electio per) 39
Seminaria 65
laudantur 66 n.
commendantur a concilio Tridentino ibid.
inſtituuntur a Carolo Borromeo ibid.
& in Francia ibid.
& inter evangelicos in Germania v. gr. Tubingæ, Halæ ibid. n.
Sententia 198
interlocutoria ibid.
definitiva ibid
Sepultura eſt prope eccleſias 117
ejus electio permiſſa
in favorem mendicantium 118 n.
ſepulti non effodiendi ibid.
gratis concedenda ibid.
eleemoſyna non rejecta ib. n.
denegatur impœnitentibus ib. & ſeq.
Servi arcentur ab ordinibus 13
Sigillum confeſſionis 104 & n.
Signa-

Signatura ſimplex quomodo comparata? 146 ſeq.
vel in forma dignum 147
vel gratioſa ibid.
Simonia 199
mentalis 201
conventionalis ibid.
realis ibid.
ejus pœna ibid.
ejus ſpecies eſt confidentia ibid. 202
Simoniaci qui ſint? 198
Societates mercatoriæ 207
Sodomia clericorum 204
Sortilegium 192
Spirituales res 95
Spolium 153
ejus ratio ibid. n.
Sponſalia quid? 108
non admittunt abſolutam coactionem, ſed pœnam canonicam 109 & n.
abſolute ibid. n.
quibus ex cauſſis ſolvantur? ibid.
Subdiaconorum origo 19
hi feriùs cœlibatus legi ſubjecti fuere 28
ordinatio 31 ſeq.
Subintroductæ feminæ quæ? 204 n.
Suffraganei epiſcoporum in Germania ſunt fere epiſcopi in partibus 53
eorum origo e Græcia ibid.
Superſtitio 192 & n.
Suſpenſio clericorum 221
localis 222
perſonalis ibid.
generalis, ſpecialis ibid.
Suſpicio levis, vehemens, violenta 195
Syndici 184
Synodus quid? 57 n.
Synodi diœceſanæ 172
provinciales ibid.

T

Temporales res 95
Teſtes ad teſtimonium ferendum cogi poſſunt 187
Theatini 74. 83
Theologus 63
Tigonville 209
Titulares 145
origo ibid. ſeq.
Titulus quid? 28. 29
quotuplex? ibid. ſeq.
Tonſura 23
ejus origo 24
ſuffragatur ad beneficia ibid.
quo ritu conferatur? 25 ſeq.
quæ requirantur in tondendo 24
eſt ſine officio 25
ad tonſuram ætas legitima & ad beneficia habilis requiritur 141
prætextus ibid. n.
Torneamenta 202
Tortura 214
Translatio epiſcoporum 54 ſeq.
permiſſa auctore papa 55
cur eo? ibid. n.
in Gallia frequentiſſima ibid.
in Germania rara ibid. n.
Tridentini concilii reformatio 13
in Francia exulat ibid.

V

Vacantia in curia Romana 133
Vacantia impeditur
reſignatione 141
colluſione 144
Vacantia & non vacantia beneficia confert papa 132
Vacat quot modis beneficium? 143
Valetudinariorum militum jura in Francia 155
Verſio vulgata ſcripturæ ſacræ eſt authentica 116. 117
ejus vitia 116 n.
verſiones in linguam vernaculam damnantur 117
nova nulla ſine epiſcopo evulganda ibid.
Veſtes ſacræ 116
Vicarii generales epiſcoporum 63
Viduæ renubentes non iterum benedicuntur 111
quare? ibid. n.
Virgines religioſæ. vid. *Monachæ*.
quomodo recipiantur? 91
conſecrentur? 92
griſeæ ſeu caritatis 165
Vitalitius reditus 207
Unctio presbyterorum 35
epiſcopi 139 & n.
extrema 105
a parocho adminiſtranda ib.
in remiſſionem peccatorum ib. n.
Unio beneficiorum 162
Vota religioſorum 75 ſeq.
quænam ſint? 78
quid in iis deſideretur? 75 n.
Uſura 204
quare Judæis permiſſæ? ib. n.
non ſunt Chriſtianis prohibitæ ibid. & 205 n.
eas canones admittunt 206 ſeq.

FINIS.

CATALOGO

D'ALCUNI *Libri Latini, ed Italiani uſciti dalle Stampe di* Antonio Zatta, *col lor giuſto corrente prezzo.* *Venezia* 1762.

S. Gregorii Nazianzeni Opera, Latine, interprete Jac. Billio, cum Varior. Commentariis. Quibus inſuper acced. quamplurima a Tollio & Muratorio ex vetuſtiſſ. Cod. collecta, notis illuſtrata. fol. Tom. 2. 1753. L. 65:

S. Dionyſii Areopagitæ Opera omnia. Græce & Latine, Commentariis & Adnotat. illuſtrata a P. Corderio: quibus ſuperadditæ ſunt in hac editione Diſſertationes præviæ, variantes Lectiones; aliæque Acceſſiones potiſſimum ad rem facientes. fol. Tom. 2. 1755. L. 75:

—— Idem Opus impreſſum Charta pluſquam optima & maxima, atque, ut ajunt, Imperiali, cum ampliſſimis marginibus: cujus unicum extat exemplar. L. 300:

Lettere dell' Abbate N. N. Milaneſe ad un Prelato Romano, nelle quali ſi moſtrano che il preteſo Portogheſe Scrittore di certe *Riſleſſioni ſopra il Memoriale preſentato dai PP. Geſuiti alla Santità di Papa Clemente XIII. Felicemente regnante*, è un Uomo maligno, temerario, e un ſolenne calunniatore 8. Vol. 3. L. 5:10

Opuſcolo contra quelli che in materie Morali fanno poca ſtima dei RR. PP. Geſuiti. Lettera Criſtiana propoſta da leggerſi alli malevoli della Vener. C. di G. L. 1: 10

S. Clementis Alexandrini Opera omnia, Græce & Latine, recognita, & illuſtrata, a Joan. Potero: Quibus inſuper adjecta ſunt in hac editione Fragmenta aliqua ex Fabricio, ac Vita S. Patris, Monumentis præſtantiſſimis exarata, fol. Tom. 2. 1757. L. 80:

—— Idem Opus Charta magna. L. 90:

—— Idem Opus impreſſum Charta maxima, vel Imperiali ut ſupra, cujus unicum extat exemplar. L. 300:

Lettere d'un Direttore ad un ſuo Penitente intorno alle lettere Provinciali. Lettera di N. N. Napoletano ad un ſuo Amico di Livorno. L. 2: 10

I Geſuiti accuſati, e Convinti di Spilorceria. Apologia per li RR. PP. della Vener. C. di G. alla Regina Reggente di Francia. Lettera al Sig. March. N. N. ſopra il leggere Pubbliche Scritture ec. L. 2:10

Saggio di Riſpoſta all'Innocenza Vendicata ec. Lettera d'un Cavaliere, in riſpoſta ad un'altra ſcrittagli dal Sig. Ambaſciatore N. N. in Roma. Due lettere ſcritte a Monſign. Veſcovo di..... inpropoſito del Libro del P. Noberto. Parte della Lettera del P. Filiberto Balla della Compagnia di Gesù, in Riſpoſta alle Lettere ſcritte ſotto il nome di Euſebio Eraniſte. L. 2:10

Sacrorum Conciliorum nova & ampliſſima Collectio: in qua præter ea, quæ in præcedenti Labbeanæ in lucem edita fuere, ea inſuper omnia ſuis locis diſpoſita exhibentur, quæ *P. Manſi* in ſex voluminibus Supplementorum Lucæ nuper evulgavit. Editio noviſſima, ab eodem P. Manſi, aliiſque eruditis. Viris curata, ad MSS. Codd. Vatican. Lucenſ., alioſque recenſita & perfecta, Notiſque, & Diſſertationib. quamplurimis nunc primum locupletata. In fol. 1759.

—— *Pretium nitidum Tomi Primi, II. III. IV. V. & VI. pro* Subſcriptoribus, *parata pecunia* L. 180:

Prænumeratio pro VII. Tomo L. 30:

Summa L. 210:

Muſeum Mazzucchellianum, ſeu Numiſmata Virorum doctrina præſtantium, quæ apud Jo: Mariam Comitem Mazzucchellum Brixiæ ſervantur, a Petro Antonio de Comitibus Gaetanis Brixiano Presbytero, & Patritio Ro-

Romano Edita, atque illuſtrata. Accedit inde Verſio Italica ſtudio Equitis Cosmi Mei elaborata. Continet hoc perlegans ac ſumptuoſum 1200. circiter Numiſmatibus, totidemque Emblematibus ex adverſo reſpondentibus: necnon Cælaturis 2400. circiter, Tabuliſque æneis 220. finalibus 150. circiter conſtat. fol. 2. Vol. 1761. Tomus primus jam completus. L. 66:

Peregrini (M. Antonii) de Fideicommiſſis cum Obſervationibus. Gaſparo Lonigo, ac de Obſervationibus ſingularibus Franciſci Cenſalii, cum Additionibus ad Tractatum de Fideicommiſſis, Marci Antonii Peregrini, fol. Tom. II. 1760. L. 26:

Deciſiones S. Rot. Rom. coram R. P. D. Carolo Rezzonico nunc SS. Domino N. Clemente XIII. fol. 2. Vol. 1760. L. 28:

--- Ejuſdem Tomus Tertius *Sub Prælo*.

Tabulæ Whiſtonianæ conſpectus, cum Theorematibus ex Aſtronomiæ ſelectioribus, addito ſchemate æneo in 8. charta vulgo Imperiali, 1759. L. 4:

Le Ree Qualità dei due Libelli intitolati le Riflesſioni ſopra il noto Memoriale de' PP. Geſuiti, e l'Appendice alle medeſime, dimoſtrate ai loro proprj Autori, il *Portogheſe*, ed il *Romano*. Opera poſtuma di D. Giovanni Battiſta Zandalocca Mantovano. L. 2:

Weitenaver (P. Ignatii Soc. Jeſu, Lexicon Biblicum, in quo explicantur Vulgatæ Vocabula, & Phraſes quæcunque propter Lingua Hebraicæ Græcæque peregrinitatem injicere moram legenti poſsunt. Ad uſum eorum omnium, qui abſque magnorum voluminum ambagibus Divinæ Scripturæ Textum & Contextum intelligere, & verbum Dei ſolide populo proponere deſiderant. Accedunt Summaria Capitum omnium totius Codicis Divini. Editio prima Veneta multo correctior, & emendatior 8. 1760. L. 4:

Sianda, Lexicon Polemicum 4. 2. Vol. 1761. L. 32:

Chignoli (R. P. Nicolai Auguſtini) Exercitationes ad Danielem Prophetam in 4. 1761. L. 6:

Riflesſioni ſopra il libro intitolato *Motivi Presſanti*, e *Determinanti*, che obbliga in coſcienza le due Poteſtà Eccleſiaſtica, e Secolare, ad annientare la Compagnia di Gesù, ec. L. 1:10

Upiani Didymi, De Matrimonio Jus tum Naturæ, tum Canonicum, quorum hoc ex illo, Scientiæ in modum nectitur, atque efficitur. in 4. Tom. II. 1760. L. 7:

---- De Uſuris, Reditibus Vitalitiis, Cenſibus, Antichreſi, Cambiis, Fenoribuſque, Trajectitiis Juris Naturæ quocumque minime diſſentire jus poſitivum Utrumque, Canonicum, & Civile oſtenditur, Inſtitutiones omnia Mathematico more, & modo pertractantur. in 8. 1761. L. 1:10

Stephani (Pauli J. U. D. Sac. Theol. Profeſſoris) De ſupremo Dogmaticis Epiſcoporum Judiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate opportune munientis Theologico-Canonica Diſſertatio. Editio ſecunda. in 4. 1760. L. 4:

Boſcovich (P. Rogerii Joſephi) De Solis ac Lunæ Defectibus libri V. 8. 1761. Venetiis. Juxta Exemplar Londini. L. 3:10

Fr. Danielis Concinæ Ord. Pr. Theologiæ Chriſtianæ Compendium, quatuor Partibus comprehenſum, cui accedunt in hac noviſſima Editione nonnulla additamenta, atque Index præſertim locupletiſſimus, valde utilis, ac neceſſarius. in 4. Vol. 2. L. 8:

Oſſervazioni intereſſanti, e relative agli affari correnti de' PP. Geſuiti ec. Lettera del Sig. N. N. al Sig. N. N. ſuo corriſpondente in Olanda. Decreto del Re Cattolico Filippo V. in propoſito delle molte accuſe intentate contro i Geſuiti del Paraguay. Proceſſo autentico recentemente fatto ex Offitio nel Paraguay ſopra le coſe imputate ai PP. Geſuiti. L. 2:10

Gordon, Gramatica Geografica, ovvero Analiſi eſatta, e brieve della moderna Gaografia, con Figure in rame. Edizione II. Veneta ricorretta, ed accreſciuta, in 8. 1760. L. 3:10

Vita d' Arlotto Mainardi Piovano di S. Creci a Maciuoli, del Signor Domenico Maria Manni, e da lui in quella terza edizione corretta, ed accreſciuta. Giontovi un Canto d'incer-

to Autore, in lode della pazzia di Bettina Veneziana, con il ſuo Ritratto in Rame. in 8. 1760. L. 1:10

Bonomo (Giambat.) Il buon Governo dell' Anime, propoſto maſſimamente a' Parrochi, e Confeſſori. in 8. 1756. L. 3:

Zampi (Fel. Mar. Carmel.) Parafraſi de' Treni di Geremia tradotti in verſi volgari, con annotazioni. in 4. 1755. L. 1:10

Nuovo Manuale, o ſia iſtruzione pratica ſopra la Regola, e Coſtituzione dell' Ordine de' M. Convent. di S. Franceſco. in 8. 1758. L. 3:

Barbaro (Antonio Tom.) Eſpoſizione delle Litanie della B. V. M. in 12. 1759. L. 3:

Volgarizzamento del Libro di S. Bernardo della Conſiderazione, mandato ad Eugenio III. ed ora tradotto in lingua Italiana. in 8. 1759. L. 2:

Ritiro di dieci giorni ſopra i principali doveri de' Religioſi dell' uno e l'altro ſeſſo, con una Parafraſi ſopra la Proſa dello Spirito Santo, Opera di un Sacerdote Benedettino della Congreg: di S. Mauro, traslatata dalla Lingua Franceſe nella Italiana in 8. 1759. L. 2:10

Preghiere divote, e profittevoli ad ogni Criſtiano, per vivere ſotto il patrocinio del Cielo; aggiuntovi una breve Novena pel SS. Natale, in 8. 1759. L. :10

Dimoſtrazione Apologetica, nella quale ſi convince di calunnia la Imputazione che ſi fa ai RR. PP. Geſuiti circa le Ree Maſſime del *Tirannicidio*. Il Reo fatto Giudice ec. Decreto della Corte d' Apollo in Parnaſo che dichiara il P. Franceſco Saverio Mamachi, Prefetto delle Scuole del Collegio di Rovano, accuſato, e convinto del delitto di Plagio ec. Queſito curioſo, ed importante per ogni genere di perſone. Altro Opuſcolo ai Signori mal impreſſi della Morale dei Geſuiti. L. 1:10

Le Rime del Petrarca co' Comenti del Caſtelvetro, con 200. e più figure in rame, alluſive a tutta l'Opera, e con varie altre aggiunte che molto illuſtrano queſta edizione. in 4. Tomi 2. 1756. Carta grande. L. 50:

—— detto in Carta migliore. L. 55:

—— detto in Carta ſtragrande, con ampli margini. L. 70:

Calendario Polironiano del duodecimo Secolo, illuſtrato da un Socio Colombajo. in 8. 1759. L. 1:

Il vizio ſgridato, col preſervativo della ſolitudine della Villa; ottave Rime, con un' aggiunta ſulla vera Nobiltà. Edizione III. in 8. 1755. L. 1:

L' auguſta Baſilica Veneta dedicata a S. Marco Evangeliſta, Protettore della Città, e ſuo Dominio, deſcritta in tutte, e ciaſcheduna delle ſue parti, e delineata da Antonio Vicentino, Edizione Magnifica con Finali, Capopagine, e Contorni in rame ad ogni pagina, in forma Atlantica. 1761. legata. L. 118:

Converſazioni di S. Pier d'Arena, o ſia Ragionamenti ſull' Ortodoſſia dei Geſuiti, ſtampata alla fine della *Neomenia Tuba Maxima*, tenuti in S. Pier d' Arena tra un Cavaliere *Portogheſe*, un Abate *Toſcano*, e un Religioſo *Vicentino* villeggianti in S. Pier d'Arena, e dallo ſteſſo Cavaliere Portogheſe eſpoſti in varie Lettere ad un Abate Portogheſe dimorante in Roma. L. 2:10

Dante Alighieri, la Divina Commedia, e le altre ſue Opere, colle annotazioni del P. Venturi, e di Gio: Antonio Volpi: edizione noviſſima adornata di 400. e più figure in rame, alluſive a tutta l'Opera; ed accreſciuta della ſua *Monarchia*, e di varie coſe inedite, come pure di una nuova Vita di Dante, con alcune Lettere, Apologie, ed Illuſtrazioni di moderni Scrittori. in 4. Tomi 5. 1759. L. 160:

—— detto in carta migliore. L. 170:

—— detto in carta ſtragrande con ampli margini. L. 185:

—— Il Tomo IV. e V. che comprendono tutte le Proſe e Rime Liriche edite, ed inedite. in 4. Figurato. *Si danno anche ſeparato dalla Commedia.* L. 25:

—— Monarchia, *quæ ſeorſim venditur a toto opere*. in 4. Fig. L. 3:

A queſt' opera poſſono unirſi ancora le ſeguenti cioè

Giudizio degli antichi Poeti ſopra la moderna Cenſura di Dante, attribuita ingiuſtamente a Virgilio, ovvero Saggio

gio di Critica, Poema Ingleſe del Pope, fatto Italiano dal Co: Gaſparo Gozzi, con figure in rame alluſive agli argomenti della Critica. in 4. 1758. L. 8:

Lettera del *Portogheſe* Autore delle *Riflesſioni* ſopra il *Memoriale* preſentato dai RR. PP. Geſuiti alla Santità di Papa *Clemente XIII.* al *Romano* Autore della *Critica* alle medeſime Rifleſſioni, con un Saggio della *Morale Speculativa* e *Pratica* dei moderni impugnatori dei PP. Geſuiti; Tratta dalla Critica alle *Rifleſſioni*, *e dalla Neomenia Tuba Maxima*. L. 1:10

Parere ſopra il Poemetto del P. Bettinelli intitolato le Raccolte, colla Riſpoſta ec. in 4. 1758. L. 2:

Dante Alighieri, la ſua Divina Commedia, e tutte le altre ſue Opere (ridotte, per la prima volta, in un ſol corpo) novellamente arricchite (oltre il Commento del P. Pompeo Venturi, e del Sig. Dott. Giannantonio Volpi) con copioſe illuſtrazioni del P. Gian Lorenzo Berti MS., del Co: Roſa Morando MS., e d' altri rinomati Scrittori, coſe tutte che mancano nell' altre Edizioni, col Ritratto, e Sepolcro dell' Autore, col Profilo, Pianta, e miſure dell' Inferno di Dante, il tutto in Rame. Edizione completa in 8. grande Vol. 7. 1,60. L. 24:

—— *Si vendono anche ſeparate dall' Opera di Dante.*

Tutte le Figure in Rame in numero di 212. tra grandi e picciole, che ſervirono per ornamento all' edizione del Dante in 4.° ſtampate in Fogli n. 53. diſtribuite però in modo che cadaun Foglio contiene quattro Figure, cioè due Figure grandi de' Canti di Dante, ed altre due Figure picciole, che loro corriſpondono, in cui ſono gli argomenti in verſi, da' quali vengono ſpiegate; e queſte aggiuſtate ancora in piccioli quadri, ſervir poſſono d'adornamento per gabinetti. L. 32:

La Barcaccia di Bologna, Poema giocoſo del Rev. Sig. Abate *Sabinto Fenicio*, proceduto da una Lettera, dal medeſimo ſcritta, in difeſa di alcune accuſe date dai malevoli della Compagnia di Gesù alla ſua *Lettera Criſtiana*, propoſtali da leggere nel paſſato meſe di Marzo. Aggiuntovi il *Burchiello di Padova*, Poemetto di *Poliſeno Fegeja* P. A. L. 1:10

Trattato ſopra la coltivazione delle Viti, del modo di fare i Vini, e di governarli, tradotto dal Franceſe del Sig. Bidet. in 8. Fig. 1761. ſeconda Edizione, ricorretta, ed accreſciuta. L. 2:10

Gaetti (Geminiano) Il Giovane Iſtruito ne' *Dogmi* Cattolici; nella *Verità* della Religione Criſtiana; e ſua *Morale*; con i Principj della *Geografia*, della *Storia*, della *Filoſofia*, e *Aſtronomia*, e colla ſpiegazione della *Teologia* de' Pagani. 4. 1759. Tomi 2. L. 10:

La Verità per ſe difeſa col diſvelarſi nella ſincera eſpoſizione dei fatti siniſtramente accennati contra la Compagnia di Gesù dai celebri Rifleſſioniſti, o ſia *Riſpoſta* alle *Rifleſſioni* ed all' *Appendice*. L. 6:

Manni, Domenico Maria, Veglie piacevoli, ovvero Vite de' più Bizzari, e Giocondi Uomini Toſcani, le quali poſſono ſervire di trattenimento. III. Edizione ricorretta, ed accreſciuta dall' Autore in 8. Vol. 4. 1762. L. 4:

L' Eſter Tragedia in 8. 1759. L. 1:10

Algarotti, Co: Franceſco, Lettere in Verſi; edizione noviſſima ricorretta, ed accreſciuta dall' Autore, in 12. 1759. L. 1:

—— detto Lettere Militari. in 8. 1759. L. 2:

—— detto Lettere Ruſſe. in 8. 1760. L. 2:

Avventure di Lillo Cagnolo Bologneſe: Opera dilettevole, e Critica, tradotta dall' Ingleſe, in 8. 1760. L. 1:10

Deca di lettere Confidenziali del Sig. *Apiſtio* Saſſone, e del Signor Apronio Olandeſe, Eretici, ſul Libro intitolato Preſervativo ec. L. 3:10

Benetti, Santo, L'accorto Fattor di villa o ſia Oſſervazioni per il governo della Campagna con la maniera di coltivare gli Alberi da Frutto; ed altri Avvertimenti. in 8. 1762. ſeconda Edizione ricorretta, ed accreſciuta. L. 1:

Ragionamento ſopra la Vocazione allo Stato Eccleſiaſtico di Monſig. Antonio Godeau, Veſcovo e Signor di Vence, traſportato dal Franzeſe in Italiano; Aggiuntovi il Volgarizzamento della

della Lettera XXI. di S. Agoſtino a Valerio Veſcovo d'Ippona. Seconda Edizione corretta, ed accreſciuta. in 8. 1762. L.

Lettera Giuſtificativa di A. Z. per il Libro uſcito ſotto il ſuo nome intitolato Dimoſtrazione dell' oſſequioſ e riſpettoſa Venerazione avuta dai Miniſtri di S. Santità verſo li Miniſtri di S. M. Fedeliſſima in 8. L. 1:10

Diotallevi P. Aleſſandro della Compagnia di Gesù, Stimoli alla vera Divozione. in 12. L. 1: 5

—— Detto Trattanimenti Spirituali, ſopra le Feſte di Maria Santiſſima 12. Tomi 3. L. 3:10

—— Detto Idea d'un vero Penitente, o ſia Spiegazione del Salmo *Miſerere* ec. in 12. L. 1:

—— Detto Conſiderazioni Morali ſopra la Beneficenza di Dio. in 12. L. 1 10

—— Detto Meditazioni ſul Cuore addolorato di Maria Santiſſima. in 12. L. : 5

—— Detto. Tutte le ſue Opere Spirituali, e Morali. Edizione ricorretta, ed accreſciuta. in 12. vol. 7. L. 8:

—— Detto Tutte l'Opere ridotte in un ſol corpo. Tom. 2. in 4. L. 8:

Diſcorſo delle Perſecuzioni della Compagnia di Gesù, con alcune annotazioni ec. L. 3:10

Il Divoto del Sacro Cuor di GESU' iſtruito intorno l'origine, e l'eccellenza della Divozione al medeſimo Amabiliſſimo Cuore, con varie affettuoſe Orazioni, Rime, e con due Novene per onorare i Sacri Cuori di GESU', e di MARIA; di Fr. Angelo M. da Udine Cappuccino, 16. Fig. 1761. L. 1:

Il Teſoro naſcoſto, ovvero pregi, ed eccellenze della Santa Meſſa, con un modo pratico, e divoto per aſcoltarla con frutto, cavato da un gran Servo di Dio. Edizione III. accreſciuta di varie Orazioni, e ridotta in forma di picciolo Offizio, per maggior comodo de' Divoti. 1760. L. 1:

Raccolta di Documenti, Memorie, e Lettere, ſpettanti agli affari correnti fra la Corte di Roma, e quella di Portogallo ec. in 8. L. 1:

Manuale Sacro, ovvero varj documenti per vivere Criſtianamente cavati dall' Opere d' un gran Servo di Dio. Seconda Edizione in 12. 1761. L. :10

Teodori, D. Giuſtiniano Ponteſiena, Lettere Erudite intorno a ciò, che deve ſaperſi, e praticarſi dagli Eccleſiaſtici sì Secolari, che Regolari. in 8. vol. 2. 1759. L. 2:10

Coſtantini, Avvocato Giuſeppe Antonio, Il Diſinganno dei Grandi, e d'altre perſone qualificate intorno ai loro doveri, eſpoſti già a ſola propria iſtruzione, dal fu Sua Altezza Monſ. il Principe D. Armando di Conty del Sangue Reale di Francia, tradotti in Italiano; e Comentati ſul guſto delle Lettere Critiche, in 8. vol. 2. 1760. L. 4:

Il Panegirico di C. Plinio Cecilio Secondo a Nerva Trajano Auguſto: tradotto di Latino in Volgare. L. 2:

Ragionamenti di Cleandro, e di Eudoſſo, ſovra le Lettere al Provinciale, recati novellamente nell' Italiana favella dall' Originale Franceſe. 8. Tomi 2. L. 4:

Bianchi (Antonio) La Formica contro il Leone. in 8. L. 1:

Maupertuis, Lettere Filoſofiche tradotte dal Franceſe. in 8. L. 1:10

Zaccaria P. Franceſco Antonio della Comp. di Gesù, Storia Letteraria d'Italia. in 8. Tomi 14. L. 70

—— detto Saggio Critico della corrente Letteratura ſtraniera 8. tomi 10. L. 30:

—— detto Annali Letterarj d'Italia. Li quali incominciano dall' Anno 1756. Perciò poſſon ſervire anche di Continuazione alla ſudetta Iſtoria Letteraria, al qual anno appunto ſono rimaſti col Tomo XIV. in 8. *per Aſſocietà* L. 5:

Alli non Aſſociati L. 6

A chi mancaſſero Tomi della ſudetta Iſtoria, come altresì del Saggio Critico della corrente Letteratura Straniera, potranno a me commetterli, eſſendo paſſati tutti in mio potere.

L'Amintra Favola Boſchereccia di Torquato Taſſo ricorretta, ed accreſciuta. Adornata di otto Rami di grandezza della pagina, con a lato li ſuoi Capo-pagine, Finaletti, e Lettere Inziali; il tutto inciſo in Rame da perito Profeſſore, tutti alluſivi alla materia. in 12. *ſotto il Torchio*. L.

Fleury, Claudii, Inſtitutiones Juris Eccle-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cleſiaſtici cum notis *Bohemeri*, Editio quarta. in 4. *Juxta exemplar Lipſiæ*. L.

—— Diſciplina Populi Dei in Novo teſtamento ex Scriptoribus Sacris, & Prophanis collecta, curante R.P. Franciſco Antonio Zacharia Soc. Jeſu, Bibliothecæ Eſtenſi Præfecto. 4. Tomi 2. L. 10:

—— detto Diſcorſi ſopra la Storia Ecclesiaſtica tradotti dal Franceſe, in 12. L. 3:

Il Corrier Zoppo con quattro Lettere di riſpoſta all' Autore delle Rifleſſioni ſul Memoriale dato al Papa *dal P. Generale de' Geſuiti*. Aggiuntovi alcune Lettere, ſcritte da varj Veſcovi, ſopra gli affari correnti dei Geſuiti in Francia. Chiude queſto Tometto con un'Opuſcolo intitolato: Il Lupo ſmaſcherato ec. in 8. L. 3: 10

Arioſto Miſs. Lodovico, L'Orlando Furioſo, adornato di Figure in rame, di grandezza della pagina, corriſpondenti all' Idea de'Canti, in 4. grande, ſulla forma del Dante. vol. 3. *ſotto il Torchio*, *per Aſſociazione*, a tenore del Manifeſto che in brieve ſi pubblicherà. L.

Della Preſervazione della Salute dei Letterati, e Gente applicata, e ſedentaria, Opera poſtuma di Giuſeppe Antonio Pujati Pubblico Profeſſor di Medicina Pratica nell' Univerſità di Padova. in 8. L. 4:

Godeau (Monſign. Antonio) Storia Eccleſiaſtica, traſportata dal Franzeſe con copioſe Annotazioni da D. Arnaldo Speroni Decano Benedittino Caſineſe. in 4. *per Aſſocietà*, *è uſcito Tomi 3.* L.

Joannis Maldonati Soc. Jeſu Teologi Comentarii in quatuor Evangeliſtas. in 4. Sub prælo. L.

Iſtoria delle perſecuzioni fatte alla Chieſa dagl' Infedeli nei Primi quattro Secoli deſcritta da Bartolomeo Peverelli della Compagnia di Gesù in 4. *ſotto il Torchio*, L.

Notizie Storiche delle Apparizioni, ed Imagini più celebri di Maria Vergine, nella Città, e Dominio di Venezia; tratte da Documenti, Tradizioni, e antichi Codici delle Chieſe, nelle quali eſſe Immagini ſono Venerate; ſcritte da S. E. Flaminio Cornaro. in 12. L. 5:

Principj Generali dell' Antica e Moderna Geografia, Traduzione dell' Idioma Ingleſe in 8. con figure in Rame. L.

Raccolta d' Apologie della Dottrina, e Condotta de' RR. PP. Geſuiti, in *Riſpoſta* agli Opuſcoli, che ſono uſciti *contro* la Compagnia di Gesù. in 8. 1760. Vol. 18. ed altri quattro di ſupplemento, che *viene a compire l' intera Raccolta*. L. 50:10

Chiunque ſi ritrovaſſe la ſudetta Raccolta mancante di qualche Tomo, ci avviſi che reſteranno ſerviti.

Oltre gli accennati Libri, trovaſi vendibile nel mio Negozio a giuſti prezzi un copioſo Aſſortimento di Stampe moderne sì di Venezia, che d' altre Città.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google